APHORISMI POLITICI ET MILITARES L. DANAEI, EXPLICITI...

Everard : van Bronkhorst, Lambert Daneau




Aphorismi
Politici et Militares
L. DANÆI.
expliciti mille et
amplius exem
plis.
in usum
TOGATUM
et
SAGATUM.
Lugduni Ba:
tav:
ex
officina Iacobi Marci
An°. cIↄ Iↄc xxxix

APHORISMI POLITICI ET MILITARES

Ex diversis Auctoribus Græcis & Latinis

Per LAMBERTUM DANÆUM COLLECTI;

Nuperis annis ab EVERARDO BRONCHORST, exemplis illustrati:

Quibus modò in hac nova editione accessere SEXCENTA *ferè alia,*

Ex recentioribus Historiographis Germanis, Gallis, Hispanis, Italis, Anglis, Belgis excerpta,

Cum Syllabo Auctorum.






LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina JACOBI MARCI.

cIↃ IↃc XXXVIII.

Cum Privilegio.





Illustri Viro

Sua Virtute ad PRINCIPUM amicitias evecto, Domino

CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Domino in Zuylichem,

Celsissimo Arausionum PRINCIPI à Consiliis & Secretis, &c. plur. felic.



Vpra humanitatem Tuam erat, Illustris Vir, quando superiori anno tam benignas mihi in primo alloquio aures præbebas; nec tantum id, verum tanquam meritum Celsissimo Principi insinuabas, ut in numerum eorũ relatus sim, quos Principis liberalitas ad bonæ promotionis spem evehere potest, idq; à TE multũ potente parario exspectare mihi est in proclivi. Penes te est æstimemiũ, quem voles extollere, mihi perpetui gloria obsequii relicta est. Licet vero curtã meã supellectilem non ignorem, non tamen oportuit me pro tanto beneficio, quia æqualem non possum, nullam gratiam reponere. Species ingratitudinis est celare favorem, quem à Patronorum benignitate recipimus: ea propter ne tanti vitii (cujus sum osor) me participem faciam, venio ad Tuam Dignitatem, pleno ore confitens ob accepta merita Tibi me obligatissimum

ſimum: utque publicitus extaret devotionis meæ teſtimonium, hos ecce *Aphoriſmos politicos & militares*, Illuſtri Tuo Nomini inſcribere volui.

Danæus Theologus olim collegit aphoriſmos, Bronchhorſtius IC. junxit exempla induſtria multa ex Hiſtoricis conſcripta, quibus ſexcenta alia ſupperaddo, ut & auctius & magis edolatum ſit opuſculum, quod de Principum & Magnatum, quos hæc aut retrior ætas tulit, conſiliis & actionibus, prudentia vel errore aliquo inſignibus tractat. Argumentum ſe ſuo candore excuſabit, nec ulli infenſum eſt, cui cum Virtute res fuit; nec ulli fæda adulatione ſe demittit, dum innoxia eſt veritas, quam in hac ſcena coram TE Iudice produco defendendam. Accipe hoc demiſſi in TE mei cultus tributum, eoque animo, quo Artaxerxes Perſa hortenſe munus, Magnus Macedoniæ Rex in galea præbitam aquam accepere: illis fuit voluptati à ruſtico & milite munus videre; Tibi non minori ſit delectamento à cliente tenuem ſcriptionem admittere. hoc ſi obtinuero gaudebo mihi de felicitate, qua occepi exſolvere primum

Animi Grati Debitum.

Vale Illuſtris Vir.
Lugduni in Batavis

Ipſis Eidib. Iul. cIↄ Iↄ c xxxIIx.

Amico Lectori salutem.

DVm nova hæc Editio auctior prodit, rogavit typographus suspenderemus ei tabulam Auctorum, è quibus exempla, quæ aphorismos illustrant, depromta sunt. Fecimus hoc sed sine ambitione, quam procul habemus & infra nos. Vt exempla ab aphorismis facilius distingui possint, hi per numeros exscripti sunt, illa vero littera E. notata, numerum cIↄ cc *excedunt, quibus nisi fidem habes, auctores ipsos, si lubet vide. Non enim gloriæ servit, indicere auctores. nuda nomina saltem posuimus, ut constaret veritas exemplorum, quibus si subtraxeris fidem, Reges & qui illis assident (quorum tamen indultu ista lucem habent) vapulabunt. Abstine igitur, Mi Lector, à vulgi errore, ne dum cum eo communicas incorrectum sensum, abeas correctior sed cum turpitudine. Vale*

Syllabus Auctorum.

ABrahami Buchholzeri, *Chronolog.*
Ælii Antonii Nebrissensis *decades.*
Ælianus, *pranomine Claudius.*
Æneas Sylvius.
Æschines.
Agapetus, *Diaconus Constantinopolitanus.*
Agathocles.
Alexander ab Alexandro.
Andreas Alciatus I C.
Ambrosius *Mediolanensis Episcopus.*
Ammian. Marcellinus, *miles Gracus sub Valente, rerum Romanar. scriptor.*
Amadii Niecollucii Toscani, *discursus politici & militares. Venetiis* 1630.
Andreæ Mauroceni, *Senatoris Veneti Historia Veneta.*
Arriani *Commentarius in Epictetum.*
Aristoteles.
Arze ab Otalora, *de nobilitate Hispanica.*
Arnaldi Ossati *Galli Cardinalis Epistola.*
Augustinus *Hipponensis Episcopus.*
Augustinus Mascardi *della congiura di Giov. Luigi de Fieschi.*
Aubignius *Nobilis Gallus, Historicus sub Henrico* IV.
Aulus Gellius.
Ausonius.

Balthasar de Vias, *Nobilis Massiliensis scripsit Sylvas regias ad Ludovic.* XIII. *Gal. Reg.*
Baptista Fulgosius *in dictis & fact. memorab.*
Bartolus.
Basilius.

Bias

Bias Prienensis.
S S. Biblia.
Bion Borysthenites, *Sophista callidus.*
Bodinus, *alias, Andius sine bono.*
Bonfadius Italus.
Bonfinii, *civis Asculani Res Hungaricæ.*

Cambdenus, *nobilis Britanniæ illustrator.*
Carolus Paschalius, *Nobilis Gallus & regis legatus.*
Cathenoise Petri Matthæi, *Historici Galli.*
Campanaccius Italus.
Carionis Chronicon.
Casaubonus *Criticus Gallus.*
Cassiodorus.
Cato.
Celsus Medicus.
Christophorus Forstnerus Austrius, *Cancellarius Amagetrobiensis sive Montbelliardensis, eruditiss. notas polit. ad Annal. Taciti scripsit.*
Cicero.
Claudianus.
Claud. Salmasius *nobilis Gallus de Vsuris.*
Cominæus.
Cornelius Tacitus.
Covarruvias *I C. Hispanus.*
Conchini cōjuratio, *historia de Marchione d'Ancre.* 1619 Parisiis edita.
Conestaggius *de bello Belgico.*
Corpus Iuris Civilis.
Crantzius, *Histor. Saxon.*

Demetrius Phalereus *philosophus peripat.*
Demosthenes.
Dion.
Dionysius Halicarnassæus.

Diodorus Siculus.
Dominicus Baudius *IC. & philologus.*
Duzæ *nobilis Batavi* Annales *Belgici.*
Durus de Pascclo.

Eberus.
Ennius.
Epictetus.
Erasmus Roterodamus.
Euripides.
Euphormio.
Eutropius *Historicus sub Valente.*

Fabii Albergati *nobilis Bononiensis Respublica regia, ad Francisc Mariam Vrbin. Ducem.* 1627.
Famianus Strada *Iesuita Romanus de bello Belg.*
Flavius Vopiscus.
Florus.
Foglietta *Italus de conjuratione Eliscorum.*
Francisci; *Episcopi Herfordensis annales* Angliæ, *sub Henrico VIII, Edvvardo VI & regina Maria. Londini.*
Francisci Belcarii *Episcop. Metensis, commentarii rerum Gallic. ab anno* 1461. *ad annum* 1580. *Lugduni.*
Forsteri historia juris.
Fredericus Furius *de consil & consiliar.*
Fredericus Marselaer *Eques, de Legato.*
Fredericus Hortleder *IC. & Historicus Germ.*
Frossardus.
Frontinus *IC. & rei militar. peritus sub Trajano.*
Fulgosius.

Gabriel Zinanus Dominus Castri Bellal, *de ratione optime imperandi libr.* XII.

Don

Don Garcia de Silva & Figueroa, *Philip. III. Hispan. Reg. legatus scripsit breviarium* His- *panicæ historiæ. Olysippone* 1627.

Georgii Phranzes *protovestiarii Constantinopolitani, historia Constantinopolitana.*

T. Godefroy, *advocatus in Parlamento author est libri (entreveües de Charles. IV. Empereur &c. & de Charles V. Roy de France, &c.) impreßi Parisiis* 1614.

Gregorius *Magnus Papa scripsit homilias.*

Guazzus *de civili conversatione.*

Guicciardinus *Nobilis Florentinus.*

Henrici III. Gal. Regis Ephemerides (*le journal de Henry III. &c.*)

Hermanus Hugo *de obsidione Bredana.*

Herodotus.

Hieronymus., *Stridonensis Episcopus.*

Hieronymus Marius *sub Paulo III. pontifice scripsit Eusebium captivum.*

Hippolyt. de collibus, *Consiliarius.*

Homerus.

Innocentius.

Iohan. Baptista Cinus, *Italus Histor. de vita Cosmi primi Magni Duc. Hetrur.*

Iohan. Boterus.

Iohannis Bernhardi, *discursus de Regibus Angliæ, Parisiis anno* 1587.

Iohan. Baptista Pigna, *Italus de vita Cosmi Hetrur. Mag. Ducis.*

Iohan. Baptista Adrianus, *Italus Historicus.*

Iohan. Baptistæ Lambertini, Domini de Cruzhoven, *theatrum Regum Hispaniæ*, 1628. *Bruxellis editum.*

Iohan.

Iohan. Andreas Salices *Italus, scripsit discursus politicos,&c.1627. Cesena.*
Iohan. Francisci Fiammelli Florentini, *Princeps Christianus militans.* 1602. *Roma.*
Iosephi Mattheaccii, *doctrina civilis & militaris. Venetiis* 1613.
Iosephi Mironii,*presbyteri Mediolanens.commentarius in Psal.*145.*ad princip. & aulicos.*Lugduni *an.*1615.
Iosephus Passi Ravennas, *de mulierum defectibus* 1618. *Venetiis.*
Iosephus,*antiquitatum Iudaicarum scriptor.*
Iovius,*Nucerinus Episcopus.*
Isocrates.
Isidorus.
Iulius Cæsar.
Petri Iustiniani,*historia Veneta.*
Iustinus.
Iuvenalis.
IunI Batavia.
Iulius Capitolinus.
Iulius Firmicus Maternus, *scripsit de astris.*

Laërtius.
Lampridius.
Laurentii Capelloni, *discursus historici & politici,*1623, *Mediolani.*
Laurentii Mellieti, *discursus politici & militares,ad Tacitum. Rhotomagi.*
Leonhardi Aretini,*historia Florentina.*
Lipsius.
Livius,
Lucianus.
Ludov. Vives.
Lucanus,

Machia-

Machiavellus.
M. Anton. Gratianus, *scripsit bellum Cypricum.*
Martialis.
Maximus Tyrius, *philosophus Platonicus.*
de Medicæorum familia historia illustris.
Mejerus *de rebus gestis in Flandr.*
Meteranus.
Meursius.

Nicephorus Gregoras, *Byzantinus historicus.*
Nicetas Choniates, *Historicus.*
Ios. Nolden *I C. de civili nobilium statu.*

Orlandi Malavoltæ, *historia Senensis.*
Orosius.
Ovidius.

Parthenius litigiosus.
Pacificatio Pragensis.
Paulus Manutius, *in descriptione Transylvaniæ.*
Paulus Æmilius.
Petrus Martyr.
Petrus Matthæus, *nobil. Histor. Gall.*
Petricius *Medicus & Profess. Cracoviensis.*
Iean le Petit. *historicus Belgic.*
Peuceri Chronicon.
Petrus Baptista Burgus, *scripsit commentar. de bello Suecico. Leodii 1633.*
Petrus Crinitus, Florentinus.
Petri Ribadeneiræ Hispani, *Princeps Christianus contra Machiavellum.*
Pezelii mellificium.
Philippus Melanchthon.
Philo Hebræus.
Pittacus Mitylenæus.
Plato.
Plautus.

Plinius.

Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Polydorus Virgilius Vrbinas.
Poloniæ ſtatuta.
Polyænus, *ſtrategematum ſcriptor.*
Pontanus.
Procopius, *Bellisarianæ hiſtoriæ ſcriptor.*
Propertius.

Quintilianus.
Quintus Curtius.

Robertus Bellarminus.
Rodericus, *Toletanus archiepiſc. ſcriptor rerum Hiſpanic.*

Sabinus.
Salisberienſis, *Anglus Epiſcopus* Carnotenſis *de nugis Curialium.*
Saxo Grammaticus, *conditor hiſtor. Danic.*
Salluſtius.
Scaliger.
Scipio Ammiratus Florentinus, *ſcriptor diſcurſuum in Tacit. item Florentin. hiſtor.*
Schneidevvein I.C. *German.*
Sethi Calviſii Chronologia.
Seneca.
Serres, Hiſtoricus Gallus.
Sigonius Italus.
Sleidanus.
Sozomenus, *hiſtoriæ univerſalis amplus auctor.*
Socrates.
Sophocles.
Soſſius, *novem muſas ſcripſit*, id eſt, *hiſtoriam de vita Henrici* III. *Gall. Reg.* 1628. *Pariſiis.*

Sta-

Stanislaus Orichentus Ruth. *de lege cœlibat.*
Stobæus.
Stringæ *descriptio Urbis Venetæ*, 1604. *Venetiis.*
Suetonius.

Tertullianus.
Thales.
Theophylactus Simocates *Scholasticus, epistolarum scriptor.*
Thuanus.
Thucydides.
Thomæ Roccabellæ Princeps practicus, anno 1633. Venetiis.
Toneel van Koniegen in fol. belgice.

Valerius Maximus.
Vbbo Emmius *in hist. Fris.*
Vegetius.
Vellejus Paterculus.
Venetorum annales.
Ver. Flaccus.
Villani *historia Florentina.*
Virgilius.
Vulcatius Gallicanus *Avid. Cassium descripsit.*
la Vie & faits notables de Henry Valois. 1589.

Xenophon.
Xiphilinus.

Zeno.
Zenocarus (alias Snouckaert de Scauvenburg) vitam Caroli V. scripsit 1563. Gandavi.
Zevecotius *I C. & histor. ad Cæsarem in Sueton.*
Zonaras.

QVID

QUID POTISSIMUM IN LEGENDIS HISTORIIS ſpectandum & conſiderandum.

Ex Polybij Lib. 3.

SI quis ex hiſtoria tollat, *Quid, Quomodo, Cujus gratia* ſit actum, *Quis finis* fuerit: quod ſupererit, velut contentio quædam, non doctrina erit: & in præſentia quidem jucunditatis fortaſſis aliquid, inpoſterum vero nullam prorſus ad vitam humanam utilitatem afferet.

Idem Polybius Lib. 5.

Quo fit, ut mihi quidem videatur ex omnibus animalibus nullum ſtolidius, aut magis expers rationis eſſe; quam hominem, qui à pleriſque callidiſſimus omnium judicari ſolet. Quot enim caſtra? quot munimenta? quot arces? quot & quales civitates per hunc modum in manus hoſtium devenere? Quæ quum quotidie accidant, cernanturque ab omnibus, ſemper tamen neſcio quo modo novi ac rudes in hujuſmodi rebus videmur eſſe. Quod ideo fit, quoniam ea, quæ ſuperioribus ſeculis acciderunt majoribus noſtris, non conſideramus: ſed ad apparatum frumenti, & pecuniarum, et murorum, et ſagittarum intenti, cùm labore et ſumptu hæc duntaxat, conquirimus. Quod vero facillimum eſt, maximoſque in periculoſiſſimis temporibus uſus affert, id omnes contemnimus, et pro nihilo ducimus: quum nobis alioqui liceat cum quiete et tranquillitate in hiſto-

riis

riis rerum gestarum ea discere, & quasi experiri.

Idem: Historiæ cognitio est verissima institutio & præparatio ad actiones politicas, & illustris magistra ad perferendas fortunæ vices.

Diodorus Siculus in Proœmio Bibliotheca.

Magnas merito gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimum vitæ mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus præteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quidve fugiendum. Nam qui multa experimenta rerum variis cum laboribus periculisque, ipsi procul ab omni discrimine positi gesta legimus, nos admonent maxime quid cõferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum tum secundis, tum adversis rebus percepta doctrinam habet ad omnia valde necessariam. Pulchrum est enim ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram: & non tam quid alii egerint quærere; quam quid optime ab iis actum sit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia, quos ætas prudentiores effecit, laudantur. At hos tanto antecellit historia, quanto plura rerum exempla complectitur diuturnitas temporis, quam hominis ætas. Itaque ad vitæ institutionem, resque præclare gerendas utilissima censenda est historia.

M. Tullius Cicero lib. 2. De Oratore.

Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, &c.

Idem

Idem eodem libro.

Post illum (Herodotum) Thucidides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit, qui ita creber est rerum frequentia; ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur.

Idem lib. I. Epistolarum ad Q. fratrem.

Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii: cujus summa gravitas ab illo Philosopho cum singulari comitate conjungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. Nullum est enim prætermissum in his officium diligentis & moderati imperii: eaque si sic coluit ille, qui privatus futurus nunquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis quibus imperium ita datum est, ut redderent: & ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est?

Leo Papa.

Validiora sunt exempla quam verba & plenius opere docetur, quam voce.

Suetonius in Augusto, cap. 89.

In evolvendis utriusque Linguæ auctoribus, nihil æque sectabatur, quam Præcepta & Exempla publice vel privatim salubria, eaque ad verbum excerpta, vel ad domesticos vel ad provinciarum

ciarum exercituumque Rectores, vel ad urbis Magiſtratus plerumque mittebat, prout quiſque monitione indigeret.

P. Martyr in librum Iudicum.

Vſus exemplorum eſt duplex: Vnus, ut ea autem, quæ à viris bonis geſta ſunt: fugiamus autem, quæ à malis ſunt perpetrata. Alter, ut ex rebus, quæ ſingulatim narrantur, generatim, ac in univerſum aliquam utilem ſententiam eliciamus.

Plato in Dialogo de Politica.

Politicæ ſcientiæ cognatæ ſunt iſtæ: Eloquentia, Iuriſprudentia, Rei militaris cognitio & ſcientia.

Baſilius Imp. ad filium Leonem:

Ab hiſtoria hauries, bonorum virtutes, improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones.

Cicero.

Nihil earum rerum ſcire, quæ antequam naſcereris, factæ ſunt, hoc eſt, ſemper eſſe puerum. Cognoſcere vero res geſtas memoriæ veteris, ordinem tenere antiquitatis, exemplorumque omnium habere notitiam, decorum, laudabile, ac prope divinum eſt.

Plinius

Plinius in Panagyr.

Melius homines exemplis exercentur, quam præceptis: quæ imprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse.

Colum. lib. XI. cap. I.

Nihil recte sine exemplo docetur, ac discitur.

Augustinus.

Verbis & præceptis monemur quidem, sed exemplis movemur.

Seneca.

Longum & præceps iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.

Plinius lib. 8. Epist. 6.

Exemplis præmiorum ad studium æmulationis virtutum cæteri provocantur.

Lipsius, Epist. I. decad. I. in epist. posthum.

Historiæ magna dignitas est, & magnus fructus. Memorias legere prisci ævi, bella inter summos Reges, populorum ortus & occasus maximam dignitatem cum voluptate habet. Notare autem in historia varietates exemplorum, causas eventorum, & ex iis fontibus derivare

vare præcepta ad vitam privatam communemque utilitas est, quæ haud scio an major esse possit in ullo genere literarum. Et privata nunc omitto, Reipub. quidem & populorum gubernatio non ab alia magistra. Vt in navi dirigenda respectus habendus est ad Cynosuram;Sic in publica administratione ad facta prioris ævi. Prudentia enim certe est, quæ Respub. constituit, servat,auget. Ea autem ab eventu rerum; & eventus non nisi ab historia aut ab usu: Historia non unius ætatis regionibus & finibus circumscripta est, sed omnium sæculorum res gestas cum fide tibi ostendit.

Guicciard. in histor. Italica.

Historia est bonum vitæ speculum, in quo cum eadem agatur fabula in mundo, mutatis personis, multa in illustri posita loco monumenta & exempla intueris,unde bona vitæ monita capias,quæ imiteris,turpia vero inceptu & exitu devites. Porro non tantum rerum gestarum narrationes, sed & rerum causas, consilia & eventa expendes, & ad usum tuum transferes. Fecit hoc Alexander M. qui ideo Iliaden Homeri, de rebus humanis terrestre quoddam oraculum,reique militaris viaticum appellabat, & dormiens eam nocte cum pugione sub pulvino tenebat.

Plinius lib. 8. epist. 14.

Fidelissimum genus præcepti est exemplis doceri.

Quintil.

Quintil. lib. 3. Instit. orator. c. 10.

Exempla plurimum in consiliis possunt, quia facillime homines ad consentiendum inducuntur ex experimentis, quæ apud alios fœlicem habuere successum.

Nicetas.

Historia liber & tuba viventium est, qua mortui in medium producuntur.

Anonymus.

Quælibet historia continet virtutes, & vita diversorum hominum: Versemur igitur in lectione historicorum, ut apes quæ optima quæque & suavissima mella ex floribus decerpunt, non ut araneæ, quæ undique venenum ex herbis & floribus exugunt & excerpunt.

Lipsius in epist.

Lectio historiarum, utile est ad Rempub. & consilia dirigendasque actiones instrumentum.

Lips. in præfat. Politic.

ALPHONSUS olim ille eximius Regum interrogatus, Quinam consiliarii optimi essent: Mortui inquit, libros scilicet, & monumenta scripta Politica intelligens, qui nihil blandientes, nihil celantes, puram putamque propinant verita-

veritatem. *Idem*, Græci præceptis (ait quidam) abundant, Romani exemplis.

Dio lib. 10.

Optime consultant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt.

Historia utilitas.

Imperator Basilius ad filium suum Leonem cap. 56. Per historias, inquit, veteres ire ne recusa: Ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt: atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones; Mundi hujus instabilitatem, & Imperiorum præcipites casus. Et ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in divinæ justitiæ manus incidas: hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

Auctor in tabb. Geograph. Olai Magni de Insulis Septentrionalibus, ait:

Qui ad gerendam Rempub. se accingunt, spe prudentiæ supremæ in ipsis rebus agendis assequendæ, duobus potissimum studiis, HISTORIA nim. & GEOGRAPHIA ut plurimum indigere videntur. Illo quidem ad hominum excellentium præclara facinora dignoscendum, altero ad locorum, in quibus quæque facta illustria perpetrata sunt, circumstantias memoriæ commendandum. Inde illi citius ad regnorum administrationem, exterarumque

rumque nationum regimen præ cæteris accersuntur, qui diversa loca peragrarunt, urbes varias inviserunt, mores ritusque complures videndo connotarunt. In quo cum veterum tum prudentium quorumcunque Principum vestigia sequi creduntur, qui curam non minimam impendebant, impensasque non mediocres effundebant (etiam liberaliter) ut per diversa quantumvis remota mundi totius climata viros ingeniosos, rerumque peritia sagaces effectos.cum festinatione dirigerent, ut earum, quas per se peragrare non poterant, provinciarum vivendi genera multiplicia investigare, in communemque mortalium usum scriptis mandare, satagerent, &c.

Historici est noscere GEOGRAPHIAM, CHRONOGRAPHIAM & GENEALOGIAS: & pollere. 1. *Iudicio*, ut ubi deceat, narret. 2. *Memoria*, ut recte narret, id est, ordine, ne peccet in Historia. 3. *Facundia*, ne hæsitet. Si namque labitur, vel vitio linguæ vel memoriæ labitur. Si bene dicit, nec in hoc, nec in illo hallucinabitur, & ita cum prioribus si paria fecerit punctis, omne cum laude feret punctum.

Antecedit Gloriam Depressio.

APHO-



APHORISMI POLITICI EX THVCYDIDIS Historiæ libro I.

Cicero. Thucydides brevis est, subtilis, acutus, sententijs magis, quam verbis abundans.

Demosthenes octies descripsit Thucydidem. & Carolum V. Imp. Thucydidis opera in Lingua Gallica assidue lectitasse ferunt.

LAMBERTI DANÆI SVCCIDANEA OPERA.

1 INTER populos vicinos crescens nimium vnius potentia primùm parit inuidiam, ac deinde bellorum causas ac semina, quæ variis aliis honestisq; caussis tamen prætexuntur.

Invidia potentiæ Atheniensium crescentis movit bellum Peloponesiacum.

E. Belli Peloponesiaci causa fuit hæc: Megarenses prohibiti finibus ab Atheniensibus, conferunt se ad Spartanos, petuntque ut sibi auxilio sint: ut decretum illud Atheniensium aboleatur. Spartani Megarensium causam suscipiunt: sed Pericles contra obnitens, obtinet Spartanis in hac

A parte

parte non esse gratificandum. Ideò Spartani copias comparant, Regem Persarum & alios de auxiliis sollicitant. Sethus Calvisius in Chronico.

Plutarchus in Pericle hanc belli Peloponesiaci causam adfert, quod cum Pericles accusationem peculatus metueret, vir summæ integritatis, qui suas opes pro Repub. Atheniensium magnificè semper effuderat, ne rationes redderet, bellum Peloponesiacum excitauit, quod non prius finem accepit, quam omnes Græcarum ciuitatum status euerterentur.

2 Potentum vicinorum incendium ac bella aut à vicinis quietis statim extinguenda, aut ipsos quietos vicinos trahent in idem bellum, ac iisdem malis inuolvent. *Tota Græcia implicata bello à Corinthiis & Corcyrensibus primum commoto. Vide quoque finem primi libri.*

3 Vicinæ calamitates potius quum licet, absq; periculo spectandæ, quàm sese illis absque causa grauissima implicandum, ne tota clades in nos ipsos tandem quamvis duntaxat incendio supervenientes, non autem in ipsos incendii autores incumbat & ruat.

E. Sic bello civili flagrante inter Cæsarem & Pompeium soli ex omnibus Galliæ incolis Massilienses, neque Cæsaris partes secuti sunt, neque in urbem eum receperunt, & memorabile responsum ei dederunt. Esse se socios Pop. Romani, cæterum in præsentia, neque curiose, se inquirere, neque sufficere ad inquirendum, utrius causa justior sit: proinde si quis amici more ad se venire vellet, utrumquae se absque armis venientem accepturos, sin bello veniant, neutrum. Dio. lib. 41.

4 Nom semper prudentiæ est nolle cum aliis periclitari; sed demum ubi extra teli jactum & periculum tutus in aliorum discrimine, atque etiam post

post victoriam esse potes, alioqui aliis periclitantibus quiescere nõ expedit. *In oratione Corcyrẽsiũ.*

E. Hoc præceptum si benè observassent Clivensis ducatus incolæ, præsertim VVesalienses. cum Illustres Ordines Belgii sua illis auxilia & præsidia promitterent, non ita expositi fuissent prædæ & rapinæ Hispanici exercitus ductore Admirantio Mendoza, qui eos centum millibus dalerorum, ne urbem agrosque illotum diriperet, mulctavit, præterea mille modios frumenti ab illis extorsit, ac tandem invectis idololatriis Papisticis, eos ad tempus usu & exercitio religionis reformatæ privavit. Pulchrè Salust. in epist. ad Mithtid. inquit. Videas eos, quos ignavia, aut prava calliditas, ut alienis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas pœnas solvisse.

5 Nullus princeps à suis subditis justè puniendis arcendus est: & qui id facit, parem in se legem statuit, ne suos & ipse subditos puniat delinquentes. *Oratio Corinthiorum apud Athenienses.*

6 Maximè adversari censetur, qui Reipub. vel Principi ultionem suorum subditorum paranti obstat: maximè amicus qui eam juvat. *In eadem oratione Corinthiorum.*

7 Initiis potentiæ vicinæ nimium ac manifestè crescentis à vicinis maturè occurrendum & syncretismo resistendum. *In oratione Corinthiorum Lacedæmonii, quod sivissent Atheniensiũ potentiam crescere: & in oratione Corinthiorum ad socios & Lacedæmonios.*

8. Bella non temerè, sed meditatò & post longam deliberationem demum suscipienda. *In oratione Atheniensium ad Lacædemon.* Proinde, Augustus Imperat. dixit illos aureo hamo piscari, qui pacem bello quærunt. Restissimè ille qui dixit, Nulla salus bello, pacem te poscimus

omnes. *In oratione Atheniensium ad Lacademon.*

E Sic Augustus Imp. prælium aut bellum omninò suscipiendum negabat, nisi cum maior spes emolumenti, quam damni metus ostenderetur. Nam minima commoda magno sectantes discrimine, similes esse aiebat aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset. Sueto. in Augusto.

Rectè etiam dixit Imp. Martianus; Donec in pace vivere licet, non decet Principem sumere arma, & rectè Comicus poëta retulit, Omnia prius consilio, quam armis experiri sapientem decet.

9 Pecunia nervus belli.

10 Bella non magis armis quàm sumptibus geruntur. *In oratione Archidami.*

11 A mediterraneis adversus maritimis bella non nisi cum magnis sumptibus suscipi possunt, neque mediterranei maritimis valde sæpenumero incommodant, hi autem illis plurimum. *In oratione Archidami.*

E Sic experientia comprobavit Hollandos & Zelandos maritimos accolas parum incommodi à Flandris & Brabantis in bello civili percepisse: sed è contra Hollandos & Zelandos tanquam maris imperium & potestatem obtinentes, plurimum infestasse & afflixisse Flandros & Brabantos: imò præcipuas ferè colonias Flandrorum, Artesiorum, in Hollandiam & Zelandiam transmissas, eóque commercia, opificia, copias, & divitias suas transtulisse & comportasse videmus.

12 Nec criminationibus nec laudibus eorum qui nos ad bella secum & sua causa suscipienda incitare volunt, facilè credendum. *In oratione Archidami.*

13 Nimia segnities aut pigritia sociorum aut subjectorum in officio faciundo pręstandisque

pro-

promissis, causa est, ut à potentiore socio, aut principe suo duriùs & præter conventum tractentur. *Vbi de Imperio Atheniensium in Insulares immutato agit.*

14 Socij quorum opera strenua in bello, aut non accersendi nobiscum, aut temerè non dimittendi. Inde enim suspiciones graves, ac postea simultates & bella nascuntur. *De Atheniensibus vocatis à Lacedamoniis contra Messenios & postea dimissis.*

E. Sic Saladinus Tartarus, quem AEgypti princeps acciverat, ut Christianos de Syria dejiceret, pulsis Christianis imperium AEgypti occupavit, quad ut stabilius esset, Tartarorum venalitiarios, ad corporis sui custodiam, AEgyptiis omnibus exarmatis adhibuit, ac florentissimum imperii statum reliquit posteris, qui non nisi à Selymo Turcarum Rege deturbari potuerunt. Bodin. lib. 5. de Repub. c. 5.

15 Qui prospero bellorum successu inflatus est, ea quæ necessariò sunt post victoriam cogitanda, non cogitat. *In oratione Corinthiorum ad socios.*

E. In fœlici successu non nimis exultandum. Sic prudenter triumphantibus Romanis à tergo destitui servus solet, qui in medio gaudii triumpho inclamabat, Homo es.

Similiter Philippus Maccedoniæ Rex, ne nimia fœlicitate se efferret, uni ex pueris aulicis mandavit, ut summo mane cubiculum ingressus, pronuntiaret, hæc verba. Ἄνθρωπος εἶ Φίλιππε.

Homo es Philippe. Similiter idem Philippus Macedoniæ Rex, cum tria sibi foelicissimè accidisse sub idē tēpus narraretur, primò quod Olympico certamine vicisset, serundò quod Parmenio Dux hostiles exercitus prælio superasset, tertiò quod

Olympias coniunx infantem masculum peperisset, in tanto concursu bonorum sublatis ad coelum oculis, inquit, O fortuna tantis bonis malum aliquod admisceas, scilicet intelligens solere fortunem magnis prosperitatibus invidere. Plutar. in consolat. ad Apollon Auson. Dum fortuna juvat, caveto tolli. Dnm fortuna tonat, caveto mergi.

16 Qui propter nimium quietis desiderium & voluptatis fruitionem segnis est, dum nimium diu quiescit, tandem se sua quiete privat, & in periculum adducitur. *In oratione Corinthiorum ad socios.*

17 Bellum perrarò eum finem habet, qui sperabatur. *In oratione 2. Corinthiorum ad* Lacedamo*nios socios.*

18 Ea Respub. facilè vinci potest, cuius vires sunt mercenariæ & extraneæ, non vernaculæ. *In oratione Corinthiorum ad socios* Lacedamonios.

19 Ephotis & ordinibus Reipub. fas est coniicere Regem in carcerem. *In historia de Pausania.*

E. Sic Ordines & Nobiles Brabantiæ privilegium habent, ut quoties Princeps eorum tyrannidem in subditos exercet, toties possint aliquem defensorem pacis eligere, vulgò ein Rovvart dictum, qui cogat Principem ad ius & justitiam administrandam, & subditos clementer & pacificè regendos. Quinimò eum à principatu removere possunt, siquid contra jusjurandum præstitum, & privilegia patriæ attentare velit, in perniciem subditorum.

Sic Christiernus Danorum Rex postquam regno est exutus propter tyrannidem, xx annos in carcere detentus vitam finivit.

20 Stultum est principi tyranno malè sibi conscio, sese judicum potestati permittere: sed

vel vi

vel vi pugnandum, vel fugiendum. *In historia de Pausania.*

E. Hac facit sapiens illud verbum Alcibiadis. Hic cum missus in Siciliam cum exercitu, paulò post ad judicium revocatus esset. Nam cum in judicio comparere nollet, & nonnulli eum monerent, debere patriæ fidere; respondit. In his quibus hominis vita continetur se ne matri quidem crediturum: nam cum suffragium suum datura esset, errore ducta nigrum calculum pro candido porrigere posset.

21 Magnis viris post res præclarè gestas ferè tyrannidis aut in alios dominandi cupido obrepit: saltē cupiditas amplioris cuiusdam splendoris & rei consequēdę: ergo nisi illorum virtus compēsetur, justoq; præmio ab iis quibus benefecerunt, donetur, consilia cum hostibus sæpè capiunt, Reip. cui benefecerint noxia. *Pausaniæ & Themistoclis exemplum.*

22 Quicquid ex æquitate & justitia faciendum est, licet sæpè non ex dignitate Reipub. fieri videatur, nihilominus faciendum est, ut bellum & calamitas imminens evitetur. *In postremo libro ubi de edicto Atheniensium in Megarenses non revocato disserit.*

23 Bella sustinent magis opes superfluæ quàm violentæ collationes. *In oratione Periclis.*

24 Qui non uno gentis concilio velut summo magistratum vtuntur, sed gente dispares, suffragio tamen inter se sunt æquales, nihil in communem Reipublicæ salutem consulunt, sed vel suo quisque commodo vacant, vel, quod agendum pro communi salute est, absque matura deliberatione decernunt. *In oratione Periclis.*

25 Magna res est maris imperium: & ars nautica est, quæ non intervallis duntaxat tempo-

rum, sed continuè exerceri debeat, ut Respublica in ea sit potens & polleat. *In otatione Periclis.*

E. Hinc cum Athenienses bello Persico urbem penitus delevissent, navibus salutem sibi quæsiverunt. Sic enim oraculum Themistocles interpretatus est, civitatem non aliter, quam ligneis mœnibus servari posse, id est civium multitudinem Legibus sociatam, adversus hostium copias non aliter quam navibus tutam esse. Plutar. in Themistocle.

EX LIBRO SECUNDO THUCYDIDIS.

1 RUPTI fœderis pœna ut plurimum sequitur ipsos perfidos fœdifragos. *De Thebanis Plataas occupantibus.*

E. Sic fœderum violatores acerrimè ulti sunt Romani, Metium dictatorem Albanorum, quadrigis distractum lacerarunt, Albam funditus solo æquari jusserunt. Veientes ipsi à stirpe funditus deleti. Carthago, 14 dies incendio absumta. Campani miserandum in modum aut cæsi, aut durissima servitute oppressi, Corinthus ac Numantia excisæ, civesque omnes interemti. Eadem calamitate Samnites cumulati, qui septies pacem cum Romanis factam violarunt, ad extremum, quicquid Samnitum reliquum erat, L. Sylla internecione delevit, aut ex Italia fugavit.

2 Vrbs de novo vi occupata est majore quàm sint illius cives præsidio & numero tenenda. *De Thebanis expulsis Plataa oppido.*

3 Omnes inter belli initia ardentiùs sese tuentur, & alios oppugnant. *In apparatu belli* Lacedamoniorum *& Atheniensium.*

4 Bella inchoantibus & societates veteres recognos-

cognoſcendæ ac nouæ comparendæ. *Ibidem.*

E. Sic Philippus Lantgravius Haſſiæ fœdere ſex annorum ſibi conjunxit Tigurinos, Baſilienſes, & Argentinenſes, ut ſi cui vis fiat religionis cauſa, mutuum præbeatur auxilium. Fœdus hoc initum, Anno 1530. Sleida. lib. 7. com. I.

5 Magnum ad conciliandam nobis vicinorum & remotiorum populorum amicitiam in bello momentum habet fama de vindicandis iis qui tyrannide opprimuntur, & liberis populis à ſervitute indigna liberandis. *In apparatu Lacedæmoniorum & Athenienſium.*

E. Sic merito Elizabetha Regina Angliæ potentiſſima, & prudentiſſima, immenſis laudibus apud exteras nationes prędicatur, ac titulo protectricis veræ religionis inſignitur, ea potiſſimum de cauſa, quod afflictis Belgij provinciis, ac religionis orthodoxæ nomine oppreſſis, contra immanem Hiſpanorum vim & crudelitatem benigne auxiliis militaribus ſubvenerit.

Pariter magnam apud Germanicam nationem gloriam & laudem meruit Potentiſſimus Henricus II. Galliæ Rex, quod contra Carolum V. Imp. arma ſumſit, atque ſe oppreſſæ libertatis Germanicæ vindicem, & captivorum Principum, Ducis ſcilicet Saxoniæ, & Lantgravii Haſſiæ aſſertorem & liberatorem dici & cenſeri voluit.

6 In hoſtili terra manentes oportet ſemper eſſe præſenti animo, ac diligentius ſibi cavere, ac excubias agere, & omnibus periculis proſpicere, *In oratione Archidami.*

7 Incendia, cæteraq; huiuſmodi damna & inſolita, facile eos qui ea patiuntur, ad iracundiam, eruptiones & prœlium incitant. *In oratione Archidami, dum Acharnei agri uruntur.*

8 Non committendum ut hoſtium legati,

qui nostros terrere possunt, cum quopiam nostrorum colloquantur. *Post orationem Archidami.* Quinimò Legati hostium, quando hostilia moliuntur, interfici possunt. Exemplum extat, apud Thucydidē libr. 2. vbi narratur ab Atheniensibus captos esse Legatos Lacedæmoniorum, ituros ad Persas, ut auxilià peterent contra Athenienses. Hi Legati ATHENAS adducti, interfecti sunt.

9 Hostium duci strenuo conflanda, quantum fieri potest, invidia, vel parcendo illius agris, vel aliud quidpiam prӕterquàm cæteris, illi gratificando. *De agris non vastatis.*

10 Bella, consilio, pecuniæ vi, & resistendo potius quàm aggrediendo conficiuntur. *Periclis dictum.*

11 Vnum totius Reipub. concilum, commune ac summum esse præstat, quàm plura. *De Theseo concilia Atticorum tollente.*

12 Hostem abducere à nobis ad sua tutanda consultissimum, si qua ratione fieri potest: itaque in illius regionem irrumpendum. *Sic Periclis consilio irrumpunt Athenienses in Peloponesum: Scipio in Africam: Agathocles in agrum Carthaginiensem.*

E- Hoc aliquando bellicosi, & potentes Ordines confœderati non imprudenter tentarunt, dum una cum Anglis instructissima classe Gades munitissimum Hispaniæ oppidum vi armisque expugnatunt, ac in prædam militibus dederunt. Deinde secunda expeditione navali Canariam fortissimum oppidum, nec non insulam Divi Thomæ ferro armisque subegerunt.

Sic quoque prudentur Ludovicus Crassus Rex Francorum, cum Imp. Henricū una cum exercitu in Galliam adventare audisset, pro suscepto à Rege Pontificis Gelasii patrocinio, exercitum ducentorum millium militum conscripsit, & extra fines regni,

regni, ad Rhenum usque finitimas imperij provinçias longe populatus, hostes antevertit, quare perterritus Imperaror arbitrio Regis conditiones accepit. Pari fortitudine ac prudentia Philippus Rex Galliæ Ludovici nepos, cum allatum esset Otthonem Imperatorem magno cum exercitu Galliam appetere, arces & oppida præsidio firmavit, deinde extra sedes imperii hostes ingenti clade superavit. Bodin. lib. 5. de Repub. cap. 5.

13. Fortiter pro patria in bello morientibus, honos & præmia eorum liberis donentur in exequiis occisorum. *Ex oratione funebri Periclis.*

E. Plutar. in Solone. Sic Pisistratus legem tulit, qua eos, qui in bello membrum aliquod amisissent sumtu Reipub. ali jussit. Vnde etiam salubriter statuit Imp. Iustinianus in Instit de excus. tut. quod qui pro Repub. in acie ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere creduntur.

14. In democratia honores omni hominum, id est, civium ordini, prout eorum quisque sui specimen dat, communicentur. *In oratione funebri Periclis.*

15. In democratico statu plus concedendum est libertatis, publicæ voluptatis & licentiæ, quam in ulla alia Reipub. forma. *Pericles in oratione funebri.*

16. In democratico statu facilius hospites, & extranei in numerum civium cooptantur, aut habitare in Repub. conceduntur, quam in ulla alia Reipub. forma. *Pericles in oratione funebri.*

17. Viro prudenti tristior est publica contumelia, ignominiæ comes, quam mors cum publica laude conjuncta. *Pericles in oratione funebri.*

E. Vnde Leonidas interrogatus, cur optimi nobi-

nobilem mortem obscuræ vitæ anteponerent, respondit. Quia hoc proprium naturæ, illud sibi ipsi esse censent.

18. Liberos eorum qui pro Repub. fortiter occubuerunt, pauperes æquum est a Repub. ipsa ali publice. *Mos Athenensium: In oratione Periclis funebri.*

E. Sic lege Solonis statutum fuit, ut liberi eorum qui pro patria cecidissent, publicis impensis alerentur. Arist.lib.2.Polit, cap.5. Item authore Plutarcho in vita Solonis, Pisistratus legem tulit, qua eos, qui in bello membrum aliquod amisissent, publice ali & educari jussit.

19. Pestis sæviens manifestum Dei flagellum est, & vires publicas minuit. *De peste Atheniensium.*

E. Sic pestis Byzantii sub Iustiniano Imp. tanta vi grassata est, ut in singulos dies quinque millia funerum daret, interdum etiam decem. In Græcia Michaëlis Ducæ imperio tam sæva fuit pestis, ut vivi prorsus pares non essent sepeliendis mortuis. Denique Petrarchæ ævo tam valida pestis in Italiam incubuit, ut ex millenis quibusque hominibus vix decem superessent. Lips. lib. 2. de constan. c. 23.

20. Præstat Rempublicam publice esse felicem, tutam & divitem, quam singulos & privatos: nam illa felice, & hi quoque servantur: his solum beatis; illa vero misera, tandem & ipsi evertuntur. *In oratione Periclis ad Athenienses.* Huc pertinet, quod rescripsit Imp. Antoninus, Expedit Reipub. ne sua re quis male utatur, quia singulorum civium facultates, copiæ & divitiæ sunt civitatis.

21. Consiliarium Reipublicæ idoneum oportet & ea nosse quæ facto sunt opus et quæ co-

gnoscit explicare posse: Item patriam seu rempublicam unice amare; denique pecuniam quoque contemnere. *Pericles in oratione ad Athenienses.*

E Cavenda est in consiliario avaritia tanquam pestis Reipub. Cic. pro Quint. Nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod avaritia comminuere atque violare non soleat. Ideo provide illi populi statuerunt quibus legem fuisse ait, Arist. Polit. 7. c. 10. Ut qui agros limitaneos hosti haberent, non admitterentur ad consilia belli gerendi, quasi ob privatæ rei affectum suadere minus commode possent. Huc pertinet, quod scriptum reliquit Basilius. Tria sunt de priscorum hominum scientia, quibus bonum Consiliarium instructum esse oportet, Rerum videlicet experientia, Amor, et Libertas Oris.

22. Imperium aut vi non occupandum in alios, aut, ni perire omnino volumus, etiam vi retinendum; quoniam in occupando multos offendimus, & in nos provocamus. *In oratione Periclis ad Athenienses.*

23. Diuturna quies & securitas à bellis extraneis non conducit potenti & bellicoso populo, sed infirmo. *Ibidem.*

24. Ob res maximas & justas invidiam aliorum subire non est metuendum Reipublicæ aut Principi bono. *Ibidem.*

25. Vulgus mobile est, & facile probat quod antea damnarat. *De Pericle ab Atheniensibus electo.*

F. Ita vulgus in operibus Dei, quæ per homines facit, judicandis, nullam servat mediocritatem. Sic Lycaones primum adorarunt Paulum & Barnabam tanquam Deos, deinde lapidarunt Paulum tanquam malum dæmonem, Act. c. 14. Similiter cum vipera à manu Pauli Apostoli pen-

dens

dens eum invasisset, homicidam eum judicabant, postea cum excussà vipera nihil mali pateretur, dicebant eum esse Deum. Act. c. ult. Vnde recte & prudenter cecinit insignis vates Homerus:

Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπος ἐστιν ὅμιλος.

Et bene prudenterque scriptum reliquit Curtius lib. 10. de rebus gestis Alexandri Magni. Nullum profundum mare, uullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo habet, utique si nova & brevi duratura libertate luxuriat.

26. Maritimæ civitati & Reipublicæ satis est, etiam dum terra invaditur, si maris imperium retineat: terram autem & agros vastari potius quam se de imperio maris dejici patiatur. *Consilium Atheniensibus à Pericle datum.*

27. Magnum est ad potentiæ famam conservandam & socios in officio continendos momentum, non abduci Rempublicam à proposito & semel suscepto negotio, licet aliunde prematur, *De Atheniensibus Potidea obsidionem urgentibus, &. Romanis Capuanam.*

28. Colonias in alienam gentem & nuper devictam mittere, est tutissimum ad imperium illic retinendum. *De Potidea, in quam Athenienses coloniam dimiserant.*

29. Intra neutrales censeri non debent qui sese alterutri parti addixerunt, unique dumtaxat parti favent, neutralitatis enim jus hoc ipso violatur. *Ex libro 3. de Platæensibus.*

E. Sic Monasterienses, Padebornenses, Aquisgranenses, Colonienses, Leodienses pro neutralibus vix haberi possunt, quia ab initio belli semper magis Hispanicis partibus faverunt, milites Hispanos hospitio & conviviis exceperunt, pecunia

cunia sublevarunt, auxiliis multisque beneficiis prosecuti sunt. Contra Belgas religionis gratia in illorum ditionibus latitantes, bonorum amissione, exilio, carceribus, aliisque durissimis pœnis misere afflixerunt.

30. In oppugnando temeritas semper male cedit. *De Charum temeritate in aggredienda Strato Acarnanum urbe.*

31. In præliis ordo & silentium militum plurimum ad victoriam conferunt & juvant. *In oratione Phormionis ad milites.*

E. Dux enim belli debet esse taciturnus, & occultare sua consilia. Claruerunt hac virtute Iason, Pyrrhus, Aratus, Q. Metellus Pius, & parétum nostrorum tempore Mauritius Elector Saxoniæ, qui ne pileum quidem suum se retenturum dixit, si nosset illum arcana sua scire.

32 Si paucis navibus nontra plures dimicandum est, sunt angustiæ maris eligendæ.

E. Hoc evenit Illustribus Ordinibus Belgii in classe Hispanica anno 88. cum Alexandrum ducem Parmensem, cum 40. millibus militum parvo numero navium, ante portum Dunkerkanum coercebant. & impediebant, ne cum exercitu suo exire, & classi Hispanicæ se conjungere posset.

33. Victores dum ordines non servant sæpe victis ipsi dederunt occasionem vincendi. *In pugna navali Atheniensium & Lacedæmoniorum.*

34 Portus maris absque præsidio nunquam relinquendus. *De Piræo pæne intercepto.*

35 Conciliare tibi eum, qui apud hostem plurimum potest, semper tutissimum, ut hostis consilia & noris, & dissipes, vel impedias. *De Perdicca Seuthen Sitalcis patruelem conciliante.*

36 Conjugia inter hostes & hostium duces ini-

ta, est facillima belli dissolvendi ratio. *De Perdicca sororem Stratonicam collocante Seutha duci hostium.*

E. Sic cum Franciscus Rex Galliæ in atrocissimo prælio Ticini amissis ultra 8000. militum, & 20. proceribus Galliæ cæsis, à Carolo V. Imp. captus esset, & in Hispania in custodiam traditus, postea Carolus V. Regi in uxorem data Eleonora sorore sua, firmam cum eo certis legibus latis acceptisque pacem corroboravit. Guicciard. lib. 16.

Similiter maximum & fortissimum pacis Cameracensis inter Philippum Hispaniæ, & Henricum II. Galliarum regem initæ anno 1558. firmamentum fuit, quod Henricus Rex filiam suam Elizabetham maximam natu Philippo Hispaniarum regi in matrimonium collocavit.

EX LIBRO TERTIO THUCYDIDIS.

1. ANTE bellum hostibus indictum, nec subditi, nec socii jure subtrahi, aut etiam deficientes recipi possunt à nobis. *De Lacedæmoniis Lesbios repudiantibus.*

2 Subditorum & sociorum remotiorum res sæpius inspiciendæ, maxime si eorum fides nobis dubia est, aut de defectione rumor sit aliquis.

3 Imparatis bellum quacumque ratione est differendum, & avertendum. *De Mitylenais naves Atheniensium inexpectatas à se removentibus.*

4 Imparatis interea temporis omnia præparanda, quo fœdera durant. *De iisdem Mitilenais.*

5 In hostico non temere, præsertim locorum imperitis longius progrediendum est. *De Asopo Phormionis filio.*

6. Fœdera

6 Fœdera inter diversas Respub. aut mutuus metus, aut mutua æquitas conservat, eaque reddit firma ac diuturna. *In oratione Mitylenæorum.*

E. Sic sapiens Fridericus dux Saxoniæ olim de fœderibus dicere solitus est. Bonum est fœdera facere, sed væ ei qui servat. Quo dicto significare voluit illum esse in magno periculo, qui fœdus constanter servat, aliis per timiditatem & levitatem à fœdere recedentibus.

Hoc exemplo comprobarunt anno 1555. mense Martio Duces Saxoniæ, Elector Augustus, Ioan. Fridericus II. Ioan. VVilhelmus, & Ioan. Fridericus III. item Marchiones Brandeburgenses, Elector Ioachimus II. Iohannes frater Ioachimi Electoris. Item Lantgravius Hassiæ Philippus, & Guilhelmus ejus Filius. Hi omnes convenerunt Naoburgi in ripa Salæ, & ibi fœdus hereditarium ducum Saxoniæ, Marchionum Brandeburgensium, & Lantgraviorum Hassiæ, factum à majoribus, ut sit munimentum pacis mutuæ, communicationis contractuum, & omnium honestorum officiorum, & obliget singulos ad mutuam defensionem contra latrocinia, & alias hominum malorum injurias, in hoc conventu renovarunt. Decreverunt etiam simul hi principes se in suis regionibus retenturos esse doctrinam confessionis Augustanæ, & nullam esse facturos mutationem doctrinæ ab ea confessione discrepantem.

7 Honeste & jure à fœdere recedit is, cui fœdus non est ab alia parte servatum, sed prius violatum, vel ut violaretur manifeste tentatum. *In oratione Mitilenæorum.*

E. Sic cum Epirotæ adversus Romanos perfide se gessissent bello Macedonico, ac Perseo Regi clam

clam faverent, Romani parta victoria simularunt se præsidia ex Epiro sublaturos, & edicto significarunt, decem viros civitatum principes, quicquid argenti & auri esset in ærario cujusque civitatis proferre, quo facto Imp. Roman. urbes 70. militibus diripiendas dedit.

Sic juste Ordines Belgii Iohanni Austriaco propter fractam ab eo pacem Gandavensem bellum indixerunt. Nam cum solenniter coram Episcopo Buscoducensi jurasset, se acturum cum militibus exteris, ut solutis stipendiis è Belgio discederent, ille contra cum ducibus Germanorum militum, Fronsbergio & Fuggero secreto transegit, ut de novo Regi militarent, majora ipsis stipendia promittens. Tandem armis violenter occupavit arcem Namurcum, ejecto Gubernatore Illustrium Ordinum Iohanne de Burgundia, Domino de Froymont. Anno 77. 24. Iulii.

8 Honeste ab ejus fœdere & societate receditur, qui communem causam & libertatem opprimere conatur & tentat. *In oratione Mitylenaorum.*

9 Non præter ærarii facultates exercitus alendus, aut conscribendus. *De Atheniensibus, qui ærarium numero navium nimio exhauserant.*

10 Ad eruptiones ex obsesso oppido faciendas maxime idonea nox tempestuosa, & illunis, eaque observanda à ducibus. *De Plataensium eruptione.*

11 Auxilia ad certum diem vel tempus obsessis promissa, & non præstita, seu missa, majorem promittentium contemptum gignunt, & justam se dedendi, paciscendique cum hostibus occasionem sæpe dant obsessis. *De Lacedæmoniorum quadraginta navibus nimium tardis in ferendo Mitylenæis auxilio.*

12 Omnes

12 Omnes à se alioqui benevolos futuros abalienat in bello, qui inermes æque atque armatos trucidat: qui nihil mali de suo adventu suspicantes pro hostibus tamen habet, & crudeliter tractat. *Legati Anaorum Samiorum ad Alcidam.*

13 Melius agitur cum civitate, in qua legibus, licet haud ita æquis, paretur; quam cum ea, in qua sunt quidem leges æquissimæ, sed quibus vel non paretur omnino, vel pro libitu tantum cujusque. *In Cleonis oratione.*

E. Hinc Agesilaus rex Spartanorum interrogatus à quopiam, quamobrem Spartana Respub. præ cæteris, secundis rebus floreret. Quoniam, inquit, subditi plus cæteris in hoc se exercent, ut pariter imperare, & legibus parere sciant. Quæ duæ res à civibus excludunt seditiones, & tuentur concordiam.

14 Tres Reipub. cladium causæ: nimirum, nimia in pecantes lenitas: nimia otii & voluptatum fruendarum ac retinendarum pertinacia & libido: nimia denique inanium oratorum licentia & autoritas, qui nos verbis potius demulcent & audaces faciunt, quam factis & re tutos præstent. *In oratione Cleonis.*

E. Sic Dio lib. 38. Plurimos Cicero dictis læserat, nec tantum apud eos quibus profuerat, favoris habebat, quantum eorum, quos offenderat, animos à se abalienaverat. Plerique enim mortalium propter offensas facilius indignantur, quam beneficiorum causa gratias habeant. Itaque Cicero acerbissimos sibi inimicos paraverat, dum libertate dicendi in omnes immodica uteretur: quippe qui magis facundi ac diserti, quam viri boni nomen venebatur.

Hinc sub Nervæ imperio recte illud fuit jactatum. Malum quidem esse sub principe vivere, sub

ſub quo nihil liceat, ſed pejus, ſub quo omnia licent. & Cleonis apud hunc authorem hoc eodem libro apophthegma recitatur, Miſerationē, blandiloquentiam, & nimiam lenitatem, tres eſſe calamitatum Reipub. cauſas.

15 Hoſtes ſæviſſimi eſſe ſolent, qui nulla injuria laceſſiti ad nos perdendos veniunt. *Ibidem.*

16 Quanquam ſubditi aut ſocii rebelles ſunt puniendi, non tamen ea pœna, quæ vel eos ad deſperationem adigat, vel aliis, ſi nos offenderint perſuadeat, nos ſemel offenſos implacabiles fore, ac proinde nihil æqui à nobis impetrari poſſe, denique cunctis mortalibus nos odioſos reddat. *In oratione Diodoti, & revocato edicto Athenienſium contra Mitylenæos.*

E. Hinc egregium & immortali laude dignum Aureliani Auguſti factum prædicatur, qui cum urbem Tyana obſideret, juratus ne canem quidem militares gladios evaſurum, ſi urbem expugnaret, urbe capta cum ad crudelitatem improbi milites illum exacuerent, canes ad unum mactari juſſit. Vopiſcus in Aureliano.

17 Semel ſeditione irritatos animos quanta mala conſequantur, docet exemplum Corcyrenſium: & poſtea *libro quarto* eorundem factum.

18 Ad tollendam ſeditionem ſunt illius autores utrinque licet pauci, puniendi: *Conſilium Nicoſtrati Athenienſis ad Corcyrenſes:* cæteri paulatim ejiciendi.

E. Sic Angliæ conſuetudo fert in præliis belli duces ac nobiles interficere, ſervata multitudine Comin. lib. 4. Hinc vulgatum illud profluxit proverbium. In *Engelant vvaſſen die grote Hern tegen die byle op.*

Sic cum paſſim in Germania ruſtici turbulentos

tos & horribiles motus excitarent, & contra magistratum insurgerent, denegantes illi tributa & vectigalia, intra tres fere menses armis à Principe Saxoniæ et Duce Hassiæ sunt domiti, ita ut supra centena millia hominum ceciderint in conflictu. Dux factionis hujus & seditionis rusticorum Thomas Monetarius, alias Munzerus; & socii ejus plerique capti sunt, & capite truncati, pœnas sui impii flagitii dederunt, anno 1525.

19 Seditionis initia sunt periculosissima, quæ nisi exstinguantur, ad alias ejusdem Reipub. urbes atque etiam sæpe vicinas emanat. *De Corcyrensium seditione, quæ alias quoque Græciæ civitates turbavit.*

E. Sic Iohannes quidam pastor pecorum, dictus Nicolaus Hausen in Franconia, qui persuaserat populo, vectigalia & tributa non esse persolvenda magistratibus, aquas & nemora ad venandum & piscandum esse omnibus hominibus libera, quem triginta hominum millia sunt consecuta, ne tumultus ille latius serperet, juste ab Episcopo Herbipolēsi est combustus, anno 1476.

20 Quibus in locis & provinciis alii populo, alii optimatibus favent seditiones exoriri necesse est. *De Græcis seditiones propterea moventibus.*

21 Civila bella hominū mãsuetā prius naturam efferant, & vitia crudelitatemq;, in fortitudinē, & virtutum nomina magno errore commu.āt. *Thucydidæ in descriptione seditionum Græcie.*

22 In bellis civilibus perfidia maxime viget, insidiæ, crudelitas, Dei contemptus. *Ibidem.*

E Hujus veriloquii notabile exemplum apparuit in Philippo de Croy Principe Chimaico, qui cum ambiret gubernationem Flandriæ, simulabat se omnino addictum reformatæ religioni, quam aperte frequentando sacras conciones & cœnæ



cœnæ Dominicæ participando, profitebatur. Ad hæc amplius quam centũ Pontificios urbe Brugensi ejiciebat. Tandem cum hæc omnia simulate & fraudulenter egisset, præcipua urbe Flandriæ Brugensi dedita ad hostes defecit, & religionem Pontificiam est amplexus. Demetr. lib. XII. Hist. Belg. Vnde natum in Belgio adagium. Ne Croye pas à la Maison de Croy.

23 Civilia bella maxime excitat avaritia, ambitio, & suæ partis tuendæ studium etiam inane, & ostentatorium.

24 Iam bello occupatis & laborantibus bellum aliud & quidem longinquum minime suscipiendum. Nam susceptum causam ruinæ affert. *De Atheniensibus Siculum bellum cum Peloponesiaco suscipientibus.*

25 Alienis consiliis alienoque ductu non est temere & facile cum exercitu pergendum Duci, in loca ipsi ignota, nisi validus sit ipsius exercitus, & reditus rationem sibi prius plane compertam habeat, itemque à duce viæ, obsides habeat. *De Demosthene in Ætolos persuasu Messeniorum irruente.*

26 Celeritas Ducis in bellis & in exequendo, magna commoda affert. *De Eurylocho & Atheniensibus Cytheram, & Thyream occupantibus.*

E. Hujus præcepti illustre specimen edidit Illustris ac Generosus Comes Mauricius, Princeps Auraicus. Cum enim anno 91. primum Zutphaniam ac deinde Daventriam mense Iunio armis occupasset, ac deinde ab eo capta esset urbs Flandriæ Hulsta circiter 26. Septembris, mox castris inde motis Delfziel in Frisia munitum propugnaculum, præterea obsedit Noviomagum, quod 22. mensis Octobris se in potestatem Comitis Mauritii tradidit, ut jure meritoque inde

cogna-

cognominatus sit Aquila volans & fulmineus terror Belgii. Similiter Alexander Magnus interrogatus quomodo potitus esset Græcia, respondit μηδὲν ἀναβαλλόμενος id est, Nihil differens seu procrastinans, quod alii Iulio Cæsari adscribunt.

27 Hostibus conflanda apud omnes quanta potest maxima invidia, maxime ea, qua sociorum desertores videri possint. *De Demosthene Lacedæmonios solos dimittente; Ambracios retinente,*

28 Ne auxiliares populi, qui jam sunt nobis formidabiles, aut graviores hostibus, sedem firmam apud nos, & in locis vicinis habeant, cavendum est. Itaque quam primum illi sunt honeste cum præmio à nobis dimittendi. *De Acarnanibus qui Ambraciam expugnari ab Atheniensibus noluerunt.*

29 Spolia hostium & manubiæ, ex æquo, vel ex pacto sincere inter nos & socios belli sunt dividendæ, magnæ enim rixæ solent inde oriri. *De Ambraciorum spoliis divisis inter Acarnanes, & socios Athenienses.*

EX LIBRO QVARTO

THUCYDIDIS.

1 HOSTI ut sese in nostro agro, aut in vicino muniat, minime concedendum; sed est inde primo quoque tempore, & ante confirmatas vires dejiciendus. *De Pylo oppugnata à Lacedæmoniis, sed non statim. Postea de Isthmo Nethonus occupato ab Atheniensibus; Item de Cythera insula.*

2 In rebus deploratis audacia militibus potius quam

quam consilio opus est. *In oratione Demosthenis ad milites.*

3 Pax tuta, cuivis bello, etiam justo, est præferenda; adeo ut ne magnæ quidem alicujus prosperitatis inexspectato eventu recusari debeat oblata. *In oratione Lacedamoniorum apud Athenienses, & in oratione Hermotimi.* Bella enim ut inquit Cicero lib. 1. Offic. eam ob causam suscipiuntur, ut sine injuria in pace vivatur. Et Martianus Imp. dicere solebat Dum in pace licet vivere, non decet Principem arma sumere.

4 Benevola reconciliatio animorum facit diuturniorem pacem, quam plerumque unius partis victoria. *In oratione Lacedamoniorum ad Athenienses.*

5 Hominum multitudinem ad bellum aut pericula concitantium, optimum frenum est, si ipsimet in ista pericula ac bella deducantur & objiciantur, fiantque eorum ut cæteri participes. *De Cleone misso Pylum.*

6 Seditione semel irritati, ac mutuis injuriis lacessiti cives, vix, ac ne vix quidem prius conquiescunt, quam parte una ab altera prorsus exstincta. *De Corcyrensibus. De Megarensibus.*

7 Novas arces & munitiones extruere minime concedendum est subditis. *De Chiorum muro diruto.*

8 Vt pax inter diversas Respub. fiat, ut plurimum oportet quamque cedere de suo jure. *In oratione Hermotimi.*

9 Quibus aliena auxilia ad bellum gerendum sunt accita, aut necessaria, iis pax maxime est quærenda, & oblata acceptanda. *In oratione Hermotimi.*

10 Turpe est, si quæ Respub. ut aliam ulciscatur, acceptamque injuriam vindicet, ipsa in majorem

majorem quam alii paret, calamitatem incidat, aut se det præcipitem. *In oratione Hermotimi.*

11 Ne colloquiorum de pacis prætextu proditiones urbium tententur, fiantque inter collocutores, maxime cavendum est. *De Megarensibus.*

12 Ne qua noctu fiat portarum apertio ullis ingressuris, nisi prius illi quotiescumque ingrediuntur, qui, qualesve sint semper, diligenter explorentur. *De navigio Megarensium, quod carro vehebatur.*

13 Alio properantibus curandũ ut quam amicissime fieri poterit, per vicinos pacato trãsire liceat: Itaq; & in iis præoccupãdis, & in ipso transitu festinandũ. *De Brasida Thessaliã transeunte.*

14 Ad imminentes nobis hostis vires avertendas, bellum in ipsius hostis solum transportandum. *De Brasida in Thraciam misso.*

E. Ita factum anno 99. cum Ordines confœderati Belgicarum Provinciarum classem munitam instruere cœperunt ad debellandam Indiã, duce Viro strennuo & nobilissimo Viceadmiralio Hollandiæ Petro Verdoesio. Factum item traducto eorundem Ordd. exercitu in Flandriam anno seq. Denique idem factitatum anno 1604. cum Ordinum exercitus armis & fame expugnaret Slusam urbem maritimam Flandriæ, in hostium fere conspectu, qui jam amplius quam biennali obsidione urbem Ostendanam cinxerant & oppresserant.

15 Quum hostis nobis imminet, est tunc à servitiis & prius suspectis subditis maxime cavendum, & ne quid illi moveant moliantur-ve inter se collecti. Quamobrem sunt, vel in diversa et insueta illis loca diducendi, vel certis locis separati custodiendi. *De servis Lacedamo-*

dæmoniorum Pylo capta in Peloponeso.

16 Vt quisque populus, vel privatus maxime se dignum libertate & immunitate putat, ita maxime insidiatur ei, qui in servitutem se abducit, aut opprimit, & ut primo quoque tempore ab eodem deficiat, occasiones quærit. *Ibidem.*

17 In duce peregrini exercitus virtus & continentia; & in ipso quoque exercitu peregrino modestia conciliat tum utrisque, tum etiam toti genti eorum favorem in quorum regione & oculis sic versantur. *De Brasida conciliante omnes Lacedæmoniis.*

E. Sic Scipio cum capta Carthagine formosissimam Celtiberiæ Principis uxorem marito inviolatam reddidisset, nulla vi maximam Hispaniæ regionem Pop. Romano subjecit.

Similiter Cæsar in militum seditione dicere solebat, Malo modestiam in milite, quam virtutem & fortitudinem.

18 Facile obruuntur à quibus jam grave bellum sustinetur, ac susceptum est, quum se eodem tempore aliis & pluribus bellis implicant ambitiose. *De Brasida conciliante sibi Archibaum, non oppugnante.*

19 Vel sola fama de nostro in libertate oppressis restituenda studio & conatu benevolentiam omnium nobis in bello conciliat, & multos socios adjutoresque adjungit, multoque magis res ipsa, id est, libertas oppressis re ipsa reddita. *In oratione Brasidæ ad Acanthios.*

20 Fraus in principibus fœdior est quam violentia. *In oratione Brasidæ ad Acanthios,*

E. Exemplum notabile in Duce Albano deprehensum est, qui insidiose Philippum Hassiæ Ducem cœpit, cum scriberet ad eum, ut Halam Saxoniæ ad Imp. veniret supplex sine ulla captivita-

vitate, vulgo *ohne einige gevenkniß*, postea i & *n.* mutavit in *vv.* pro verbo *einig* posito *evvige*, & cum dux Philippus Lantgravius Hassiæ præter opinionem captivus detineretur, ac hoc nomine graviter increparet Lantgravius Ducem Albanum, pro innata Hispanis versutia ac perfidia respondit, se scripsisse ut ad Imp. veniret *ohne evvige gevenkniß*, non *einige*.

Similis fere perfidia commissa est à Comite Bossuvio in Hollandia Roterodami. Cum enim impetrasset transitum cum suo exercitu per illorum urbem, sub ea conditione, ut non plures quam 50 milites simul transirent, & bombardas vacuas gestarent. Ille contra datam fidem totum exercitum Hispanicum armatum vi in urbem, simul introduxit, & fere ad quadringentos cives violenter perfideque contra fidem promissam occidit. Anno 1572. 9. Aprilis.

21 In stratagemate dierum aut locorum pactorum error plurimum obest, totumque stratagema reddit periculosum, vel inutile. *De rebus Bœoticis.*

22 Postquam insidiæ detectæ sunt, iis quoque quiescendum est, qui nondum noti sunt ac detecti. *Ibidem.*

23 Vbique detrectatio certaminis & prœlii à nobis facta reddit hostem audentiorem. *In oratione Pagondæ ad milites.*

24 In certamine seu prœlio auxilium quantumvis exiguum ex insperato pro nobis hostibus ostentatum, vel in eos irruens, etiam eos victores in fugam vertit. Nam formidolosiores sunt hosti qui pugnæ interveniunt, quam ipsi qui pugnant, *De victis apud Deum Atheniensibus. Et lib. 5. in Oratione Brasidæ ad milites.*

25 In bello multa condonanda quæ contra

leges domesticas necessitate belli urgente perpetrantur. *In responso Atheniensium ad Bœotios.*

26 Æquæ deditionis conditiones iis proponendæ, quos statim in potestate habere volumus: Sunt autem eæ conditiones æquæ, quæ & illis manentibus in sua sede libertatem ac bona concedunt: & abire volentibus liberam abeundi quocunque voluerint cum suis rebus intra certos dies veniam permittunt. *In pactis Brasidæ cum Amphipolitanis.*

27 Vbi oppidum aliquod nostrum ab hostibus captum est, sunt vicina loca, ne itidem capiantur, milite extraordinario ac majori præsidio firmanda ac custodienda. *Thucydide muniente Eionem.*

28 Diu oppressos sollicitat ad defectionem imperium alterius potentis Reip. mitius ostentatum. *De Torona & aliis civitatibus ad Brasidam deficientibus ab Atheniensium imperio.*

29 Fœdifragus non est qui subditos hostis sui ad se desciscentes recipit, antequam de propositis fœderibus sit plane conventum. *De Brasida Sciona recipiente.*

30 Imperatorem prudentem in bello, non tam de novis oppidis occupandis, quam de occupatis firmandis ac retinendis solicitum esse oportet. *De Brasida post Mendam captam.*

31 In receptu ex prœlio faciendo, qui maxime constanti animo sunt, facilius tutiusque se recipiunt ac servant. *De Brasida Illyrios sustinente.*

32 Quandoquidem strenuitas in bello Regibus ac Principibus ignavis ac timidis est invisa, de industria strenui duces ab illis deseruntur, vel in rebus gerendis impediuntur. *De Perdicca deserente Brasidam, & ad Athenienses deficiente.*

33 Ducis

33 Ducis aut exercitus peregrini, cui se populus ultro recens dedidit, sævities aut durius statim imperium, imo vel solum aliquod dictum factumve acerbius facile impellit eos ad excutiendos novos dominos, & ut prius imperium à se abdicatum requirant, facit. *De Polydamida, & Mendensibus.*

34 Deficientes socii, aut subditi, à nobis sunt statim oppugnandi ac recipiendi, dum nostri metus adhuc apud eos durat, & priusquam alieno cuipiam imperio assueverint, idemque dum nostri memores ac fautores aliqui inter eos adhuc supersunt. *De Atheniensibus in Mendenses, Scionaeos, Amphipolitanos deficientes, expeditionem suscipientibus.*

35 Vt subditi quos suspectos habemus, in officio ac pace contineantur, sunt muris, fossis ac propugnaculis omnibus spoliandi. *Thespensium muri à Thebanis diruti.*

E. Sic Enscheda & Ootmarsia oppida Tvventiæ ab Illustri Comite Mauricio Nassovio armis ab hoste erepta, ne facile iterum ab hostibus occupentur, consilio Ordinum Transisulaniæ muris portis ac fossis spoliata sunt. Anno 97. Idem factum est in comitatu Zutphaniæ in oppido Lochemio, & Doetecum. Denique anno 1627 capto oppido Oldensalio in Tvventia à Generoso & Illustri Comite Ernesto Nassovio in urbe portæ & muri disjecti & ad solum fere sunt dissipati. quod etiam in munitissimo propugnaculo dicto arce Linga in Tuentia accidit.

EX LIBRO QVINTO THUCYDIDIS.

1 IN bellis qui prius instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditatis eripit, & metum injicit. *De Atheniensibus post fœdera paratissimis.*

E. Accidit anno 1600. Cum Generosus Comes Mauritius Nassovius ante propugnaculum Sant-Andreanum citius exercitum produxit, quam Archidux Austriæ Albertus copias suas in campum produceret: quo & potitus est XI. Maj.

2 Hostis nunquam contemnendus, quantumvis timentis speciem præ se ferat. *De Cleone Amphipolim obsidente, & Brasida vires contemnente.*

3 Postquam clades & calamitates ultro citroque fuerint acceptæ, etiam qui prius irreconciliabiles, obstinati & superbi erant, ad fœdera mutua paciscenda facile inducuntur. *De fœderum, quæ inter Lacedæmonios & Athenienses facta sunt, caussis.*

4 Insperatæ inusitatæque clades acceptæ subditos & socios ad rebellandum desciscendumque facile movent. Itaque tunc pace potius, quam bello ad eos in officio continendos est opus. *Ibidem.*

5 Duces exercitus, & Primores Rerumpublicarum semper sunt belli tempore multorum invidiæ & calumniæ obnoxii, propter detrimenta quæ privati, & quidem multi tunc accipiunt, itaque non sunt tunc privatorum querimoniæ adversos eos pro justis criminibus audiendæ, vel ij propter eas à munere deponendi. *Ibidem.*

6 Fœderum illibatorum conservandorum optima

optima expeditissimaque ratio est, si ab iis qui fœdera paciscuntur, commune aliquod concilium, quod de eorum inter se controversiis postea cognoscat & judicet, communi consensu constituatur. *In fœderibus Atheniensium, & Lacedæmoniorum. Item Amphyctiones.*

7 In fœderibus paciscendis, non tantum ipsis bellorum primis auctoribus & ducibus populis, verum etiam eorum sociis utrimque cavendum est, et consulendum, ne illi vel inter se conciliati bellum adversus paciscentes moveant, vel se ad alios utrorumque hostes adjungant: atque ita hæc fœdera tandem irrita faciant, aut inutilia. *De Lacedæmoniis qui in suo cum Atheniensibus fœdere, sociis non satis caverunt.*

E. Hoc accidit in fœderibus pacis inter Henricum II. Galliarum Regem, et Philippum II. Hispanorum reges initis. Hisce enim pacis fœderibus et capitulis, non solum inter hosce duos Reges firma pax contrahebatur; sed etiam sub ista pace comprehendebantur multi alii vicini principes et duces, puta Dux Sabaudiæ, dux Lotharingiæ, Dux Clivensis et Iuliacensis, et multi alii proceres et Principes, Galliæ, et Germaniæ.

8 Principum potentiorumque populorum opes, fides et auctoritas infirmioribus sociis suspecta semper est, ne se in servitutem redigant, sed tunc præsertim qdum iidem illi potentiores populi sese cum suis hostibus, vel aliis validis populis reconciliarunt atque fœdus inierunt. *De caussa cur Peloponenses desciverunt à Lacedæmoniis.*

9 Fœdera inter Respublicas eadem gubernationis forma utentes sunt commodissima et maxime ineunda: inter populos autem, aut Respublicas, quæ diversam à nostra formam habent,

non sunt tam firma & commoda. *De Bœotiis Argivorum fœdera recusantibus, & Argivis Atheniensium societatem Lacedamoniacæ præferētibus.*

E. Sic firmum & utilissimum fœdus inierunt Argentinenses cum Helvetiis. Quia enim forma Reip. dogmatibus religionis, simpliciore vestitu cultuq; corporis valde inter se conveniunt, fœdus inter se inierunt, ut si religionis vel doctrinę causa aliqui ex illis vim patiantur, mutuo sibi auxilia ferant, & à se suisque confœderatis vim injustam depellant. Decretum & sancitum hoc fœdus in annos xv. Anno 1530. Ianuarii die quinto. Sleid. lib. 7. comment. Porro fœdera inter Reges & Respub. inita non sunt admodum tuta, firma, & valida. Sic enim scriptum reliquit Polybius, Regum & liberarum civitatum res inter se sua natura pugnant. Et rara est inter se Regibus, & Liberis civitatibus concordia ut inquit Demosthenes.

10 Qui ex pacto, vel sorte prior implere fœdera tenetur, si non implet, non sunt eidem fœdera illi servanda à nobis. *De Atheniensibus qui Lacedamoniis juste non servarunt fœdera.*

E. Hosti à conditionibus & pactis fœderis prius discedenti, fides non est servanda. Siquidem tunc hæc vulgata sententia locum habet, Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Quamobrem Hieronymus ad Nepotianum, Oratoris Domitii dictum ad Philippū celebrat, Quando tu non habes me pro Senatore, nec ego te pro Consule habeo.

11 Perfidi ac fœdifragi aliqui ex eo esse vel intelliguntur, quod multis technis & commentitiis prætextibus se suaque consilia simulant dissimulantve, & vehementer laborāt ne ea depręhendantur, quæ tamen jam ex effectis & ex parte innotescunt. De *Lacedamoniis qui fœdera cum*

Athenien-

Atheniensibus facta fœdis artibus utentes fregerunt.

12 Vel unius hominis potentis atque apud populum vel Principem gratiosi publicus contemptus & ignominia sæpe totam Rempublicam turbat & commovet, imo etiam in discrimen adducit: ac proinde nemo, qui tantus est, temere & absque occasione manifesta est irritandus. *De Alcibiade contempto à Lacedæmoniis, & propterea excitante in eos populum Atheniensium.*

13 Autoritati potentum ac gratiosorum in Repub. hominum multum detrahit, si de iis multum Reipublicæ polliceantur, à quibus nihil tamen postea impetrant. Itaque sobrie est illis de aliis prommittendum. *De Nicia multa de Lacedæmoniis pollicente.*

14 Magna & intestina bella in omnes vicinos tandem sparguntur per antegressas duorum duntaxat vicinorum primum inter se proritationes, & injurias. Quibus proinde mature obviam ab aliis vicinis eundem est, nimirum constitutis qui jus utrique parti irritatæ & sese armanti dicant: Denique curandum vicinis populis, ut pax inter vicinos colatur. *De Lacedæmoniis & Eleis; Argivis & Epidauriis ultro citroque sese irritantibus.*

15 Nutantes & de defectione aut bello cogitantes subditi aut socii præveniendi sunt, nimirum aut in eos juste suscepto bello, aut iis ipsis ad diversas cogitationes distractis, & ad bella externa abductis.

16 Acies instructæ consiliaque de prœlio committendo ut temere non suscipienda; sic non temere mutanda & deponenda. Deponuntur autem & suscipiuntur temere, nisi ex Reipu-

blicæ quæ alit exercitum, consensu , ac ducum exercitus præcipuorum consilio id fiat : Atque inde vel magna sequitur in duces ipsos invidia , vel rei bene gerendæ occasio prætermittitur. *De Agide solo paciscente cum Argivis : item Trasyllo* Argivo *cum Lacedæmoniis.*

35 Non modò difficilis est, verum etiam parum diuturna quæ fit ex una forma in aliam mutatio Reipub. nisi firmissimis præsidiis nova illa forma constituta muniatur, ut illi paulatim cives assuescant. *De Argiva plebe ejiciente Aristocratiam.*

18 Tam verum est justitiam in bellis suscipiendis requiri, ut ij etiam qui bellum ambitiose aut avare aliis inferunt , ac proinde injustum, iidem prætextum tamen sui cœpti justum captent aliquem , nimirum suam utilitatem definientes esse justitiam. *In disceptatione Atheniensium & Meliorum.*

19 Crudelis est semper eorum qui serviunt in dominos suos victoria: Itaque totis viribus ea semper propulsanda est & impedienda : æquior autem esse solet sociorum in socios aut parium in pares dominatio.

E. Sic in bello rustico in Germania seditiosi rustici , Ludovicum Comitem Helfesteinium crudelissimo supplicii genere necarunt, & hastis utrinque projectis confoderunt. Quod scelus tanta inhumanitate patratum est, ut conjugem ejus Maximiliani Imp. notham filiam , ad illorum pedes projectam, & ulnis parvulum infantem tenentem, pro marito supplicantem, atrociter & superbe rejecerint.

EX

EX LIBRO SEXTO THUCYDIDIS.

1 CVm de quovis bello suscipiendo prudenter & diu deliberandum est; tum vero præsertim de eo quod est & longinquum et periculosum: id est, quod adversus validum ac bellicosum hostem & à nobis procul remotum gerendum est. *De bello Siculo diu deliberato.*

2 Amentia est, eos adoriri, quos neque victor in officio retinere possis, et ad quos postea ab iis semel victus regredi non possis. *In oratione Niciæ ad Athenienses.*

3 Vt quævis clades remotissime accepta est; ita maxime horribilis censetur, et conservat eos qui acceperunt.

4 Extranei auxilium societatemque à nobis petentes ut plurimum de se, suis opibus, suaque potentia, & fide strenue mentiuntur; Itaque nisi prius res eorum à nobis fuerint exploratæ, iis non est credendum. *In oratione Niciæ.*

5 Is optime imperat, qui de Repub. cui præest, optime meretur, saltem qui sciens prudensve nihil illi nocet consilio vel facto.

6 Invidiam et exitium sibi statim conciliat, præsertim in democratico statu, & accersit, qui quamvis alioqui strenuus et utilis Reipublicæ vir sit, tamen præter cæteros coæquales suos nimia vestium, victus, apparatusque reliqui ostentatione et lautitia utitur, ac proinde anteire illos velle videtur. *Alcibiadem hæ res perdiderunt.*

E. Sic Alcibiades cum apud suos esset in honore, & ambitiosius quam pro modo facultatum viveret, cum in aliis sumtibus, tum præcipue

pue

puc quos in alēdis equis faciebat, magna ex parte civitatem Atheniensium evertit. Multi enim cum intuerentur, nimiam ejus in cultu corporis victuq; lautitiam, & quibuscunque in rebus versabatur, spiritus magnitudinem, ei tanquam tyrannidem affectanti hostes extiterunt. Thucyd. lib. 6.

7 Imperium eorum latissime extenditur, qui aliis auxilium petentibus, statim & impigre succurrunt. *In oratione Alcibiadis.*

8 Respub. nimio ocio ac felicitate fruens, facile, tum domi sanctos mores pristinos; tum etiam foris & in bello, strenuitatem amittit. Vere enim inquit poeta Ovidius.

Lnxuriant animi rebus plerunque secundis
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Cui consonat verissimum illud Adagium Belgicum in weeld stet tho. *In oratione Alcibiadis.*

9 Qui ratione à periculoso incepto revocari non possunt, iidem sæpe sumptuum proposita magnitudine, & apparatus immensitate ac ostentatione deterrentur, ac revocantur.

10 Hosti invadere volenti, si ultro ipse occurras, & tuis animos addis, & hosti detrahis. *In oratione Hermocratis ad Syracusios.*

E. Hoc fœliciter tentavit Illustr. & victoriosus Comes Mauritius Nassovius contra exercitum Hispanicum. Cum n. Franciscus Mendoza Admirantius Arragoniæ & Castiliæ supremus ductor exercitus Hispanici instructissimum exercitum haberet ex viginti octo millibus militum conflatum ille cum suis copiis tantum septē millibus militum constantibus illi obviam, prodiit, & circa oppidulum Cliviæ Eltenā per aliquot horas paratus in acie stetit, hostem ad pugnam provocans,

vocans, sed hostis metu & consternatione perculsus, cum illo confligere recusavit. anno 1598.

11 Democratiæ fundamentum est, oportere totam civitatem, non autem illius partem dunraxat, in consilium de rebus publicis admitti: itemque populum, postquam audierit esse judicem deliberationum publicatum. *In oratione Athenagoræ.*

12 Exploranda quæ nunciantur.

13 Præstat se ex vano metu & rumore adversus pericula præparare, quam ex nimia securitate, & hostium contemptu imparatum ab iis opprimi. *In oratione Magistratus ad Syracusanos.*

14 Male auxiliares suos ad pugnandum & persistendum animant ii, qui eos, in ipso eorum adventu & rerum principio, frustrantur & deludunt. *De Egestanis qui Athenienses deceperant.*

15 Omnis exercitus extraneus maxime statim in ipso adventu & initio est terrificus: ergo primo quoque tempore est illi adversus hostem eundum, ac prœliandum; ne si terror isto mara diuturna evanuerit, hostes animum recipiant, & in eum audaciores fiant. *Consilium Lamachi tertii ducis Atheniensium, postea reipsa comprobatum. lib. 7. De Gylippo. De Demosth. libr. 7.*

16 Sæpe ex turpibus causis magnorum & pulchrorum tamen facinorum occasiones natæ: quocirca sæpe prudentibus viris est iis abutendum. *Pisistratidarum tyrannus ab Aristogitone ex urbe Athenis ob amorem fœdum expulsa.*

17 Conjuratio nisi & paucis consciis & quamprimum executioni mandetur, facile detegitur.

tur. *De Hermodii & Aristogitonis insidiis detectis.*

18 Tyrannidis inchoantis & gliscentis initia & diligenter perquirenda, et quamprimum exstinguenda, ac severe nemine tamen injuste damnato punienda. *De Atheniensibus, qui de Hermis fractis inquisitionem severam instituerunt.*

E. Vnde recte quoque Valerius Publicola legem statuit apud Romanos fas esse, Plutarcho authore, tyrannidem apperentem indemnatum opprimere, percussorique immunitatem à cædis crimine fore.

19 Violatæ religionis prætextu sæpe in viros bonos et Reipublicę utiles ac egregios (quoniam alia occasione everti non possunt) insidiæ & criminationes magnæ et falsæ struuntur ab inimicis, quæ proinde non sunt facile admittendæ. *De Alcibiade hoc crimine falso accusato & oppresso.*

E. Sic Albertus Marchio Brandeburgensis violatæ religionis prætextu, involare in Episcoporum vel prælatorum opes se velle asserens, etjam in patriam & proximos Principes grassabatur, facta suo militi ubivis omnia deprædandi facultate. Tandem cum Mauricio Duce Saxoniæ prælium commisit anno 1553. 9. Iulii. Vbi vicit Mauricius, qui tamen manuario tormento trajectus biduo post moritur. Desiderata sunt in eo conflictu ad 4000. plerique equites, & duo Principes Brunsvicenses, Carolus, et Philippus.

Sic Tornaci à Principe de Espinoy summo jure capitis supplicio affectus est Martinus Huttin Graphiarius Regis, qui tempore gubernationis Ducis Albani, multos divites Pontificios subornatis falsis testibus, accusavit hæreseos & rebellionis, qui propterea innocentes extremo supplicio

plicio sunt affecti mortui nihilominus in Pontificia religione & insontes à crimine rebellionis. Idque factum ab eo, ut bona illorum fisco addicta hoc prætextu invaderet.

20 Fallacia, falsa spes, & stratagema quodcumq; facile hosti persuadetur per homines subornatos, illi notos & familiares. *De Cataneis Syracusanos decipientibus.*

21 Apparatus exercitus in speciem ipsam terribilis & solito major terret hostes, et proinde mature ea occasione in hostem utendum est. *In oratione Niciæ ad milites.*

22 In prœliis ac victoriis absque firmo equitatu nullum hosti etiam fugienti, magnum incommodum inferri potest. *De Syracusanis Athenienses victores prohibentibus.*

23 Peditatus quantumvis firmus absque equitatu in prœliis tanquam nudus censetur. *Ibidem.*

24 In ducendo hibernandoque exercitu præcipua commeatus seu annonæ cura ducibus habenda est. *De Nicia se Catanam recipiente.*

25 Imperantium multitudo & turba (licet per vices id faciant) & domi et foris nocet. *In oratione Hermocratis.*

E. Exemplum est in Romulo & Remo primis conditoribus urbis Romæ & Regibus Romanorum. Cum enim Remus murum urbis Romæ à fratre extructum per vim et contemtum transcendisset, Romulus frater ejus vindictam de eo sumens capitis supplicio eum affecit, juxta illud Lucani. Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Eodem modo scribit Guicciard. lib. 8. Bellorum quæ à multis geruntur contra unum, terror major periculo est: cito primi impetus defervēt, cito sententiarum varietate inter eos exorta, fidem debilitari constat. Quod eventus com-

comprobavit verum esse in Germania, in bello à Marchione Ambrosio Spinola gesto contra diversos unitos Principes Germanos. Illi enim nulla re memorabili gesta, & urbibus eorum armata manu occupatis, turpiter pacem ab hoste mercati sunt, & redemerunt, anno 1620.

26 Non est satis, milites ipsos in exercitu & prœliis esse strenuos, nisi & duces habeant intelligentes, & eos quoque ipsos strenuos, & nisi ordo et obedientia simul conjungatur, & servetur à singulis. *Ibidem.*

E. Sic dictum à Chabria Imp. Græcorum. Præstat habere exercitum cervorum duce Leone, quam exercitum Leonum duce cervo.

27 Summos belli duces summo, à quo provocare, aut cui resistere non liceat, præditos imperio esse oportet; ut facilius bella gerant, alios sibi obsequentes reddant, sintque omnia eorum consilia magis arcana. *Ibidem.*

E. Exemplum est in Illustri et Generoso Comite Mauricio Nassovio, cui plena & absoluta potestas exercitum ducendi et belligerandi ab Illustribus Ordinibus fœderatarum provinciarum data et concessa est, ita tamen ut certos Ordinum delegatos sibi in castris adjunctos habeat, quorum consilio et auctoritate in bello gerendo utatur.

28 Optima regionis totius tutandæ adversus extraneos hostes irruentes ratio est syncretismus, id est, quum omnes regionis illius populi & urbes communi consensu ac viribus adversus hujusmodi extraneos conveniunt & pugnant, eosque à suis cervicibus communiter propellere conantur. *In oratione Hermocratis ad Camarinenses.*

29 Ad hostium vires paulatim debilitandas maxime

maxime prodest socios ab iis abducere, vel eos cum sociis suis committere, vel alios aliis suspectos reddere, vel denique meliorem eorum subditis æquioremque conditionem offerre. *Ibidem.*

30 Quo plura quælibet Respub. aut Princeps habet, eo plus occupatur; ac proinde difficilius etiam singulis necessariis prospicit. *In oratione Euphemi.*

31 Maxime hostes terret, qui incommoda ex ea parte et ea ipsa quæ illi iidem maxime timent et formidant, infert. *In oratione Alcibiadis ad Lacedæmonios.*

32 Princeps aut dux hostium quispiam ad nos transfugiens, illis maxime nocet: nam moram paratis ab illis rebus affert, et eorum conatus interrumpit, et consilia patefacit. Itaque ut tales in nostras partes transeant, nullis non conditionibus et præmiis est nitendum. *De Alcibiade.*

E. Hoc experientia comprobavit verum esse in Capitaneo Martino Schenkio, qui ab Hispanis ad Ordines fœderatos deficiens, magnas illis calamitates et damna inflixit.

33 Qui hostis vehementer nocuit, idem ille amicus plurimum prodesse potest. *In oratione Alcibiadis.*

34 Hostes nostros terret si non tantum à sociis nostris bellicosis accipimus milites, sed etiam belli strenuos duces. De *Lacedæmoniis Gylippum mittentibus, & Syracusianis excipientibus.*

35 Celeritas in exequendo, est causa maxima victoriæ, eademque terret plurimum hostes. De *Syracusanorum metu ab Atheniensibus, libr.* 1. *de Gylippo Lacedæmonio.*

E. Sic

E. Sic Annibali cum ad Cannas fœliciter pugnasset, Maharbal præfectus equitum, minime cessandum ratus. Imo inquit, ut quid hac pugna actum sit, scias, die quinta in Capitolio victor epulabere. Sequere cum equite, ut prius te venisse, quam venturum sciant. Præcedant, inquit, Annibal, nuntii, Læta res est, sed via major, quam ut eam statim animo capere possim. Itaque se voluntatem quidem Maharbalis laudare ait, sed ad consilium prensandum tempus opus esse. Tum Maharbal. Non omnia eidem Dii dedere. Vincere scis Hannibal, victoria uti nescis. Livius lib 2. Decad. 2.

Similiter Alexander Magnus interrogatus, quomodo tam brevi temporis spacio maximam orbis partem suo imperio adjecisset, respondit, μηδὲν ἀναβαλλόμενος, id est, nihil procrastinans. Idem Iulius Cæsar dixisse fertur.

36 Prudentis est ducis, ne minimæ quidem rei, quæ hostibus animum addere possit, depellendæ & eripiendæ occasionem prætermittere. *De Nicia Gylippum Lacedæmonium negligente.*

EX LIBRO SEPTIMO
THUCYDIDIS.

1 EST prudentis imperatoris, ubi res & fortuna ejus prospera, manifeste labi multumq; inclinare cœpit, mature deliberare utrum in bello suscepto perseverandum, an potius ob eo desistere debeat. *De Nicia admonente prudenter Athenienses.*

E. Sic Cæsar lib. I. de bello Gallico scribit, Rebus in bello inclinatis satius est, quavis tuta conditione pacem accipere, quam viribus cum valentiore

lentiore pugnare. Sicuti gubernator ubi naufragium timet, jactu quidquid salvari potest, redimit.

2 Naves nimium diu sub dio & in mari retentæ, tum putrescunt, tum etiam ad prœlium (quia sunt humidiores) postea minus aptæ existunt. *De navibus Atheniensium, ex epistola Niciæ.*

3 Temeritas superbiaque populorum injusta bella suscipientium, eos perdit funditus: Æquitas autem & moderatio differentium donec juste id & commode facere possint, eos servat, et tandem victores efficit. *De Atheniensibus temere in bellum Siculum incumbentibus, ac victis: & Lacedæmoniis æquius agentibus, post epistolam Niciæ.*

4 Etiam audaces viros & milites terrent ii, qui illis contra obviam eunt, et ipsi audacter. *In oratione Hermocratis.*

5 Præsidium perpetuum & firmum, quantum fieri potest, in hostili relinquendum, quod regionem vastet, ut & terrorem & damnum hostibus afferat. De *Decelia, & Pylo muris circumdata.*

6 Barbari quibuscumque in locis non timent, sunt sævissimi. De *Thracibus Machærophoris.*

7 In navali prœlio qui nautas aut naucleros occidunt, facile sibi victoriam comparant. Ad eos vero cædendos conducit parvis navigiis peritos jaculatores imponere, qui tempore conflictus navalis eos telis petant. De *tertio Syracusanorum prœlio adversus Athenienses.*

8 Multorum à nobis defectiones sequi solent, ubi aperto Marte insigni aliqua clade victi sumus, nisi quamprimum alius exercitus isque robore firmus comparetur, & hostibus opponatur. De *Demosthene confirmante socios Atheniensium deficientes.*

9 Prœ-

9 Prœlium noctu committere, nisi exploratissimo in loco, tesseraque facili data, ac denique ratione ad receptum victis idonea prius constituta, periculosissimum est. *De Demosthene noctu Epipolas invadente.*

10 Dissolvere bellum mature præstat, & dum adhuc spes aliqua evadendi superest, quam rebus in dies pessum manifeste magis magisque euntibus, omni spe & auxilio vicino destitutos, pertinaciter per miseram ambitionem in bello tamen permanere. *De Nicia obstinato, qui tandem exercitum Atheniensem perdidit in Sicilia.*

11 Qui de victoria præsumens vincitur: aut qui aliis imperare cupiens, eosque superbe aggreditur, si ab iisdem superatur, longe dejectiori turbatioreque est animo, quam qui de sese talia minime præsumpserat. Itaque is facile vel ad iniquas conditiones pacis adducitur, vel omnino profligatur ac internecione deletur. *In oratione Gylippi ad milites.*

12 Quæ & à quibus consilia, sive palam, sive clam suggerantur, diligenter perpendendum; & prius quam fides illis habeatur, dijudicandum; ne pro amico vel salubri consilio insidiosum afferatur. *De Hermocratis in retinendis Atheniensibus stratagemate.*

13 Victis sese recipientibus quam celerrime iter est faciendum, ut loca per quæ eundem est, præoccupent antequam ab hoste teneantur, & usque quo aliquod insuperabile vallum ac interstitium inter se & hostes objecerint, velut flumen, oppidum suum &c. *De Atheniensibus fugientibus.*

14 Superstitiosa tonitruum, eclipseon, cæterarumque rerum naturalium observatio multos

terro-

terrores parit, inanes illos quidem, sed tamen rebus bene gerendis inutiles & noxios, & moras injicientes. *De Nicia plenilunium obscurum observante.* De *Atheniensium exercitu fugiente, & fulgura observante.*

E. Sic Christophorus Columbus Genuensis cum Indiæ populos ad humanitatem & hospitalitatis jura blanditiis pellicere non posset, numinis metum per Lunæ deliquium injecit: prospexerat enim Lunæ (quam Indi summa veneratione colunt) eclipsin brevi futuram. Is igitur Lunam elatis manibus testatus est, eam injuriam non æqua mente laturem, quod se hominem Lunæ amicum, & cultorem à portu, ab hospitio, ab aquis, commeatu & commerciis prohiberent, triduo post Luna deserta lumine barbaros sic terruit, ut summa voluntate Columbi jussa facerent, & eum in Indiam secum commercia exercentem admitterent.

Illud obiter notandum, quod de magnitudine Indiæ Orientalis scribit Guicciard. libr. 6. historiæ Italicæ. Tanta est novi orbis, puta Indiæ Orientalis, quæ à Christophoro Columbo, & Americo Vesputio, primo detecta est, magnitudo & vastitas, ut hoc novo nostro habitabili orbe antea noto infinito latius pateat. Et auro & argento, quod ex fodinis eruunt quintam partem tributi nomine Hispaniæ Regi exolvere coguntur,

EX

EX LIBRO OCTAVO THUCYDIDIS.

MAgnas clades, magna sociorum & subditorum defectio sequi solet: itaque curandum, ut firmis, si fieri potest, tunc maxime præsidiis teneantur: & hostibus aliquid negotii inexpectati objiciatur. *De Atheniensium consternatione & sociorum defectione.*

2 Post magnas calamitates acceptas, sumptus publici privatique coercendi sunt ac moderandi, ut pecunia suppetat ad publica negotia, imo etiam potestas extraordinaria, quæ mature occurrat incommodis, vel potius nova decernenda. *Ibidem.*

3 Defectionum consilia non tantum occulte agitanda, verum etiam quamprimum exequenda, ne deprehendantur, aut impediantur. *De Cios qui ab Atheniensibus fuerunt deprehensi.*

4 Etsi belli initia feliciter non succedunt propterea tamē non est animo statim despondendū & languescendum. *Alcibiades ad Eudium Ephorū.*

5 Vt quispiam Princeps vicinos populos facile superare, aut inter eos à quibus sibi metuit, regnare ac tutus esse possit, sunt discordiæ inter vicinos & eos quos metuit, ferendæ et alendæ, semper illius, qui fuerit potentia inferior, partes adjuvandæ, et adversus superiorem defendendę ac sustentandæ. *Alcibiadis consilium Tissapherni.*

E. Sic Philippus Macedonum Rex Græciam expugnavit, commissis Atheniensibus, Corinthiis, Thessalis. Imo Turcæ rerum potiti sunt nostra vel proditione vel discordia. Quo tempore

pore Byzantium urbs capta fuit, seditionibus omnis Italia redundavit, dum hi Guelfi, illi vero Gibellini dicerentur, Cæsareæ ac Pontificiæ factionis nomina. Sleida.

Sic cum Latinorum & Hetruscorum nationibus plane cognitum esset, Pop. Romanum non nisi à se ipso vinci posse, simultates et odia clam in civitate seri oportere decreverunt. Sic enim Livius lib. 2. Principes Hetruriæ fremebant opes æternas esse Romanorum, nisi inter semetipsos sæviant: id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia essent.

Similiter cum intestinis civilibus bellis Principes Hyorchorum ac Lancastrensium in Anglia exarsissent, non amplius semestri spacio ter amissum ac recuperatum regnum fuit. Bodin. l. 5. de Repub. c. 5.

6 Tempori calamitatique in politicis rebus cedendum est, itaque et prior status Reipublicæ immutari, & antea facta decreta revocari debet, si sic suadeat Reipub. utilitas. *De Atheniensibus Alcibiadem revocantibus, & statum Reipublicæ mutantibus.*

7 In bellis dissensiones ducum corrumpunt, aut inutiles reddunt multas rei præclare gerendæ occasiones: imo etiam sæpe toti exercitui exitium afferunt. *De Pedarito & Astyocho ducibus Lacedæmoniis dissentientibus.*

E. Hujus præcepti exemplum lugubre expertæ sunt Provinciæ Belgicæ anno 87. quo tempore inter fœderatos Ordines Belgii, & Gubernatorem Robertum Comitem Licestrium, item eundem Gubernatorem, & Philippum Comitem ab Hohenlo gravia dissidia gliscebant, quæ multas rei bene gerendæ occasiones impediebant, sed

sed tandem per discessium Gubernatoris Comitis Licestrii in Angliam & resignationem sui officii hoc dissidium compositum est.

Sic Tacitus scribit 14. Annal. Iulius Classicianus Suetonio discors, privatis simultatibus bonum publicum impediebut. Seponendæ igitur æmulationes Aristidis exemplo, qui Themistocli valde adversus, cum tamen una in legationem missi essent, & ad portas urbis venissent, visne ô Themistocle, inquit Aristides, inimicitias paulisper hic deponamus, recepturi eas cum redietimus. Sciebat scilicet rem communem sine communione & concordia animorum nunquã recte administrari. Lips. in not. lib. 3. Polit. c. 6.

8 Vbi ærarium publicum omnino deest, vel est tenue ac invalidum, ibidem rerum præclare gerendarum fundamentum deficit: unde necessario publicum ærarium habendum est, & illud etiam pro magnitudine imperii, & cœptorum consiliorumque ratione copiosum ac locuples. *De Atheniensium ærario post Siculum bellum exhausto.*

9 Præter ordinarium ærarium, quod publicis sumptibus ordinariis sit destinatum, aliud quoque ad extraordinarias clades ac calamitates sublevandas seorsim, sancteque reservatum in quaque Repub. esse oportet. *De Atheniensium mille talentis in casus extraordinarios sepositis.*

10 In oppidis hosti oppositis, & iis quorum obsidio timetur, commeatus pro numero pugnantium, & civium retinendorum ad tempus diuturnum depositus asservari debet: itemque cæteras belli munitiones, ibidem paratas esse, & conservari oportet.

E. Hoc male urbs maritima Flandriæ Slusa observavit. Hujus enim urbis Præfectus, supremo belli

belli duce Ambrosio Spinola frustra monente, cum de commeatu & annona urbi non satis prospexisset, tandem se Principi Mauritio Nassovio, & Illustribus Ordinibus fœderatis post duorum aut trium mensium obsidionem propter famem dedere coacta est. An: 1604. 19. Augusti.

11 Omnis Reipublicæ status ac formæ mutatio, multa secum incommoda trahit, ac proinde periculosa est, subditis molesta, ac seditionum & rebellionum occasionem præbet. *De Atheniensibus Democratiam in Oligarchiam mutantibus.*

12 Curandum est ne foris exercitus à consiliis dissentiat, quæ Resp. domi probat. *De Atheniensium exercitu qui Sami erat, & à Rep Atheniensi dissentiebat.*

13 Vires hostium maxime infringit, qui socios ab illis alienat, aut agros commeatum, aut pecuniam suppeditantes illis eripit. *De Alcibiade Deceliam ab Atheniensibus, & Tissaphernem à Lacedæmoniis avertente.*

14 Qui hostibus valde sunt utiles duces, aut socii, sunt variis modis apud eosdem in suspicionem à nobis adducendi. *De Alcibiade Tissaphernem adducente Lacedæmoniis in suspicionem.*

15 Non tantum vincendum est, sed etiam victoria utendum Duci, imprimis ut perterritis hostibus instet. *Hegesandridas Lacedæmonius fructum victoriæ perdidit cunctando.*

16 Spes prædæ, vel nimius hostium victorum contemptus, sæpe pulcherrimas victorias corrupit, adeoque nonnunquam ex victis victores effecit. *De Peloponensibus & Syracusanis ad Abydum victis.*

EX XENOPHONTIS DE PÆDIA CYRI

Libro primo.


Publius Scipio Africanus tanti libros Xenophontis fecit, tantopere eorum Lectione fuit delectatus, ut eos nunquam è manibus deponeret.

Scipio Africanus libros XENOPHONTIS *de* CYROPÆDIA *nunquam de manibus deponere solet.*

Hieronymus. Xenophontis Libellus Oeconomicus pulcherrimus est Liber, qui non gubernationem villæ, sed dispositionem universæ domus significat.

Cicero in epist. ad Quintum fratrem. Semper Libri de Cyropædia in manibus habendi sunt, præsertim gubernatoribus Reipub. quia nullum in his Libris prætermissum est officium diligentis, justi, & moderati Imperatoris.

LAMBERTI DANÆI SVCCIDANEA OPERA.



RINCIPES qui imperant inique & injuste, ægre sibi obsequentes subditos, aut benevolos habent. *In proœmio libri.*

2 Principes vero recte & juste imperantes reddunt subditos sibi facile obsequentes, ac benevolos. *Ibidem.*

3 Princi-

3 Principem nobilibus natalibus & prosapia generosa ortum, & corpore formosum esse commendat populis: verum recte, à pueritia honesteque, omni virtutis, tolerantiæ, & laboris genere institutum & exercitatum esse, maxime decet ac necesse est. *De Cyro Persarum rege, cui hæc omnia tribuit Xenophon.*

4 Princeps patriis non peregrinis moribus ac institutis à pueritia est formandus. *De Cyro.*

5 In bene moratis civitatibus ætates hominum distinctas esse oportet, ut cuique ætati suus morum præfectus & censor & inspector constituatur. *Sic in Persica Monarchia.*

6 Ingratitudinem ut maximum vitium, etjam in pueris detestantur Persæ.

E. Huc pertinet exemplum relatum à Seneca in lib. de beneficiis. Philippus pater Alexandri M. misit quendam militem cum certis mandatis, in quoddam oppidum. Is fecit naufragium in mari. Inde ejectus in littus, à rustico vicino comiter excipitur. Cum autem aliquot dies recreatus vires suas collegisset, redit ad regem Philippum, & periculum suum in immensum extollit, sed dissimulans beneficium ab hospite acceptum. Petit igitur à rege sibi donari prædium rusticum, tanquam monumentum sui periculi. Rex Philippus ut erat liberalis, promittit prædium militi. Quare cum miles occupaturus esset hospitis sui prædium, rusticus venit ad Regem supplex, & commemorat quantum officium in hunc ingratum hospitem contulit, & deplorat suam fortunam, quod pro suo beneficio expellatur è fundo. Ibi rex retractat suam donationem, & jubet rusticum retinere suum prædium, & jubet in fronte ingrati militis inscribi has literas; INGRATUS HOSPES.

Hinc & Athenis actio adversus ingratos instituta erat, & recte, quia dandi & accipiendi commercium, sine quo vix vita hominum constat, perdit & tollit, quisquis parem gratiam amico referre negligit.

Hinc Cyro nullum frequentius votum fuit, quam ut tamdiu vivere liceret, donec & amicorum beneficia, et immicorum injurias vinceret.

7 Adolescentes ad cibi continentiam, sobrietatem & militares labores ab incunte ætate sunt exercendi, ut strenui evadant. *Sic Persæ suos adolescentes instituunt.* Exempla quoque sobrietatis hæc illustria sunt notanda.

Primo quod Cicero ante Solis occasum perraro cibum sumpsit. Alex. ab Alex lib. 5. c. 22.

Secundo quod Athanasius Episcopus semel tantum in die post solis occasum edebat.

Tertio Calvinus fuit cibi parcissimus, adeo ut multos annos semel quotidie cibum sumserit, somni pene nullius, memoriæ incredibilis.

Quarto Galenum ajunt 120 annos vixisse quod à mensa nunquam satur abierit.

Quinto Chrysostomus ad convivium vocatus neutiquam accedere volebat, quia per se imbecilla erat valetudine & ægre cibaria apposita admittebat. Imo nec ipse ad mensam quenquam vocabat, quod ob assiduum studium ex capite & ventriculi orificio plerumque laborabat. Socrat. l. 6. histor. c. 3. Soz. lib. 8. histor. c. 9.

Sexto Cyrus ille senior Persarum Rex, cum ad hospitem delatus interrogaretur, quid in mensa sibi apponi juberet, solum inquit, pané. Me enim prope profluentem cœnaturum spero.

Vnde Hieronymus vere & recte scriptum reliquit. Persarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta & cardamo, & sale,

ſale, & pane aſſerens eum victitaſſe.

Hic idem Rex Cyrus cum in fuga longam inediam paſſus eſſet, cibario & atro pane refectus dixit, ſe nunquam tam ſapidum panem guſtaſſe.

E. Sic Plutarchus juvenes hortabatur, ut hæc tria habere curarent, in animo prudentiam & doctrinam in lingua ſilentium, & præmeditata verba, in vultu verecundiam & honeſtatem.

Hinc Lycurgus Lacedæmoniorum Dux pueros puberes non in forum, ſed in agrum deduci juſſit, ut primos annos non in luxuria, ſed in opere et laboribus tranſigerent. Nihil in eos ſomni cauſa ſubſternere, & vitam ſine pulmento degere, neque prius in urbem redire, quam viri facti eſſent, ſtatuit.

8 Venationis exercitium plurimum eſt militari labori ſimele. Itaque militaturi ſunt primis ſtatim ab annis aſſuefaciendi venationi. *De Perſarum liberis qui ſic erudiuntur.*

9 In iis qui viri magni futuri ſunt ac evaſuri, apparent ab ipſa ſtatim infantia illuſtria eorum indolis eximiæ ſigna. *Sic in Cyro puero.*

E. Hujus doctrinæ illuſtre exemplũ apparuit in Generoſo juniore Principe Auraico Hẽrico Frederico, qui adhuc puer cũ audiviſſet fratrẽ ſuum Principem Mauricium tot arces oppida & propugnacula ab hoſte occupare, dixit. Quid mihi aliquando ad adultiorem ætatem pervenienti, reliquum manebit, quod ab hoſte capiam. Adhæc cum pueris plerumque ad recreationẽm ludicra quædã crepundia ab amicis & parentibus comparari ſolent, ille ſemper jocularia hęc munuſcula & cruſtula ſprevit, juſſitque gladiolos, pugiones, haſtas, bombardas aliaque arma & inſtrumenta bellica ad hoſtem devincendum neceſſaria ſibi ſubminiſtrari.

Sic cum Erasmus Roterodamus Rudimenta Latinæ & Græcæ linguæ in schola Daventriensi sub Rectore Alexandro Hegio disceret, & ille aliquando Scholasticorum scripta Rodolpho Agricolæ ostendisset, prætulit Rodolphus Erasmi scriptum cæteris omnibus propter inventionis acumen, orationis puritatem, & figuras apte ceu flosculos interspersas. & Erasmo dixit: Tu nisi me fallunt omina, magnus eris.

10 Ebrietas maxime Principes dedecet. *Cyri etiam pueri dictum.* Hinc Alphonsus Siciliæ Rex ab amico interrogatus, cur ebrietatis vitium tantopere damnaret, respondit, quia furorem & Libidinem ebrietatis filios esse haud ignoro. Adde quod scribit Seneca epist. 60. Ebrietas unius horæ longi temporis tædio insaniam pensat. His adjunge, quod tradit Cicero V. Tusc.

Quod ne mente quidem recte uti possunt qui multo cibo, & potione impleti sunt. Huc etiam pertinet, quod senex quidam multo vino repletus, cum suam apud Alphonsum Regem ebrietatem excusaret, dicendo, vinum esse lac senum, respondit Rex, Senum cibus est, Honos, quem Deus immortalis, non Otio, aut Luxu sed multis laboribus & sudoribus hominibus vendit.

Bene quoque Innocent. 3. in c. à crapula de vita & honest. rescripsit, quod Ebrietas et mentis inducit exilium, & Libidinis provocat incentivum.

Propter crapulam quoque inquit Syrach. c. 27 multi obierunt. Qui autem continens est, vitam adjiciet. Hinc illud celebratur apud Germanos proverbium. *Daer verdrinckender meer int Wijnglas dan in de zee.* Plures pereunt gula quam gladio.

E. Ita

E. Ita quoque cum Bonosus Imp. prodigiose bibax esset de eo Aurelianus dicere solet. Non ut vivat, natus est, sed ut bibat.

Hoc pessime observatum est à Cardinale Austriaco Andrea, Vicario Archiducis Alberti, qui strenue poculis sese ingurgitare solet, dum aulam Bruxellis haberet. Quod cum Hispani quidam hostes ebrietatis & plerunque in potu temperantiores ad mensam ejus adstantes vidissent; eum magnum bibonem Hispanice ung grande boratzie per contemtum cognominarunt.

11 Aditus ad Principem non debet esse difficilis. *De Saca damnato à Cyro.*

12 Optima est ejus Principis adolescentis indoles, qui cum aliis certamen de virtute non recusat. *Sic Cyrus in venatione cum æqualibus suscepta.*

E. Sic Charilaus interrogatus quænam esset optima forma Reipub. respondit. In qua plurimi de virtutis laude absque seditione certant.

13 Is facile in societatem adducitur, cui nobiscum commune periculum esse persuadetur. *Sic Assyriorum Rex totam Asiam adversus Medos concitavit.*

14 Belli justi initia à Dei invocatione facienda. *Sic Cyrus profecturus in auxilium Medorum.*

E. Sic Livius. Civitas maxime religiosa in principiis novorum bellorum supplicationibus habitis, & obsecratione circa omnia pulvinaria facta.

15 Optima exercitus legendi ratio est, quum vir virum legit. *Sic Cyrus ducentos elegit, illi alios.*

16 Nemo in bellis strenuus evadere unquam concupivit, solius laudis gratia, sed et commodi quoque sui causa. Quare strenui sunt et honore et præmiis afficiédi. *Cyrus in oratione ad duceno à*

ros à se electos. Itaque fortes in prœlio præmiis honorandi. Sic fertur de Dario Rege Persarum, cum Zopyrus se naribus & auribus mutilasset, ut Dario Babylonem tradere posset, dixisse, se potius malle unum integrum Zopyrũ habere quam mille Babylones, vel se optare tot Zopyros habere, quot grana sunt in malo Punico.

17 Strenui sunt bellatores qui & certandi laborem, et in exercitu famem & sitim, & reliquas belli ærumnas patienter ferre et absque fatigatione magna possunt. *Ibidem Cyrus.*

E. Hoc nomine plurimum commendatur Carolus dux Burgundiæ, qui audax seu bellicosus cognominatus est, potentissimus Christianorum dux sui temporis: cujus res gestas egregie describit Philippus Cominæus. Hic facillime inediam, æstum, frigus, famem, sitim, aliaque incommoda belli optime ferre potuit. *Tandẽ à Duce Lotharingo & Helvetiis ad Nancaium Lotharingiæ oppidũ casus & profligatus est.* anno 1477. 5. Ianuarii.

De hoc ita scribit Cominæus. Duæ res maxime memorabiles, laborum patientia, & robur animi incredibile in eo fuerunt. Militavi sub eo annos septem, nec ullum vidi tempus, quo timoris vel lassitudinis daret significationem.

18 In bellis æquitas justitiaque belli suscepti imprimis & noscenda Duci ipsi, & aliis ab eo proponenda. *Ibidem Cyrus.*

19 Hæc est belli juste suscipiendi causa duplex: nempe si vel injuria jam illata nobis ipsis propulsetur à nobis, vel amicis sociisque lacessitis et petentibus auxilium feratur. *Ibidem Cyrus.*

E. Sic eleganter Ambros. in libris de offic. scribit. Fortitudo quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitia est.

20 Opti-

20 Optimus eſt ille belli Dux et toti exercitui venerandus, qui curat & efficit ne quid neceſſarium ac præſertim commeatus deſit exercitui. *In colloquio Cyri & Cambiſis patris.*

21 Ducem & Principem non cœnæ ſumptu, aut voluptatis fruitione, ſed maxime prudentia & labore in exercitu cæteros præcedere oportet. *Ibidem.*

E. Hujus præcepti vivum exemplum relucet in illuſtri Com. Mauricio Naſſovio, qui in obſidionibus urbium & arcium ipſe primus adeſſe ſolet, ad propugnacula erigenda et foſſata munienda, dirigere et diſponere tormenta bellica, adhæc qua parte potiſſimum hoſtiles urbes aggrediendæ ſint, ordinare, denique omnibus operibus bellicis præeſſe, illaque ſua induſtria & fortitudine heroica regere, et ad bonum optatumque finem ac ſucceſſum perducere conſuevit.

22 Pecunia, quæ non deficiat, paranda eſt ei qui fidum et obſequentem, ſtrenuum, perſtantemque ſecum exercitum habere velit. *Cambiſes pater ad Cyrum.*

23 Milites in exercitu ſunt magis obſequentes in rerū neceſſariarum copia, magis autem ſtrenui dum duntaxat premuntur, non autem prorſus iis deſtituuntur. *Ibidem.*

24 Strenuum militem facit lucri ſpes præſertim magni, certa vel concepta. *Ibidem.*

25 Brevi periturum eſt imperium ejus ducis, cujus culpa exercitus caret rebus neceſſariis et commeatu. *Ibidem.*

E. Sic prudenter Colinius Admiralius Galliæ dicere ſolet. In formando exercitu à ventre incipiēdum, hoc eſt ante omnia exercitui de commeatu eſſe providendum. Thuanus lib. hiſt. 42.

26 Boni exercitus imperatoris munus non in sola acie instruenda positum est, aut locis ad victoriam oportunis capiendis; verum etiam in tuendo exercitu ab inopia, morbis, seditione, ignavia, & eodem ad contentionem virtutis excitando cohortandoque. *Cambysis consilium ad Cyrum.*

27 Castra salubri loco sunt capienda, si quibus in locis exercitus est diutius commoraturus. *Ibidem.*

28 Exercitum nunquam otiosum esse oportet, sed in eo ut vel noceat hosti, vel sibi necessaria paret, vel se militariter exerceat, semper occupatum. *Ibidem.*

29 In exercitu obsequentes præ cæteris milites sunt publicis præmiis à Duce et quidem publice afficiendi. *Ibidem.*

30 Militum obsequium & benevolentiam maxime parat et conciliat Duci ipsius in curandis militum commodis & utilitatibus prudentia, et illius velut communis patris cura & sollicitudo erga milites, eaque toti exercitui nota & perspecta. *Ibidem.* Hinc recte Cicero lib. 5. Tusc. scriptum reliquit, qui non laborat, ut charus militibus sit, animare milites nescit. Humanitas Ducis in exercitu, fulmen adversus hostes est. Iulius Cæsar nunquam dicitur jussisse militibus, Ite illuc, et Venite huc, participatus enim cum Duce labor, persuadetur militibus minor. Concordat cum hoc egregium Philonis monitum, omnibus Principum aulæis inscribendum. Si vis bonus esse Rex, cum fortitudine mansuetudinem et benignitatem serva, ut non formidolosus, sed reverentia dignus tuis subditis videaris. Stobęus sermo. 46.

31 Militum obsequium ac benevolentiam Duci con-

ei conciliat, si una cum militibus ipse militariter cibum capiat, et si in laboribus ac periculis cum illis versetur, et perseveret : imo si plus istarum rerum, quam milites alii, participet. *Ibidem.*

E. Hoc nomine laudatur Iulius Cæsar à Suetonio, dum inquit. Milites semper tanta facilitate tractavit, ut C. Oppio comitanti se per sylvestre iter, correptoque subita valetudine, et in diversorio loco quod unum erat, cesserit, ac ipse humi sub dio cubuerit.

32 Tum maxime cum hoste confligendum est, quum milites quidem non tyrones, sed exercitati alacri animo id postulant, et loci conditio commoditasque nobis favet.

33 Hosti, quacunque ratione fieri potest, incommodandum, vim inferendo, prædando, insidiis, stratagemate grassando; non tamen perfidia et fide data violata, *Cambyses pater ad Cyrum.*

E. Sic novem milites Ordinum Belgii induti vestibus partim rusticis, partim fœmineo habitu, ova, caseum, butyrum, venum adferentes, capiunt munitum propugnaculum Zutphaniense, et sclopetis sub vestibus tectis explosis hostes interficiunt: deinde reliqua multitudo militum in insidiis latens accurrit, et tandem summa vi fortissimum castellum milites Ordinum occupant. anno 1591. 24. Maii, ac denique xxx Maii urbs Zutphania à Generoso Comite Mauricio Nassovio capta et devicta est. Hinc quoque nunquam satis magnifice prædicari potest, insigne illud stratagema Illustris Comitis Mauritii Nassovii, quo nave aliqua cespitum, repleta 70. fortissimis militibus velut equo Trojano, duce strenuo Capitaneo Carolo Heraugierio munitissimam urbem Bredam una cum arce seu propu-

gnaculo anno 1590. tertio Martii fœliciter occupavit.

Similiter Comes Ludovicus Nassovius insigni stratagemate occupavit Montes primariam Hanoniæ urbem. Nam pridie miserat in urbem circiter XII, milites more mercatorum vestitos, qui summo mane hora quarta, portæ urbis custodiendæ præposito pecuniola numerata, portam urbis aperiri curabant, ac prostrato custode portæ, Comes Ludovicus cum 40. militibus urbem occupabat, ac tandem portis occupatis, mille militibus in urbem introductis urbe potitus est. Anno 1572. 24. Maii.

34 Nostri, et socii in bello nulla injuria sunt ab exercitu publice, vel privatim afficiendi. *Ibidem.*

E. Præcipue vero duces belli non irritandi per injuriam. Sic male cessit conjugi Imper. Iustini, quod Narseten jussit ad pensa redire in gynecæo, exprobrans ei mollitiem, quod esset eunuchus. Ipse enim respondit se talem telam exordiri, quam non posset ipsa superba mulier pertexere. Invitavit enim Longobardos in Italiam, quorum auxilio adversus Gothos debellandos usus erat. φ.M. in Chronic. libr. 3. cap. de bellis Narsetis in Italia.

35 Observandum quum hostes sunt imparati, dormientes, frumentantes, securi, iniquo loco positi, ut tunc eos aggrediamur, & qua castrorum, vel exercitus sui parte maxime sunt imbecilles.

36 Simulatio, trepidatio & metus à nobis fictus, facile hostes in insidias, aut audendum quidpiam præter ipsorum vires inducit. *Ibidem.*

37 Nova instrumenta bellica & hostibus ignota ac

ta ac inusitata magnum illis terrorem afferunt: Itaque Duci in id maxime incumbendum, ut nova belli instrumenta inveniat. *Ibidem.*

E. Hoc nomine imprimis & vehementer commendatus est Capitaneus Ordinum Belgii Cornputius, dum inter cæteras bellicas machinas in obsidione & occupatione urbis Steenvvicensis ligneam turrim certis tabulatis ex trabibus proceris confectis extrui curavit; ex qua ita fortiter nostri milites sclopetis in urbem jaculabantur, ut hosti tutum non esset in vallis vel muris civitatis consistere.

38 Milites exercitati & eorum animi alacres, sunt magna victoriæ parandæ instrumẽta. *Ibidẽ.*

39 Imperatoria ars multa exercitatione & meditatione eget, imo diu noctuque fiat assidua.

40 Nec certamen, seu prœlium in bello, nec aliud quidpiam majoris momenti, aut periculi in bello, vel pace, ante invocatum Dei nomen, est à Principe vel Duce tentandum. *In fine libri.*

E. Hoc pium & laudabile institutum religiose observat Generosus Comes Mauricius Nassovius, Nam quoties movet castra in hostem, toties mandat publico edicto in omnibus ecclesiis in fœderatis Belgii provinciis ardentes concipi precationes ad Deum, ut suis conatibus fœlicem largiatur successum & exitum in suscepta expeditione bellica.

EX

EX LIBRO SECUNDO XENOPHONTIS DE PÆDIA CYRI.

IMperatori & suæ & hostium copiæ, quantum fieri potest, sunt cognoscendæ. ut de toto bello melius deliberet.

E. Sic Pericles dux Græcorum dicebat, boni ducis officium esse, non solum ut copias et vires hostium, sed etiam ut consilia, conatus, mores, & ingenium hostium cognoscere possit.

2 In bello et prœlio imprimis spectandum Duci, quæ sua arma hostium armis, & quam exercitus sui partem parti hostium opponat. *In colloquio Cyaxaris & Cyri.*

3 Præmia in bello iis qui erunt strenui ante certamen seu prælium sunt publice proponenda et pronuncianda.

4 In castris est varius exercitus per nationes distinguendus: nationes per vexilla: vexillum quodque cum suo Duce per conjuncta contubernia inter se vicina sub oculis Ducis et commilitonum constituendum.

5 Labores in exercitu assidui faciunt, ut milites sint in eo mansuetiores.

6 Ministri exercitus, ut fabri, medici, chirurgi, tubicines, caduceatores, cornicines, qui machinas vehunt, et reliqui similes; sunt & ipsi quoque strenui à Duce exercitus, uti & strenui milites, honorandi, & ad epulas invitandi. *Exemplum Cyri.*

7 Benevolentiam militum conciliat Duci benigna distributio esculentorum et poculentorum suorum, partitioque ab eo inter milites facta, aut ad eos viritim, vel turmatim è sua mensa missa:

missa: vel ad cœnam eorundem cum Duce invitatio.

8 In acie ne postremi progrediantur, nisi primi, seu anteriores in eodem agmine & turma processerint prius.

9 Ne ordine et in acie dispositi milites omnes id exequantur, quod uni ex illis duntaxat est imperatum et faciendum.

10 Convitia in exercitu & inter milites severe coercenda. Ex iis enim pugnæ et rixæ primum privatæ, post etiam sæpe totius exercitus inter se seditio nasci solet.

E. Sic Memnon, qui Darii exercitum adversus Alexandrum duxit, militem quendam mercenarium suum, qui multis et impuris convitiis Alexandrum proscindebat, hasta feriens: Ego, inquit, te alo, non ut maledicas Alexandro, sed ut contra eum pugnes. Plutar. in Apopthegm.

Hinc laudatur Philippus Macedonum Rex: Cum enim Arcadion acerbissimis convitiis, eum insectatus esset, & consiliarii hortarentur Philippum, ut ipsum interficeret, ipse munera Arcadioni misit. Postea sciscitans, quomodo apud Græcos de se Arcadion loqueretur, cum illi responderent, bene & honorifice. Ego igitur, inquit, melior medicus sum convitiatorum, quam vos estis.

11 Nec in milite nec in Duce nimia severitas et naturæ agrestitas est laudanda. *Aglaitada propterea reprehenso.*

E. Hinc nunquam satis pro merito exagitari et culpari potest incredibilis tyrannis et crudelitas ducis Albani. Nam hic jactitavit aliquando in conviuio, se octo decem millia hominum in Belgio propter religionem manu carnificis interfecisse, tempore sexennalis suæ gubernationis, præte

præter plurimos milites & ſubditos Belgii, qui à ſuo exercitu ſunt interemti, qui ad infinitum numerum exurgunt. Adhæc jactavit ſe tam multa bona ſubditorum in Belgio fiſco addixiſſe, tempore ſexennalis ſuæ gubernationis ut efficiât octo milliones auri quotannis. Dem. l. 4. hiſt. Bel.

Similiter inaudita crudelitas Mahometis cognomento Magni Turcarum Imper. deteſtanda eſt. Hic cum anno 1453. poſt diuturnam obſidionem potitus eſſet urbe Conſtantinopolitana, in ea tantam crudelitatem exercuit, ut nulla id queat oratione explicari. Cæſar Conſtantinus inter fugiendum trucidatus eſt, & amputatum caput cuſpidi infixum per urbem circumlatum eſt. Chriſti crucifixi imago in urbe erecta & ſuper inſcriptum. Is Chriſtianorum Deus eſt, præcepit autem eam ſtercoribus injectis ignominiæ cauſa conſpurcari. Cæſaris conjunx & filiæ una cum aliis honeſtioribus matronis in convivium pertractæ ſunt, atque ibi primum conſtupratæ, poſtea fruſtulatim diſſectæ ſunt.

Sic etiam vicio datur Imp. Friderico Barbaroſſæ, à quo urbs Mediolanenſis everſa & in cineres redacta fuit, quod cives quidam odio & contemtu majeſtatis imperialis, dominam Imperatricem impoſitam mulæ, & caudam adverſa facie loco habenæ tenentem, per urbem cum maximo ſpectatorum riſu & conviciis circumduxerunt.

12 Milites ignavi ſunt ex exercitu ſtatim eijiciendi, vel dimittendi. Nam hi ſuo exemplo & jactatione alios depravant & incitant, ut minus quidem laboris, plus tamen præmiorum petant.

13 Item ſeditioſi milites & factioſi, item improbi & ſcelerati ne cæteros corrumpant.

14 Cuivis militi ſtrenuo & præclara gerenti,
ſive

ſive nobili, ſive plebeio, præmia proponenda, & quidem, ſi æqualia facinora plebeius miles generoſo ediderit, æqualia. *Decretum Cyri ex communi Ducum ſententia.*

15 Imperatoris exercitus, non ſingulorum militum judicium eſſe debet, ecquis ſe ſtrenue & digne præmio in bello geſſerit, ecquis non. *Ibidem.*

16 Exercitus σκιομαχίαις in caſtris ſtrenue exercendi. *Sic Cyrus.*

17 Funditorum, ferentariorum & eorum omnium qui eminus feriunt, magnus eſt in primum aggrediendo, vel fugando exercitu uſus: comminus autem ferientium & gladiis rem gerentium uſus in fundendo, profligando cædendoque exercitu major. *Ibidem.*

18 Milites quos quiſpiam Dux velit alacri animo res bellicas gerere, & imprimis ſocii & auxiliares, ſunt tũ præmiis, id eſt, pecunia; tũ verbis, id eſt, blanda oratione venandi & conciliandi.

E. Sic cum Breda mirabili ſtratagemate nave ſcilicet ceſpitum, repleta militibus capta eſſet, ipſe ductor navis Capitaneus Carolus Heraugier, gubernator urbis & arcis electus eſt. Capitaneus vero Lambertus coadiutor ejus, præfectus vigilum cohortium militarium in urbe Breda creatus eſt: omneſque & ſinguli milites qui per prædictam navem urbem occuparunt, pretioſo aureo nummo, & ſumma quadam pecuniaria ſunt ab Illuſtribus Ordinibus Belgii cohoneſtati, in præmium bene & ſtrenue navatæ operæ.

19 Duci exercitus præter publicas pecunias, privatis eſt pecuniis opus; ut ipſe per ſe ſtrenuos milites præmio afficere poſſit.

20 Venationis aut latrocinii ſpecie in hoſtico aut ſuſpectis locis oportuna loca occupare commodum

dum & utile stratagema. *Sic Cyrus Armeniorum montes occupat.*

21 Quum celandus est hostes noster adventus, aditus nuntiorum occupandi, et quotquot occurrunt, vel capiendi sunt ac retinendi : vel specie latrocinii longissime fugandi. *Sic Chrysantus Armenios.*

22 Ea est pro brevissima exercitui via eligenda, quæ facillima & tutissima est. *Cyrus.*

23 Minime injuria sunt ab exercitu afficiendi, quos ad te traducere velis: vel à quibus commeatum accipere sit necesse. *Sic Cyrus præcepit.*

24 Celeritas in præoccupando imparato hoste & præveniendo maxima, ut plurimum victoriæ causa est *Et lib. 3. de Chald. montibus occupatis.*

25 Per feciales tentandi prius, quam nulla de officio præcedente admonitione prœlio aggrediendi etiam ij qui à nobis perfidi et ultro defecerunt quum essent prius subditi. *Sic Cyrus Armenios Medorum subditos tentat.*

E. Sic Archidamus gravissimæ gentis Rex censuit, apud Thucid. lib. I. dicens. In eum qui jure agere & facere paratus est, nefas bellum sumere tanquam in injurium.

26 Hostem perturbat, vel spem illius languidiorem facit, vel dejicit, subditorum, qui à nobis ad eum prius defecerant, ad nos retractio & reductio. *Cyrus revocat Armenios ad Medos, quorum antea subditi erant.*

EX LIBRO TERTIO XENOPHONTIS DE PÆDIA CYRI.

Regis fuga, aut manifesta desperatio, vel trepidatio reliquum vulgus terret in exercitu, & in desperationem adducit. *Armenii Regis fuga populares terruit.*

E. Sic

E. Sic cum Rex Poloniæ Sigismundus III. cum Carolo duce Suetiæ patruo suo bellum gereret, & in conflictu captus ab eo esset, statim copiæ ejus dissipatæ, et fuga dilapsæ sunt.

2 Ad veniam impetrandam à Repub. vel Rege præstat hosti capto verum quam mendacium dicere, et veniam summisse postulare, quam proterve in victorem invehi. *Armenii Regis consilium; item & Cyri.*

E. Exemplum esse potest tale. Sesostris Ægypti rex aureo curru vehi solutus est, qui à quatuor regibus trahebatur. Cum autem unus ex illis sæpe respiciens rotam intueretur, interrogante eum Rege, cur toties respiceret, respondit. Intuens rotæ volubilitatem, in qua ea quæ summa sunt, cito fiunt ima, cogito de nostra fortuna. Qua modesta responsione commotus Rex eos dimisit, & in libertatem restituit.

3 Subditi antea rebelles, sed bello recepti, sunt, quantum fieri potest, nobis aliquo beneficio conciliandi, quo sint magis in posterum fidi. *Sic Cyrus Armenium tractat.*

4 Hostium præsidia nostræ regioni vicina sunt dejicienda, ut facile eos à nostris finibus arceamus, & ad sua tutanda revocemus. *Sic à Cyro dejecta præsidia Chaldæorum.*

5 Novi populi bello parti sunt beneficio afficiendi, quo lubentius nobis parere velint. *Sic Cyrus Chaldæos.*

6 Est boni Principis vicini duorum vicinorum pacem constabilire inter se, ac propterea se interponere, & utrorumque injurias ac fines præsidio in utrorumque confinibus à se constituto, cum ab eo petitur, ulcisci et servare. *Sic sese Cyrus interposuit inter Armenios & Chaldæos.*

7 Imperatorem in exercitum liberalem esse opor-

oportet, ut ejus benevolentiam sibi conciliet. *Sic Cirus beneficus in suum exercitum.*

E. Sic Titus Vespasianus Imp. intelligens beneficentiam præcipue pertinere ad Principem, si quando aliquem non affecisset beneficio, dicere solebat. Amici diem hunc perdidi, vel hodie non imperavi, qua nemini benefeci. Idem monentibus amicis, quasi plura promitteret, quam præstare posset. Respondit, non oportere quenquam à facie vel sermone Principis tristem discedere. Suetonius.

Sic Polybii celebratur vox divina, consilium dantis Scipioni, quoties foras prodiisset, ne domum prius rediret, quam aliquem sibi benefaciendo amicum adjunxisset.

8 Longe præstat exercitum nostrum in hostili, quam in nostromet agro alere, ut plus illi incommodi, nobis autem minus detrimenti adferamus. *In oratione Cyri ad Ciaxarem.*

9 Non tam ratio & cura habenda est, ne noster exercitus nobis incommoda afferat, in nostro agro manens, quam ubi eum manere oporteat, ut hostili exercitui resistere, & par esse possit. *Ibidem.*

10 Multum alacritatis nostris additur, multumque terroris hostibus, cum eos in suo ipsorum agro, vel cessantes adoriri, vel advenientes exspectare audemus. *Ibidem.*

11 Prœlia animis magis quam maximis corporum viribus judicantur, & victoria prænuntiatur. *Ibidem.*

12 Nihil in bello, prœlio, hoste invadendo, nisi prius invocato Dei nomine, aggrediendum, quum id feliciter succedere velimus. *Sic Cyrus in Aßyriorum agros irruiturus sacrificat.*

13 Ad fallendos hostes sæpe expedit ignes post castra facere. *Sic Cyrus.*

14 In

14 In castorum metatione tutissimum est vallo & fossa castra nostra semper munire. *Sic Cyrus.*

E. Sic Romani castra sua vallis & fossa munire docuerunt, nec sine castris prælia gessisse leguntur, quorum quanta fuerit utilitas, Paulus Æmilius Imp. optimus gravi oratione ad milites disseruit: Majores nostri castra munita portum ad omnes casus exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quo jactati pugnæ receptum haberent, & qui castris exutus erat, etiamsi pugnando vicisset, pro victo habebatur.

15 Quidquid in bellicis operibus repente fit & aspicitur, multum terret hostem. *Sic Cyrus vallum loricatum & terreum faciebat.*

16 Prœlium non prius committendum, quam confirmatis à Ducibus suorum animis, & curato à militibus corpore, quantum fieri & res, & locus, & tempus patitur. *Sic Cyrus cum Assyriis dimicaturus.*

17 Propter hostium dubitationem, aut hæsitationem non est quicquam à nobis præcipianter ac temere suscipiendum, etiam adversus eos ipsos: nam sæpe est simulata. *Sic Cyrus dissuadet Cyaxari ne castra hostium aggrediatur.*

18 Hostis nec totus, sed ex parte tantum collectus; nec aciem adhuc instructam habens; sed eam instruens, siqua fieri potest, adoriendus: ut facilis sit nobis de eo victoria. *Sic Cyaxares Assyrios vicit.*

EX LIBRO QVARTO

Hostis fugiens non est absque equitatu firmo persequendus. *Cyri consilium.*

2 Hostis fugiens eo usque persequendus & quidem

dem celerrime et quamprimum, donec sperat se evadere posse: ad desperationem autem non cogendus. *Cyaxaris consilium.*

3 Clades acceptas, præsertim magnas, sequitur sociorum defectio, item subditorum, nisi à victis vires quamprimum instaurentur. *Sic Hyrcani ab Aßyriis defecerunt.*

4 Hostis fugiens quamprimum est persequendus: nec vero victor exercitus in spoliis illius legendis, donec fugientem prorsus profligarit, debet retineri. *Cyri edictum persequentis Assyrios.*

5 Nullum est lucrum victoria majus. *Ibidem.*

6 Præficiendus eligendusque semper aliquis in exercitu, qui in toto illius itinere commeatus curam habeat. *Cyri dictum.*

7 Spolia Imperatoris jussu ab uno aliquo fido delecto & legenda sunt, et fideliter servanda, donec ex communi omnium sententia inter omnes dividantur. *Sic Cyrus in spoliis Assyriorum fugientium legendis fecit.*

8 Studendum est, ut quæ gens peditatu valet, & ad pedestrem pugnam strenua est, eadem quoque equitatu, si fieri potest, valeat, atque ad pugnam quoque equestrem exerceatur. *Sic Cyrus persuasit Persis, qui optimi pedites erant.*

9 Regio bene culta pretiosa admodum possessio: male vero habitata caret infinitis bonis. *Cyri ad Hyrcanos dictum.*

E. Sic Augustus scribit, quod in consulatu suo censita sunt civium Romanorum capita quadragies centum millia, & sexaginta tria. Sub Claudio Imp. Tacitus refert, censa fuisse sexagies novies centena. sexaginta quatuor hominum millia. Lips. lib. 1. Admir. cap. ult.

Sic hodie durante adhuc bello civili Belgico præ copia & multitudine civium & incolarum adeo

adeo potentes factæ sunt urbes Hollandiæ & Zelandiæ, adeoque populosæ, ut una urbs Amsterodamum, Middelburgum, Harlemum vel Leyda, tot capiat homines, quot omnes prope urbes Frisiæ comprehendunt. Vnde & tam potens et prædives hæc provincia reddita est, ut sola Hollandia fere duplo plus contribuat in usum belli, quantum reliquæ omnes aliæ confœderatę provinciæ. Hinc prudenter dicebat Imp. Adrianus se malle hominum adjectione, quam opum et divitiarum abundantia imperium suum locupletari. l. ult. par. penult. ff. de bon damnat.

Similiter scribit Lipsius lib. 3. de magnitud. Romana c. 3. quod Roma urbs sit orbis epitome et compendium, et quod in ea reperiuntur duo milliones hominum. Item quod Alexandria, cujus ambitus est decem milliarium, trecenta habuit millia liberorum capitum. Lutetia ad quadringenta hominum millia numerat. Constantinopolis hodie ad septingenta millia.

10 Vt victoria tuta paretur, omnes resistentes, vim inferentes seu repugnantes sunt occidendi: arma vero tradentes seque dedentes sunt conservandi.

11 Qui se bello aut prœlio populi totos et populariter dediderunt, & à nobis capti sunt, commodius ad sua remittuntur, sed omnibus demptis armis: aut in suo agro et sedibus justo præsidio imposito, retinentur, quam vel retineantur apud nos, vel in alienas regiones transportentur, nisi manifesta rebellionis ab iis in sede & regione sua manentibus futura signa cernantur et appareant. *Sic Cyrus captivos Assyriorum tractavit.*

12 Cavendum est ne Principi tibi infesto subjiciaris, et in ejus potestate maneas et sis. *De Gobria transfugiente ad Cyrum.*

14 Regis

14 Regis in Principes & primarios Regni viros injuria, nisi verbis, vel donis ab eo leniatur, eos à Rege cum tota ipsorum regione facile alienat. *Assyrius Gobriam coegit deficere.*

E. Hanc artem optime calluit Ludovicus XI. Galliarum Rex, quod culpam suam ingenue agnosceret, & beneficio illatam injuriam compensaret. Cum enim aliquando ob intemperantiam linguæ lapsus esset, & durior fuisset, mox agnovit culpam, & conversus ad eum, quem offenderat. Non me latet, inquit, obfuisse mihi linguam, sed & aliquando profuit. Nunc autem quod illa peccavit, emendari æquum est, ac simul cum ad eum modum familiariter ageret, donum dabat, non contemnendum. Recte itaque ibi addit Cominæus, Est profecto magnum Dei beneficium, agnoscere quod vitiosum est, & beneficio aliquo novo injuriam illatam resarcire.

Sic cum Capitaneus Martinus Schenckius, magna pro hoste pericula subiisset, eique plurima beneficia præstitisset, in victoria prælij Hardenbergensis, in occupatione Bredæ, Noviomagi, & nulla pro benefactis suis præmia reportasset, imo Dominus de Hautepenne in gubernatione ducatus Geldriæ ei præponeretur, & sic ab hoste spretus & contemtus esset, fœderatis Ordinibus Belgii se adjunxit, magnaque & ingentia damna hosti inflixit.

EX LIBRO QVINTO Xenophontis de pædia Cyri.

Libido atque amor ſpurcus ſæpe ſtrenuos viros à bonis cœptis avocant, & ignavos reddunt. Itaque continentes minimeque libidini & ſcortationi eos addictos eſſe oportet. *De Cyro recuſante videre Abradatæ uxorem.* Proinde recte dixit Cœlius Aureliauus.

Nihil æque cerebrum infirmat, quam firma Venus, unaque corpus enervat, ac animæ ſubſtantiam turbat.

Porro libido & ſpurcus amor quatuor rebus excitatur, & caſtitas amittitur, nimirum cibi & potus repletione, ſomni ſatietate, otio & luxu, ac inani garrulitate.

Recte quoque Valer. Max. ſcriptum reliquit, quod illi demum penates, ea civitas in æterno gradu facile ſteterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido ſibi vindicarit.

Quinimo et libido hominem ad Idololatriam impellit. Sic Salomon Rex fuit amator mulierum. Cujus tamen initia cum deſiderio ſapientiæ flagraverant, quam cum ſpirituali amore adeptus eſſet, amore carnali amiſit.

E. Hinc cum Heliogabalus Imp. omni libidinum ac fœditatum genere ſe inquinaſſet, Prætoriani milites indignati humani generis illud portentum, una cum matre cæſum, in cloacas urbis fœdiſſimas pertraxerunt.

Sic quoque Cato libidinoſo cuidam inter ſuos eſſe cupienti, conceſſurum ſe negavit: quoniam cum eo vivere non poſſet, qui melius ac ſubtilius palato, quam corde ſapiat et ſentiat.

Vnde recte Zeno quoque dicebat, quod amor sit concupiscentia quædam, in præstantes ingenio viros non cadens. Est enim insidiatrix industriæ ac studii, per apertam & se ingerentem pulchritudinem.

Sic Attila Imp. Gothorum, etsi multas habuit conjuges, tamen juvenculam duxit. In iis nuptiis cum & labore equestrium certaminum, & vino & Venere corpus ejus inflammatum esset, nocte extinctus est, sanguine copioso in fauces exundante, & ex ore erumpente. Virgilius in Georg. taxans libidinis æstus:

Nulla magis animi vires industria firmat
Quam Venerem, & cæci stimulos avertere amoris.

Vulgatum habet proverbium, reddunt delirum fœmina, Vina, virum.

2 Magna in adolescente Imperatore virtus est continentia. *Exemplum* Cyri.

E. Hujusmodi singulare exemplum castitatis extitit in Scipione juniore. Huic cum puella eximia forma captiva adducta esset, ille inviolatam eam servavit, ac sponso suo Allucio integram reddidit. Adolescentis parentes, quibus gratis reddebatur virgo, cupientes gratiam referre Scipioni, cum ad eam redimendam magnum auri pondus attulissent, oraverunt Scipionem, ut id abs se donum reciperet. Scipio aurum ante pedes poni jussit, vocatoque ad se Allucio, Super dotem, inquit, quam à socero accipies, hæc tibi à me dotalia dona accedent, aurumque tollere, ac sibi habere jussit. Plutarch. Apophtegm.

Similiter cum Alexander Magnus Darii regis filias captivas haberet, eas ne aspicere quidem dignatus est, turpe esse judicans, eum qui viros vicisset, à mulieribus superari.

3 Socio-

3 Sociorum exercitus non per vim, sed benevolentia conciliandus ac retinendus. *Sic Cyrus Medos retinuit.*

4 In hostem quem brevi debellare & perterrefacere volumus, sunt concitandi, & in nostram societatem contra eum asciscendi omnes qui illum aliqua ex causa infense oderunt. *Sic Cirus Cadusios & Sacas excitat in Assirios.*

5 Hosti perterrito instandum. *Sic Cirus Assirios premebat.*

6 Quo major est trepidantis exercitus numerus, eo major est illius metus. *Ciri dictum.*

7 In hostico quicunque nobis vi resistunt, possunt occidi, imo sunt à nobis occidendi. *Ciri præceptum in Babilonios ducentis.*

8 In hostico ingressus exercitus statim omnia cædibus & rapinis impleat, ut magnum hosti terrorem de se injiciat. *Sic Cirus ingressus fines Babiloniorum.*

9 Socii præsertim novi maiori prædæ captæ parte donandi sunt, ut nobis lubentius militent, & magis magisque concilientur. *Sic Cirus donat Gobriam.*

10 Nullæ periculosiores tectioresque in bello sunt insidiæ, quam quum ex composito aliqui in utroque exercitu Duces agunt, tanquam valde inter se sint hostes, quum tamen sint amicissimi, & ultro citroque exercitum alter alterius infestat, verum ex collusione aliis incognita. *Sic Cirus egit cum Spadone.*

11 Novis sociis laborantibus est auxilium statim, quo magis nobis concilientur, ferendum. *Sic Cirus Gadatæ tulit contra Assirios.*

12 Duces hostium, quibus ipse regionis aditus commissus est custodiendus, sunt in nostras partes, quantum fieri potest, præter cæteros tradu-

cendi: ut ii aditus primi locorum occupentur à nobis. *Sic Cyrus Gadatam conciliavit sibi.*

13 Noctu proficiscenti exercitui maxime silendum. Non nocturnum iter tutissimum fit per aures, diurnum per oculos; utrumque tamen per præmissos semper equites & exploratores *Cyri dictum.*

14 Imperatorem exercitus oportet non tantum nomina, sed ingenium etiam, animum & industriam singulorum centurionum sui exercitus nosse. *Sic Cyrus norat.*

15 Imperatorem dum exercitus iter facit, uno duntaxat loco consistere non oportet: sed in diversis partibus exercitus varie versari, ut observet utrum ab omnibus ordo servetur. vel num quæ in exercitu sint rixæ. *Sic Cyrus,*

16 Imperatori summam militum benevolentiam conciliat, si vulneratos in prœlio excipiat ipse, curet, foveat, & ipse cum Medicis, dum eorum vulnera tractantur, adsit. *Sic Cyrus Cadusios milites curavit.*

17 Cujus exercitus est hostili minor, illius pars nulla debet ab universo exercitu divelli. *Sic Cadusii victi ab Assyriis.*

18 Pars exercitus inscio Imperatore non debet quoquam prædandi, vel pugnandi gratia progredi. *Sic Cadusii victi.*

19 Æquum est etiam in mediis bellis, ne agricolis, & agrorum arationi noceatur. *Sic Cyrus.*

E. Hinc cum Fridericus I. Victoriosus Comes Palatinus prælio commisso non procul ab Heidelberga Anno 1462. cœpisset Carolum Marchionem Brandeburgensem, Iohannem ejus fratrem Episcopum Metensem, & Vldericum Comitem VVirtebergensem, defensores Adolphi Nassoviensis qui à Roman. pont. designatus erat

Archie-

Archiepiſcopus Moguntinus contra Dietericum Comitem Iſebergenſem, iiſque in arcem deductis & convivio exceptis prohibuit apponi panem, eumque poſtulantibus, juſſit renunciari, voluiſſe ſe commonefacere bella ſic geri debere, ut petatur hoſtis, non innocens agricolarum turba fame necetur, quorum ſegetes illi crudeliter vaſtaſſent, & frumentum in horrea comportatum ſuccenſis pagis corrupiſſent. Eoſdem tamen poſtea grandi pecunia redemptos dimiſit. Eberus.

Sic cum milites ordinum provinciarum confœderatarum caſtra ſua ante Gertrudebergam, ampla itinere unius diei locaſſent, ac ea firmiſſime muniviſſent, ut etiam pagus Ramſdonck caſtris incluſus eſſet, ruſtici tanta quiete agros ſuos coluerunt, arva proſciderunt, pecudes paverunt, ova, lac, butyrum, caſeos, carnes in caſtris venum expoſuerunt, ac ſi in ſumma & media pace habitaſſent.

20 Gratioſi apud populum principes viri ſunt ſemper Regibus formidoloſi, maxime vero quum rem publicam præclare gerunt, aut bella fortiter adminiſtrant. *Sic Cyrus Cyaxari.*

21 Nunquam committendum Principi, ut omnibus ſuis ſubditis ſit ſimul odioſus & exoſus: tunc enim prorſus perierit. *Cyri dictum.*

22 Regum ignavorum cor urit, quum quempiam ſuorum ſuis auſpiciis res magis præclaras gerere vident, quam ſeipſos. *Sic Cyaxares urebatur ob res Cyri.*

23 Cavendum primariis in regno viris, ne ſe majori comitatu, aut populi benevolentia ac favore conſpicuos cerni patiantur, quam ipſummet regem, ſi modo tuti vivere, & non ſuſpecti regi velint. *Cyaxaris.*

24 Milites dum videntur haberi contemptui, boni quidem & strenui, desinunt esse alacres: mali vero, fiunt deteriores. *Ciri dictum.*

EX LIBRO SEXTO

XENOPHONTIS.

ANte confectum bellum neque dimittendus est exercitus, neque dissolvendus: sed retinendus, & ad terrorem hostis & ad nostrorum conservationem. *Deliberatio Ciaxaris.*

2 Hiberna exercitus illic demum commode collocantur, ubi non modo Duces ipsi; sed & milites, & militum famuli, ac imprimis equi tecti tecto ac commeatu abundare possint. *Ciri consilium.*

3 Durissimi hostes duo, atque à nullo exercitu expugnabiles, ac proinde cavendi, nimirum fames & frigus. *Ciri dictum.*

E. Hoc expertus est Carolus V. Imp. in obsidione Metensi, ubi cum exercitus ejus inedia, & frigore fere consumtus esset, obsidionem urbis turpiter deserere cogebatur. Anno 1552. De hujus Imp. infœlicibus successibus in exitu imperii recitatur hoc vulgare dicterium **der maur/die metz/die magdt habn dirsen keyser verjagtt** id est, Elect. Sax. Mauritius, Vrbs Metensis & urbs Magdeburgensis profligarunt & infregerunt vires ac potentiam Imperatoris Caroli V. Sic etiam cum Illustrissimus Princeps VVilhelmus Auraicus instructissimo exercitu Anno 68. prope hyemem Mosam trajecisset & dux Albanus illi omnem commeatum intercepisset, milites ejus partim inedia, partim frigore valde afflicti dissipati & dilapsi sunt.

4 Exercitum mature dissolvere præstat, quam pati, ut fame, vel frigore expugnetur, quod nullibi commode propter multitudinem hibernare possit. *Ciri dictum.*

5 Exercitus in hostico commode & tuto demum ibi hibernet, ubi castella vicina occupavit. *Ciri dictum.*

6 Hostis, quamvis longissime absentis, res sunt à nobis explorandæ & per exploratores fidos cognoscendæ. *Sic Cirus exploratores Assirii in Lidiam fugientis.*

7 Exploratores optimi, sunt principes viri, non vulgares, qui hostium consilia & ordinem, non tantum vires videre possunt ac renuntiant: & qui ea duntaxat consilia nostra hostibus referunt, quibus impediantur ipsorum sana cœpta & fortia. *Sic Araspam instruit Cirus.*

8 Exploratores ij fere apud hostes fidem impetrant, qui in nostro exercitu magni nominis quum essent, ex justa causa fugisse censentur, licet nobiscum colludant: utpote si credantur illi à nobis offensi, & indigne tractati. *Sic Araspas à Ciro fugit ad Assirium.*

E. Exemplum est in Zopyro duce exercitus regis Darii. Qui cum obsideret Babylonem, dux Zopyrus nares & aures sibi præcidit, et in urbem obsessam profugit, ubi conquestus de injuria per truncationem membrorum à Rege Dario sibi illata, hoc obtinuit, ut cives eum urbis gubernatorem crearent Quam potestatem nactus exercitum ex urbe eduxit, tanquam Regem ab obsidione depulsurus, & eum Regi tradidit. Qua fide commotus rex Darius dicere solet, se pluris facere unum Zopyrum, quam centum Babylones, & optare tot Zopyros, quot essent grana in malo Punico.

9 In exercitu cataphractos equites et reliqua hujusmodi exercitus robora esse oportet, quæ in acie hostibus velut turres inexpugnabiles opponantur. *Sic Cyrus paravit currus falcatos.*

10 Capta uxore aut liberis Principum, et ipsi quoque facile postea in nostras partes traducuntur, præsertim si uxor et liberi eorum benigne à nobis tractentur. *Sic Cyrus traduxit ad se Abradatam.*

11 Exploratores optimi sunt ij quoque, qui extranei nobisque palam nondum addicti, alieno, id est, suorum Principum nomine ad hostes eunt, ut in eorum castris versentur, et eos nobis explorent, et speculentur. *Sic Cirus misit Indos ad Assirinm explorandum.*

12 Animorum in bello vel certamine capessendo alacritas est optimum futuræ victoriæ aut felicis exitus prognosticon. *Ciri dictum.*

13 Et certamina et domi, et in exercitu publice instituenda, præmiisque ornanda, quæ ad usum pugnæ et prœlii prodesse postea possunt. *Sic Cirus.*

14 Exploratores et ii quoque esse solent, qui specie transfugarum à nobis ad hostes desciscũt, ut ad nos postea redeant rebus hostiũ perspectis.

15 Publicus exercitus nostri metus et consternatio de hostium viribus et numero, est quamprimum ab Imperatore convocatis Ducibus et militibus tollenda. *Sic Cirus.*

16 Hostes quamprimum sunt aggrediendi, dum et imparati adhuc sunt, et auxilia suorum expectant. *Ciri consilium.*

17 Profecturo exercitui commeatus est pro numero dierum et numero hominum parandus, vel equis, mulis, ac plaustris ferendus. *Sic Cirus adversus Crœsum iturus.*

18 Ex-

18 Expeditissima commeatus parandi ratio, si milites aquam bibere assuescant & soleant. *Sic Cyrus.*

E. Hinc cum Lysimachus rex propter penuriam potus se in hostium manus tradidisset, nec aquæ bibendæ assuetus; vini copiam nactus ab hoste affarim vinum bibisset, inquit. O propter quam brevissimi temporis voluptatem, victoriam regnumque amisi, & in manus hostium perveni.

Sic etiam Cyrus rogatus, quid ad prandium apparari juberet. Nihil aliud, inquit, quam panem, nam spero me apud flumen cœnaturum. Mira frugalitas in rege barbaro, cui panis erat pro obsonio, & sitim aquæ spe deferebat in cœnam. Ammia. Marcellin. lib. 1.

Similiter Darius rex Persarum, cum in fuga aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisset, negabat se unquam bibisse jucundius, nec enim sitiens unquam biberat.

Sic quoque cum Regina Carum Ades misisset Alexandro Magno Macedonum Regi obsonia, bellariaque per coquos magna arte parata, Alexander respondit seipsum habere meliores obsoniorum artifices, ad prandium quidem νυκτοπορίαν, id est, nocturnum iter, ad cœnam vero ὀλιγαριστίαν. Id est, tenue prandium.

19 Commeatus plurimum milites alit, qui cibis salsis, acutis, & mordacibus constat. *Cyri vox.*

20 Profecturo exercitui, & ea quæ in itinere ægrotis sunt necessaria parentur, & lora seu vincula, quibus equi sarcinæque colligantur: & fabros ac reliqua instrumenta quæ hominibus & equis calceandis, curribus trahendis,

hendis, armis reficiendis, veſtibus reſarciendis ſunt neceſſaria. *Sic Cyrus.*

21 Eſt Ducum cujuſque vexilli ſeu centurionum perſpicere, quanta ſit ab uno quoque milite ſuo parata commeatus copia: & negligentes coercere. *Sic Cyrus.*

22 Mercatores qui neceſſaria exercitui afferant, præmiis & privilegiis invitandi, ut caſtra ſequantur. *Sic Cyrus.*

E. Hoc prudenter & ſedulo obſervant Illuſtres generales Ordines Belgii. Quoties enim Princeps Mauritius Naſſovius cum copiis & exercitu in hoſtem proficiſcitur, tunc in omnibus fere urbibus edicto publico cavet, ut omnes mercatores, lixæ, aliique qui neceſſaria alimenta exercitui ſuppeditant, iſthuc omnem commeatum, cibaria, panes, carnes, vinum, cereviſiam, ſine ullis vectigalibus tranſvehant, tanquam in libera caſtra ab omnibus tributis immunia. Additurque, ne ulli liceat quemcunque mercatorem, inſtitorem, lixam, aliumve exercitui neceſſaria advehentem, propter debita quocunque modo con-[illegible] detinere, arreſtare, vel in judicium pro eo tempore vocare. Plutarchus in Solone etiam dignitatem mercaturæ fuiſſe ſummam tradit, ut quæ commoda ex regionibus barbaris adferret, amicitias cum dynaſtis conciliaret, & multarum rerum peritiam conferret. Denique I.C. Calliſtratus in l.2. *ff.* de nundin. ſcribit, quod ſummæ prudentiæ & auctoritatis Plato apud Græcos, cum in libris de Republica inſtitueret, quemadmodum civitas bene habitari poſſit, imprimis negotiatores & mercatores neceſſarios eſſe ſtatuit. Sic enim libro 2. de Repub. ſcriptum reliquit. Pluribus ſane, non agricolis tantum, ſed etiam opificibus eſt opus, ideoque aliis quoque mini-

ministris, tum qui importent singula, tum qui exportent, hi vero mercatores sunt. Recte etjam Baldus ex. de cleric. peregrin. scribit. Mundum non posse vivere sine mercatoribus. Nam importatio rerum, quæ apud nos non nascuntur, & sine quibus tamen vivi non potest, necessaria est, quæ à mercatoribus nobis procurantur & suppeditantur.

23 Impedimenta exercitus, vel in medio, vel in extremo agminis collocentur. *Sic Cyrus.*

24 Quum profecturus est exercitus, cuique non modo agmini, sed etiam centurioni suus, quem servet, in proficiscendo locus constituatur ab Imperatore. *Cyrus sic.*

25 In impedimentis collocandis suus cujusque centuriæ impedimentis locus, ac signum quo dignoscatur constituendum est, & ut facilius illius centuriæ milites ex iis si quid habent opus, accipiant, & inveniant.

26 Profecturum exercitum speculatores equites semper præcedant quam longissime possunt: & mature singula renuntient exercitui. Hi vero equites quoscunque ex indigenis possunt, capiant, & de hostium loco, statu, numero interrogent, & quam certissima queunt, expiscentur. *Sic Cyrus incedebat.*

27 Qui sublatis dextris ex hostico ad nos transfugiunt, benigne excipiendi, & ad Imperatorem deducendi. *Sic Cyrus.*

28 Non extenuandæ hostium vires ubi consilium de certando capitur, sed potius augendæ. *Sic Cyrus Araspan jubet.*

29 Certamen non debet, quantum quidem nobis licet, cum hoste committi, nisi prius nostri milites corpora curarint, & equis, machinis, cæterisque rebus bellicis reliqua necessaria pro-

prospecta fuerint, ne inter pugnandum harum rerum defectus plurimum noceat.

EX LIBRO SEPTIMO

IN acie struenda maxime prospiciendum est, ne nostra ab hostibus circumveniri possit, aut ne nostri ordines, seu agmina sic inter se procul collocentur, ut alii aliis laborantibus auxilio statim adesse non possint. *Sic Cyrus aciem Lydorum damnavit.*

2 Magnarum ac capitalium urbium direptiones sunt, quantum fieri potest, prohibendæ, ne vel reliquæ victi regni urbes obstinatius resistant: vel milites nimium ditati diffluant. Ergo sese certa mercede militibus data redimant. *Sic Cyrus Sardes conservavit.*

3 Bellicosis populis victis arma sunt adiméda: ludi, convivia, lucra ex mercimoniis duntaxat relinquenda. *Sic Cyrus Lidis ademit arma.*

4 Qui duas factiones sibi contrarias in eadem Rep. tollere cupit, se utriusque amicum prębens, castella & arces utriusque occupet & diruat. *Sic Cadusius in Caria.*

5 Fluminis abductio, commeatus interceptio, fossarum completio, munimentorum & præsidiorum ereptio, multum obsessos terrent & turbant. *Sic Cyrus Babylonios exterruit.*

6 Oppida facile tunc capiuntur, quum cives secure convivia agitant, nihil de hostium conatu suspicantes. *Sic Cyrus cepit Babylonios.*

E. Sic Virgilius de capta Troia. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnes Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt, 2. Æneid. Milites ergo sibi caveant ab ebrietate, ne ab hostibus opprimantur. Sic Agrippinenses largis epulis,

epulis, vinoque sopitos, Germani clausis foribus, injecto igne, cremarunt.

7 Dum oppidum capitur, qui extra ædes occurrunt, interimendi: item qui armati in ædibus se celant, nec arma abjiciunt. *Sic Cyrus in Babylonios.*

8 Regia majestas, quæ pluribus populis imperat, quo sit venerabilior subditis, debet externe quoque splendere: ac proinde Rex custodiam corporis habeat, Regiam supellectilem, sumptus longe majores privatis faciat, venationem habeat. *Sic Cyrus post Babylonem captam.*

E. Hinc laudatur Tarquinius Priscus Rex Romanorum, quod ex Hetruria fasces, trabeas, sellas currules, annulos, phaleras, paludamenta, prætextam, togas pictas, aureos currus ad triumphum cæteraque regalia decora advexerit, quibus majestas Principis conspicua eminebat.

Sic Augustus Imp. ad custodiam sui corporis habuit decem millia militum, non robore solũ, sed stirpe et domo eximia, contra motus subitos, & ad plebem Romamque coercendam. Lips. l. 1. admirand. c. 4. Sic Dio de rebus Augusti. Custodes corporis decem mille erant, atq; ij in decem partes, sive cohortes divisi.

9 Capta urbe, quidquid in ea est ac reperitur hominum aut bonorum, jure victoriæ cedit victori. *Cyri dictum.*

10 Devicto populo arma detrahenda, & Duces præfectique dandi non è suis popularibus Principib. præsertim potentibus & factiosis; sed ex ipso victorum numero. *Sic Cirus.*

11 Optima Principum custodia, eorum virtus, & subditorum benevolentia. *Ciri sententia*

tia. Hinc Vespasiani dictum laudatur, qui valens, sanusque corpore, semper in publicis occupatus, etiam æger perseveravit, & revocantibus amicis, utque sibi parceret, suadentibus, IMPERATOREM, inquit, STANTEM IN ACIE MORI OPORTET.

Similiter Ropolphus Austriacus Imp. cum removeri quosdam à satellitio ad se affectantes videret, non sine stomacho edixit, per Deum (ipsa enim ejus verba sunt) sinite homines ad me venire. Non enim ideo vocatus sum ad imperium, ut in arca præcludar, sed ut afflictis hominibus meam opem implorantibus auxilium feram.

EX LIBRO OCTAVO

BOnus Princeps erga subditos similis esse debet bono patrifamilias erga domesticos. *Chrysantis dictum.*

E. Hujus exemplum insigne extat in Eberhardo duce VVittebergensium: Qui teste Nauclero suis subditis geatissimus fuit, & in hac parte laudis maxime sibi placuit. Cum enim semel esset in solemni conventu Principum Germaniæ, aliis suarum regionum dotes efferentibus, hoc uno cæteris se antecellere jactabat, quod omnes opes & munitas arces dignitate & firmitudine superaret. Se nempe vel in cujusvis subditorum suorum gremio, vel in vastissima solitudide somnum tuto capere posse.

Similiter Cicero in offic. scribit Philippum Macedonem regem rebus gestis & gloria superatum à filio, facilitate vero & humanitate superiorem fuisse. Itaque alter sæpe magnus, alter turpissimus fuit, ut recte præcipere videantur, qui monent, ut quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus.

Hinc

Hinc quoque Aurelius Antoninus Imper. Pii cognomen clementia & probitate meruit, semper ea Scipionis verba: Malo unum civem servare, quam mille hostes occidere, in ore habuit.

Sic Agasicles interrogatus, quando Princeps absqus stipatoribus posset esse tutus, respondit. Si subditis ita imperaret, ut pater filiis. Plutarch, in Apophth. Lacon. Sic recte quoque & præclare scriptum reliquit Vopiscus in Tacito, quod ingens est gloria Principis, Rempub. magis amare quam filios.

2 Incolumitas Regni in eo sita est, si Principi prompte omnes pareant, etiam proceres. *Ibidem.*

3 In ea demum Rep. subditi & proceres sunt boni, continentes & strenui, ubi ipse summus Reipub. magistratus est talis. *De Cyro.*

4 Qualis Princeps, tales & reliqui cives. Cicero lib. 1. ad famil. Quales in Repub. sunt Principes, tales & reliqui cives esse solent.

Claudianus.

In commune jubes, si quid cense sve tenendum.
Primus jussa subi.
Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Vtque Ducum lituos, mores sic castra sequuntur.

Exemplum illustre refert Bodin. in Meth. histor. cap. 6. in Francisco I. Rege Galliarum, qui ut primum literas, à quibus majores sui semper abhorruerant, amare cœpit, statim secuta est Nobilitas, deinde reliqui Ordines tanto studio bonas artes excoluerunt, ut nusquam, quam in Gallia sub illo rege major extiterit literatorum copia.

Aliud exemplũ habemus in Polonia, ubi omnis nobilitas primarii Ordinis ad Latinam linguã animum applicuit, & ex se natos institui voluit exem-

exemplum & auctorem habens Regem suum Stephanum Bathoreum.

5 Quo multum otii Principibus ad res publicas curandas suppetat, domesticarum rerum ac bonorum curam aliis, sed paucis ac fidis debent committere. *Sic Cirus.*

6 In magnis imperiis est magnis sumptibus, & impensis opus. *Ciri sententia.*

7 Proceres ac Principes Regni maxime Regi & summo magistratui pro officio faciundo cogantur adesse, quum nihil absentibus tribuitur, præsentibus autem solis quæ facillima & maxime honesta ac fructuosa sunt, demandantur. *Sic Cirus.*

8 Est boni Regis imprimis divini cultus constituendi, & constituti exercendi curam habere. *Sic Cirus Magos instituit.*

E. Huc non inepte accommodari potest elegans illud Apollonii elogium, qui dicere solet discipulis. Oportet eum qui recte philosophatur, veniente aurora cum Diis versari, procedente autem die de Diis loqui, reliquum vero tempus humanis rebus & sermonibus impendere.

Sic recte Theodoricus Afer Rex ministrum quendam Christianum, qui simulabat se in gratiam regis factum Arrianum, trucidavit, dicens. Si fidem Deo non servasti, quomodo homini synceram conscientiam servabis.

Vnde etiam recte Ethnicus ille philosophus Bion Borithenites dicebat. Impietatem pessimum esse contubernalem fiduciæ.

Sic recte & pie Iohannes Archiepiscopus urbis Romæ Imp. Iustiniano rescripsit. Nihil est, quod clariore lumine præfulgeat, quam recta fides in Principe. Nihil est, quod ita occasui nequeat subjacere, quam vera religio, l. inter claras.

C. de

C. de sum. trin. & fide cathol. Exemplo sunt, Eduardus Rex, & Elizabethb Regina Angliæ, Christianus Rex Daniæ.

Karolus & Gustavus Reges Suetiæ, Fridericus Pius Elector & comes Palatinus.

Guilielmus Princeps Auraicus & filii ejus Mauricius & Henricus qui omnes in sua gubernatione hoc potissimum curarunt, ut vera, & orthodoxa religio in regnis & provinciis sibi commissis instauraretur, & conservaretur.

9 Quanto pientiores subditi, tanto minus nefarii, & vel inter se, vel in Principem minus quoque scelerati & rebelles. *Ciri vox.*

10 Optima Principis educatio & vita cæteros subditos ad easdem virtutes invitat.

E. Sic Theodericus rex Gothorum ad Senatum populumque Rom. Facilius est errare naturam, quam dissimilem sui Rempub. Princeps possit formare, Cassiodo. 3. var. epist. 12.

Sicut enim in semente spes messis posita est, sic totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ dependet.

11 Venatio ijs qui rebus bellicis vacant, est exercenda. *Sic Cirus.*

12 Toga seu stola, id est, longa vestis maxime decet Reges ac Magistratus. *Cirus eam assumpsit.*

13 In quibus urbibus nem o plura artificia exercere permittitur; sed unus unum duntaxat; illic artificia sunt & præstantius elaborata, & magis industria. *Xenophontis sententia.*

14 Regibus multi oculi & aures habendæ, id est, multi homines fidi, qui vere referant ea quæ passim fiunt, & audiuntur. *Sic Cirus suos speculatores domi per totum regnum dispositos habuit.*

15 Esse

15 Esse debet hoc Principis propositum, ut subditos suos felices faciat, ut iis felicibus uti possit. *Cyri sententia.* Vt enim gubernatori navis cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sic moderatori Reipub. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta ac denique veræ Ecclesiæ Dei hospitium sit.

16 Liberalitas Regis ea est toleranda, quæ publicum ærarium non minuit, verum illa tantum largitur, quæ ipsi ex privato lucro eveniunt, ut multos sibi conciliet.

E. Vnde memorabilis illa est sententia, quæ Romæ prope turrim militiarum, supra forum Trajanum descripta extat: Potentissima dos in Priucipe, liberalitas & clementia.

17 Vt cives subditique bene valeant, debet quoque prospicere bonus Princeps. *Sic Cyrus.*

18 Quo regia majestas augustior appareat subditis, est operæpretium ut Rex quotannis saltem semel regie ipse ornatus, cum regio comitatu & pompa, honesta aliqua de causa (velut jus dicturus, vel ad Dei cultum) prodiens, venerandus à subditis conspiciatur. *Sic Persarum reges instituto* Cyri.

19 Imperatorem non modo in bellis strenuum esse oportet: verum etiam in iisdem munificum, & in conviviis opiparum ac liberalem erga tum milites, tum Duces strenuos, sibique deditissimos. *Cyri exemplum.*

20 Principibus sunt ij gratissimi atque amicissimi, qui quæ ipsi Principes de se honeste dicere non audent aut possunt, de illis, tanquam sua esset sententia, dicunt. *Sic Chrysantas Cyrum, Ephestion Alexandrum amavit.* Hi vero si quidem boni viri fuerint, sane perquam utiles ac necessa-

necessarii sunt Principibus: sin vero mali, velut pestes & assentatores teterrimi sunt censendi.

21 Exercitus non tantum in castris, sed etjam in progrediendo seu itinere faciendo compositus esse debet, ordines servare, singulorum Ducum & centuriorum certa signa, & loca distincta habere, ut & dignosci, & paratus esse ad omnes occasiones possit. *Sic Cyrus cum exercitu incedebat.*

22 Hæc ultro citroque inter Regem & subditos mutua promissio est, ad quam se utrique vicissim obligant, & qua ab una parte non servata, tollitur obligatio, & libera manet pars quæ promissionem servavit; nempe, ut Rex quidem subditos suos adversus extraneos hostes tueatur: inter ipsos autem subditos leges patrias & conservet ipse, & ab aliis servari curet: Subditi vero ut talem à se delectum aut probatum pro summo magistratu retineant ac honorent: atque eidem laboranti, aut à subditis neglecto, vel ab extraneis impetito, auxilium & obsequium, quale jussi erunt, præstent. *Cambyses apud Persas sic.*

E. Isocr. in orat. ad Regem Philippum. In magna admiratione sunt apud omnes, & summo honore afficiuntur, qui utrumque possunt, & domi Rempub. fœliciter gerere, & foris subditos bello tueri. Hoc elogium summo jure Illustris et Generosus Mauritius Princeps Auraicus meretur, dum patriam nostram armorum præsidio à tyrannide hostis Hispanici strenue vindicavit & tempore pacis, cum Respub. nostra intestinis Arminianorum turbis et dissensionibus misere confligeretur, pacem lætam et salutarem Ecclesiis et provinciis reddidit. Illud Iustiniani Imp. monitum recte laudabiliterque in tota gubernatione sua factis et consiliis expressit, et executus est.

est. Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam esse oportet, verum etiam legibus esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum, & pacis recte fœliciterque possit gubernari, & non solum in præliis hostilibus victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus.

23 Qui præpositi bene & fideliter commissas sibi provincias regunt, aut nunquam aut raro sunt mutandi. *Cyri consilium.*

24 Ne qui Provinciis præsunt, summum in eas imperium sibi usurpent, & à Repub. vel rege deficiant, adjungendi iis alii, qui sint vel pecuniarum Quæstores, vel urbium præfecti, & tanquam Præsidum provinciæ inspectores, mutuoque alii aliorum observatores. *Sic Cyrus Satrapas allegit Præsidibus, jam à se constitutis.*

25 Singulis annis publici census, item exercituum, id est, peditum, equitumque totius regni numerus recenseatur & ineatur. *Sic Cyrus.*

26 Annuatim inspectores in singulas provincias cum potestate extraordinaria mittendi, qui Regionis statum, subditorum queremonias audiant, ac Præsidum consilia intueantur, ac emendent ipsi, vel ad Regem referant. *Sic Cyrus instituit.*

27 In magnis regnis & late patentibus nuntios pedestres, vel equos citos dispositos esse in quavis illius regni parte, commodissimum est, ut de rebus omnibus citissime à quaque Provincia Rex aut Respub. admoneatur. *Sic Cyrus constituit Parasangas.*

28 Etiam in electivis Regnis majorem natu filium

filium ex pluribus defuncti Regis liberis eligi æquius est, nisi illius stoliditas, aut ignavia manifesta obstet. *Sic Cyrus elegit majorem natu.*

E. Hotom. in Francogallia. Hoc institutum Germani, Bohemi, Dani, Sueci & Poloni adhuc retinent, quod Reges quidem in concilio gentis eliguntur, attamen filii Regum prærogativam habent, & cæteris præferuntur.

29 Moriens Rex liberos suos sibi in imperio successuros de officio monere serio debet, & ad pietatem, atque erga subditos æquitatem servandam exhortari, & jurejurando obstringere. *Sic Cyrus suos liberos.* Item Principes cohortari tum ad mutuam inter se concordiam, tum ad Regi futuro obedientiam præstandam.

E. Sic D. Ludovicus Rex Galliæ gravem & efficacem cohortationem ad filium Philippum habuit, quam testamento inseri mandavit in hæc verba. Fili religiosus imprimis esto erga Deum, benignus & liberalis adversus egentes, legum ac morum imperii custos & vindex acerrimus, à vectigalibus & tributis abstineto, nisi te summa necessitas & utilitas publica ad hoc impellat, sin minus, tyrannum te potius quam Regem futurum putato.

Sic Carolus V. Imp. cum è Belgio discederet, & in Philippum filium hereditaria sua regna transferret, serio præsente Principe Orangio & seniore Bossuvio eum monuit, uti præ cæteris regnis, hisce cum primis Belgii provinciis magnam curam adhiberet, sciret hanc gentem nulla imperii severitate gubernari consuesse, abhorrere ab omni rigore, fastu, ac insolentia Hispanorum, libertati, privilegiis ac legibus suis valde deditam esse. Nisi ad hæc omnia animum adverteret, atque id observaret, ut omni

omni cum benevolentia, et justa suarum legum observantia hunc populum haberet, fore ut aliquando illius laboraret in Belgas imperium.

30 Maxime fidi esse solent Regi indigenæ et consanguinei cum eo ab ineunte ætate nutriti, et ab eo non offensi.

31 Vita factaque Regum occulta diu esse non possunt. *Cyri sententia.*

32 Vna fidelitas et veritas inter reliquas virtutes plurimos regibus conciliat, tum domesticos tum extraneos: Perfidia vero multos ab iis avertit, et ex amicis hostes reddit exitiales. *Xenophontis sententia.*

E. Vnde detestanda est perfidia Imp. Antonini Caracallæ. Hic pace cum Parthis facta regis filiam sibi depoposcit, rex annuit, ut sanguinis propinquitate amicitiam conciliaret. Imp. in Persidem magno comitatu ad sponsam profectus magnifice excipitur, tabulæ conficiuntur, dicta dos est. Interim Imp. comites, qui arma vestibus texerant, inopinantes regis amicos inter medias epulas trucidant: cœde facta fugit parricidarum omnium fœdissimus, qui etiam de turpitudine gloriari non erubuit, cum diceret hostes sic accipiendos esse. At tanti facinoris immanitatem Deus non diu inultam reliquit, sed paulo post à domesticis eum occidi passus est, cum alvum exoneraret.

Hinc nunquam satis laudari potest Caroli V. Imp. fides et constantia in promissis servandis. Cum enim sub publica fide cavisset Luthero, ut VVormatiam securus et tutus veniret, et rationem redderet suæ fidei, se curaturum, ut salvus eo venire, et domum redire posset, ac multi Pontificii, Episcopi, et Cardinales, Imperatori persuadere conarentur, non servandam esse fidem

dem hæretico, ipse nihilominus fidem ipsi promissam inviolatam servavit, ac adjuncto caduceatore, ut domum salvus & incolumis reverteretur mandavit. Sleid. lib. 3. comment.

Quinimo Carolus V. interrogatus à Ludovico Comite Palatino Rheni, cur non Luthero datam fidem frangeret, respondit. Fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere. Zenoc. lib. 1. de rebus gestis Caroli V. Imp.

33 Impietas ac perfidia Regnum Persarum quamvis ditissimum perdidit, eorum subditos omnes corrupit, & Persas omnibus mortalibus invisos & exosos reddidit. *Xenoph.*

E. Sic cum Conradus Cæsar ingentem expeditionem suscepisset in Syriam contra Turcam, fraude Græcorum illa expeditio irrita facta est, Emanuele Græcorum Cæsare, perfidia plusquam Punica Christianorum farinæ gypsum immiscente. Major exercitus Christiani pars periit peste, fame, et gladio, terraque Sarracenorum ditata est spoliis et armis Christianorum. Meyer. in rebus gestis Flandr.

34 Veteris sanctæque disciplinæ in bene moratis Rebusp. constitutæ neglectio secum ruinam quoque imperii trahit. De *Persis Xenophon.*

35 Bonorum Reipub. institutorum atque sanctorum morum duæ teterrimæ pestes ac corruptelæ; nimirum publica voluptatis licentia; et pecuniæ congerendæ seu avaritiæ laudatum tanquam rei honestæ studium. *Xenophon.* Accommodate huic aphorismo adscribi potest Salustii effatum: Neque quisquam extollere se, nec divina mortalis attingere potest, nisi omissis pecuniæ atque corporis gradiis. Imp. Adrianus voluptates medicorum pillulis comparavit,

quæ

quæ extrinſecus auro & ſaccaro inductæ, intus ſunt amariſſimæ.

Veriſſimum eſt, quod tradit P. Martyr, quod vitiorum omnium nutriculæ ſunt Voluptas atque inertia.

Plato de ſua in Siciliam peregrinatione ita ſcribit. Quo cum veniſſem, vita illa beata quæ ferebatur, nullo modo mihi placuit, plena Italicarum Syracuſanarumque deliciarum, bis in die ſaturum fieri, nec unquam pernoctare ſolum, cæteraque quæ huic vitæ comitantur, in qua ſapiens efficitur nemo, moderatus vero multo minus.

E. Hinc etiam recte Bion Boriſthenites ad divitem avarum dicebat. Non hic ſubſtantiam poſſidet, ſed ab ea ipſe poſſidetur. Tenaces ajebat opum ut ſuarum habere curam, verum ex eis ut ex alienis nihil capere utilitatis. Livius de Roma. Nulla unquam Reſpub. nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſeræ luxuria avaritiaque immigraverint, nec ubi tantus ac tamdiu paupertati ac parcimoniæ honos fuerit. Auaritia porro recte à D. Paulo omnium malorum radix appellatur. Exemplum eſt in Iuda Apoſtolo quem avaritia reddidit, invidum, ſacrilegum, proditorem & parricidam.

Hinc ſummopere prædicanda frugalitas & temperantia Romanorum, de quibus ſcribit Lipſius lib. 4. admir. cap. 5. Plinium & Plautum teſtes habemus, Populum Romanum per aliquot ſæcula non niſi farre & pulte vulgo uſum. Quod ſi nuptiæ, feſtivitas, aut lætius convivium eſſet, pro magno pauci piſciculi, & porcinæ aliquot pondo in obſonium adjecta.

56 Ibi perit rei militaris ſtudium, ubi non illius

lius periti homines, sed cujusvis vocationis homines ex favore, non ex virtute exercitui, vel militibus præficiuntur. *Xenophon.*

EX EXENOPHONTIS LIBRO DE REPUBLICA LACEDÆMONIORUM.

IMbecilliores liberi gignuntur ex imbecillioribus parentibus, ex frequentiore coitu, ex parentibus, ætate vel provectioribus, vel junioribus adhuc.

E. Hinc recte Iulius Cæsar de Germanis scriptum reliquit, Germani ante 25. annum fœminæ habuisse notitiam, in turpissimis habebant rebus.

Similiter Tacitus de Germanis: *Severa apud eos matrimonia, nec ullam partem magis laudaveris, nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt.*

2 Liberorum in eadem civitate educatio ut sit & modesta & benevolentiæ inter eos conciliatrix, sic fiat, ut

3 Sit unus & idem omnium præceptor communis, homo liber, non servus conditione, honoratus, non vilis.

4 Peccantes pueri cujuscumque sint conditionis, æqualiter puniantur: officium vero facientes laudentur æqualiter.

E. Hinc Lycon Troadensis ajebat adiungi necessario pueris pudorem & laudis stimulum, velut calcar atque frenum.

5 Ne à teneris annis nimium delicate aut gulose alantur; vel sumptuose vestiantur; vel otiose domi contineantur.

E. Hinc Bartolus ad magnam eruditionem summo & ardenti studio pervenit, nā ad pōdus

& menſuram comedit & bibit, ut ingenium pariter diſpoſitum, & nunquam alteratum haberet.

Vnde etiam ad tantam eruditionem pervenit, ut univerſum Iuris civilis corpus doctiſſimis Cõmentariis illuſtraverit, ideoque & eruditio ejus in tantum ob Interpretibns Iuris commendatur, ut merito dicatur Coryphæus & Lucerna Iuris civilis.

Quinimo tanta eſt ejus in foro auctoritas ut ab ejus ſententia in judicando & conſulendo non facile recedatur, ita ut Advocati ac patroni cauſarum, qui ſuæ opinionis habent aſſertorẽm ac defenſorem Bartolum, plerunque victoria cauſæ potiantur.

Similiter Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico ſcribit Eſſeos quietiſſimam vitam egiſſe, quod apud eos edendi & bibendi modus ſaturitate definiretur: uno genere cibi utebantur, ſeneſcebant valde. Otio juvenes ne nimium quoque indulgeant, ſecuti exemplum Demoſthenis, qui dolere ſe ajebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. Hinc & Solon legem tulit, ut quiſque quotannis magiſtratui indicaret magnitudinem ſuarum facultatum, & artificii genus, unde ſibi honeſte victum pararet, & ſi quis otiũ ſectaretur, hunc urbe propulſandum eſſe ſtatuebat.

6 Puerorum induſtria & corpus aliquo honeſto certamine ac præmio propoſito publice privatimque exerceatur ac excitetur,

7 Omnes pueri diſcant revereri publice omnes ſeniores velut parentes ſuos ac honorare, iiſque etiam ſupervenientibus cedere.

E. Sic eleganter Demetrius Phalereus juvenes aſſerebat oportere domi quidem revereri parentes,

tes, in itineribus autem obvios, in solitudine vero seipsos.

8 Spurci tum amores, tum amatores omnes ab adolescentibus arceantur quam longissime:

E. Sic anno 1555. Galliæ Rex Metis legem promulgavit, si quis frater, aut soror, aut avunculus, aut tutor leno sit alicujus virginis aut mulieris, ut annulo ferreo collum habeat insertum, & cum ita palam prostiterit omnium expositus injuriis, virgis cædatur, & in exilium ejiciatur. Si vero pater aut mater idem fecerint, capitis afficiantur supplicio. Sleid. lib. 26.

Huc non inepte referri potest exemplum quod refert Bodinus de Mendoza legato Hispanorum. Hic cum legationis causa missus esset in Angliã, dixit. Turpe esse viros & fœminas simul in sacris concionibus permistos videri, cui Dalus magister libellorum supplicum Regis Anglorum urbane reposuit. Turpe id quidem apud Hispanos, qui etiam in sacris locis cogitant de explenda libidine, à qua procul aberant Anglorum mores. Bodin. lib. 5. de Repub. 1.

Sic Sophocles cum ab eo quæreretur, an etiam rebus Venereis uteretur. Dii meliora, inquit, Lubenter enim isthinc tanquam ab agresti & furiosa dominatione profugi.

9 Iuvenilis ætas eget maxime freno. (Est autem ea juvenilis, quum quis excedit ex ephebis) ac honestis laboribus, (qui sint eorum ingenii ad majora capessenda experimentum) probetur & exerceatur.

10 Iuvenes cum summa modestia publice privatimque incedant.

11 Alii aliorum sint observatores.

12 Legibus, non iræ, aut voluptati suæ parere mature & ab ineunte ætate assuescant.

E. Hinc Leo Byzantinorum ad Athenienses legatus, cum in concione derisus esset ob corporis brevitatem. Cur hominem ridetis, inquit, cujus uxor tam pusilla est, ut mariti genua vix attingat? nam & si angustissimo cubili contineamur, nihilominus tamen cum ira exarsimus, vix Byzantii mœnia quantumvis ampla sint, capere utrumque possunt.

13 Victus autem ratio, præsertim sub iisdem præceptoribus, publica sit.

14 Ad sanitatis, non voluptatis, aut aviditatis rationem instituta.

E. Sic pulchre Tertullianus. Editur à Christianis, quantum esurientes capiunt, bibitur, quantum pudicis est utile, ita saturantur, ut qui memores sint per noctem etiam sibi adorandum esse Deum, ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire.

15 Ab eorum victu compotationes, invitationes, inebriationesque quam fieri potest, absint longissime.

E. Sic licet in Alexandro M. fuerint rarissimę & admirandæ virtutes, tamen rerum à se gestarum gloriam turpissima ebrietatis consuetudo fœdavit, cum etiam talenti præmium proposuisset ei, qui ampliora vini pocula siccaret, in quo certamine quadraginta cum eo qui præmium tulerat, effusis visceribus propemodum spectante Rege crepuerunt, ac interierunt.

Tacitus de Germanis. Diem noctemque continuare potando nulli probrum, crebræ ut inter violentos rixæ. Hinc cum quatuor Germanorum legiones Romam Carolo Borbonio duce cœ-

cœpissent, vix anno vertente dimidia legio superestes in Germaniam rediit, cum nullam nisi à crapula offensionem accepissent. Guicciard.

16 In suis congressionibus & cibo capiendo sermones honestos de rebus à se vel ab aliis præclare gestis habeant.

E. Sic Imp. Alexander Severus cum inter suos convivaretur, aut Vlpianum, aut alios doctos homines adhibebat, ut haberet colloquia literata, quibus se ali & pasci dicebat.

17 Cibum semper præcedat eorum exercitatio.

E. Sic Cyrus Rex Persarum nunquam prandium aut cœnam sumere solebat, quin laboribus & exrcitiis sudorem sibi comparasset.

18 Nobilibus ac generosis ad arma tractanda idoneis artes omnes sordidæ, & quæ solum lucrum captant, interdicendæ.

E. Sic in Hollandia, Geldria, Zelandia, Frisia, Transisulania aliisq; Belgii provinciis stricte observatur, quod nemo mercaturam vel ullam manuariam artem exercens, possit nobilitatis privilegiis & prærogativa gaudere.

Præclare quoque Imperatores Honorius & Theodosius in lib. 3. cap. de commerc. & mercator. Constituerunt, quod nobiles natalibus & honorum luce conspicui, & patrimonio ditiores, perniciosum urbibus mercimonium exercere nequeant, ut inter plebeios & negotiatores facilius sit emendi, vendendique commercium.

In Germania nobiles mercaturam facientes, amittunt jus nobilitatis. vide Nolden de nobilit. cap. 22

Contra in Hiſpania, ubi nobiles viliter & mechaniter viventes, gaudent immunitate nobilitatis, quod deplorat Arze ab Otalora in ſuo Tract. de nobil. Hiſp.

Imo Covar. Hiſp. ipſe, ſe vidiſſe fabros lignarios nobilium privilegiis gaudere affirmat.

Florentiæ ſericis, Senis lanæ operantes & panno vidimus nobiles; verum cum manuariis iſtis nobilibus nihil nobis heic commercii.

19 Liberales autem & militares duntaxat concedendæ.

20 Omnes ac præſertim potentiſſimos quosque & maximæ authoritatis in Rep. aut Regno viros Legibus ac Magiſtratibus parere oportet, & ad eam rem aſſuefieri.

E. Plutarch. in Apophth. Lacon Ageſilaus interrogatus, quamnam obcauſam Spartani aliis fœliciores eſſent, reſpondit. Quia pluſquam alii exercent ſe in imperando & obediendo.

21 Legibus iis maxime parent omnes, quas & Deo probari, & juſtas eſſe ſciunt, quaſve volentes ac conſentientes ipſimet receperunt.

22 Summa quævis poteſtas in Repub. eſt certis legibns coercenda & vinculis: non autem libere quidvis pro animi arbitratu agere permittenda. *Sic Sparta ab Ephoris Reges coercentur: Ephori ipſi, à populo & Regibus.*

23 Ignavis atque è bello fugientibus, publica ignominia, cujus ipſoſmet fugientes pudeat, publice irroganda.

E. Sic Lipſ. in admirandis lib. 4 c. 4. Quis neſcit Romanis militibus locum in acie vel prælio ſervandum, vel moriendum fuiſſe? Inde contem-

temtus periculorum et hostium, et in medios illos vel exiguam manũ si dux misisset, quis non sine cunctatione parebat? Exemplum illustre est in primo bello Punico. Consul parum provide suos ductans, in locum humiliorem, et collibus, undique cinctum insinuarat. Hostes aditus insederant, et sine ferro confectum bellum videbatur. Ibi tribuinus consilium suppeditat. Consul inquit, vides tu collem illum nondum ab hostibus occupatum? illuc censeo mittendam cohortem militum, si te et alios salvos vis. Hostes enim in illos irruent, interea tu si vir es, te explicabis, et pervades. Placuit consuli sententia, nec de militis obedientia dubitabat, sed ducem illum, qui in certam mortem eat, quem habemus? Me ipsum, ait ille: Dictum, factum, quadrigenti ad moriendum proficiscunsur, et cadunt, solus tribunus inter mortuos semimortuus ipse repertus convaluit, et sæpe utilem operam Reipub. postea navavit.

24 Senectus ab omnibus publice veneranda.

E. Plutar. in Libel. An seni sit gerenda Respub. Præclarum sane est spectaculum Senex orans, agens aliquid seriæ rei et honore affectus. Qui vero totos dies ad mensam exigit, aut in angulo porticus desidens nugatur, is facile à civibus contemnitur.

25 In unoquoq; civium ordine ætas militaris præscripta descriptaque esse debet.

26 Omne artificiorum ad bellum necessariorum genus in Repub. bene instructa abundare debet: item et parati semper currus et jumenta, quæ bellica instrumenta vehant.

27 In certas turmas et cohortes quilibet exercitus dividendus: cuiq; autem turmæ et cohorti, non unus; sed tot præsint, quot sũt necessarii.

28 Castra metanda circulari forma, non quadrata.

29 In castris ipsis militares exercitationes instituantur ac fiant.

30 In castris Deus invocandus, præsertim quũ vigiliæ seu excubiæ collocantur.

E. David cum hostibus congressurus, nunquam absque præviis precibus ad Deum exibat. Constantinus Magnus contra Persas militans, Tentorium forma templi exstructum secum habebat, in quo sacra fieri fecit: nec non omnes legiones portabant secum Templa mobilia, pro Diaconis & Sacerdotibus, unde venit nomen Missa Castrensis. Non negligens fuit in hoc opere Victoriosus Rex Sued. Gustav. Adolfus, quod omni mundo obvium est.

31 Bella & à Dei invocatione & post diuturnam deliberationem suscipienda.

E. Hinc in unito nostro Belgio instituuntur **die bett vnd fastentage** / quando expeditio aliqua suscipienda: dein re bene confecta non negliguntur **diedanckpredigten** / ubi victoria potiti exercitus reducuntur ad quietem.

32 Regum opes aut reditus ne sit nimium tenuis, vel opulentus, Tenuis quidem, ne non pro dignitate ac merito afficere prœmio possint aliquem, rebusque ac oneribus necessariis satisfacere propter inopiam. Opulentus autem nimiũ, ne Reges aut insolescant, aut tyranni evadant.

E. Hinc Deutero. 17. Deus has leges Regibus præscripsit. Vt in equitatu comparando modum adhiberent, ne plures uxores haberent, & ut in pecuniis cogendis mediocritatem servarent.

EX

EX LIBRO XENOPHONTIS DE REPUBLICA ATHENIENSIUM.

DEmocratia seu populare imperium est teterrimus optimarum Reipublicæ formarum status.

E. Guicciard. Ab iis qui de Repub. scripserunt, popularis status minus laudatur, quam is in quo ad unum Principem, aut ad optimates omnia referuntur.

E. Maximus Tyrius ut democratiam semper perniciosam fuisse convinceret, testimonium protulit Atheniensium, Syracusanorum, Carthaginensium, Ephesiorum. Et quidem ut populo placeat, cui vitia displicent, per naturam fieri non potest. teste Seneca. Sic Anacharsis Atheniensium conciones & concilia sine risu spectare non potuit, ubi status erat democraticus, cum diceret Athenienses rerum agendarum summam populo proponere, furiosos vero quid agendum esset, decernere consuevisse. Sic cum Biantem popularis homo inepte interpellaret, ut statum popularem in sua civitate stabiliret, ille sapienter. Fac, inquit, tuam familiam popularem. Ex democratia itaque quæ omnium honorum, fortunarum, ac imperii æquationem proponit, civitatum omnium interitus sequitur, cum ne privata quidem familia recte constituatur, nisi uni summum imperium mandetur.

2 Quibus in locis ac populis artes sordidæ lucrosæ, vel nauticæ plurimum exercentur, ibi magna est servorum, inquilinorum, ac opificum licentia ac petulantia.

3 In democratia utilitas populi, non autem jus; libido;

libido, non æquitas spectari & vincere ut plurimum solet.

4 In democratia generosi & divites vexantur, ac periculose vivunt.

5 In democratico statu socii facile bonis spoliantur ne rebellent.

6 In democratia populus vult jus à se uno undique peti, tum honoris gratia; tum ut omnes in metu sui contineat, & ne imperium suum autoritatemque alii concedere videatur.

7 Centesima mercium exacta in portu Atheniensium tributi nomine.

E. Sic Dio scribit. Cum pecunia opus esset, & maxime ad vigilum cohortes jam institutas, Augustus vectigal quinquagesimæ in venditione mancipiorum indixit. Tacitus in Tiberio. Centesimam rerum venalium deprecante populo edixit, ærarium militare eo subsidio niti.

8 Quæ urbes mari imperant, sunt amicæ & sociæ habendæ, ne commeatum prohibeant: aut ne nos vicinos ex improviso adoriantur.

E. Sic cum intestinum dissidium exortum esset inter Edzardum Comitem Emdanum, & oppidum Emdam super jurisdictione & causa religionis Anno 1595. Primum introductis præsidiariis militibus cum consensu urbis: deinde deputatis certis legatis Illustres Ordines generales Belgii litem diremerunt, & sibi hanc urbem maritimam sociam reddiderunt.

9 Navalis scientiæ & militiæ major est tum usus, tum commoditas, quam terrestris.

10 Insularis oppidi magna est, præ terrestri, securitas.

11 In democratico statu minus semper sunt firma contracta cum aliis populis fœdera, & ipsamet Reip. decreta.

12 Opti-

12 Optimates quique inimici populo, & populari statui.

E. Guicciard. lib. 2. Illud dicam, illum imperandi modum, quo pauci immoderata auctoritate Remp. gerunt, paucorum semper Tyrannorum fore, qui eo erunt uno Tyranno perniciosiores, quo pernicies omnis capitalior ac nocentior erit multiplicata, quam sola.

13 In democratia tenues potius quam divites ac optimates præficiendi, ne Reip. forma statim evertatur.

EX HISTORIARVM POLYBII.

Libro I.

EXercitus extraneus nequaquam est in aliquod nostrum oppidum, præsertim robustus, temere & facile intromittendus. *De Messana & Rhegio occupatis.*

E. Hoc pessime observatum à Comite Lycestrio gubernatore Belgii, dum Daventriam patriam meam nimio exercitu Anglorum & ferorum barbarorumque Hibernorum implevit. Hi enim duce proditore Guilhelmo Stanlejo Anglo contra Remp. conspiraverunt, & urbem hosti prodiderunt, inita conjuratione cum vicino hostium Tribuno Taxio, Zutphaniæ tunc temporis militare præsidium tenente; qua civitatem per proditionem hosti sive Hispano tradidit.

2 Est fidelis Reipub. item Ducis & Imperatoris, suos qui contra jus occuparunt oppida sociorum specie ferendi auxilii bello persequi, & comprehensos graviter punire. Nec enim ullis, nedum

nedum sociis prætextu auxilii ferendi sua sunt adimenda. *De Romanis Romanos 300. qui Rhegium occuparant, punientibus.*

3 Ad populi victi benevolentiam erga se captandam prodest plurimum moderate parta victoria uti. *Hieronis exemplum.*

4 Militum seditiosorum, aut extraneorum, qui sunt inutiles, tollendorum hæc est expeditissima ratio, si prætextu certaminis hostibus objiciantur, & in acie cædendi deserantur. *Hieron sic delevit seditiosos.*

E. Sic Albertus Archidux Austriæ, in pugna Flandrica Anno 1600. commissa, milites seditiosos nulle ducentos in prima acie collocavit, qui omnes ad unum fere cæsi sunt à generoso Comite Mauricio Nassovio, supremo Ordinum Belgii duce.

5 Vicini populi nimium crescentis potentia est mature quacunque ex occasione deprimenda & sistenda. *Sic Romani Carthaginiensium potentiæ obstiterunt Mamertinis succurrentes.*

6 Exercitui in peregrino solo versanti societates indigenarum regionis minime recusandæ, imo ambiendæ. *Sic Romani in Sicilia Hieronis amicitiam acceptant.*

E. Sic quandiu Ludovicus XI. Galliæ, Rex nullius Principis aut populi societatibus implicari voluit, hostium in cursionibus sæpe oppressus est. Cum vero societatem cum Helvetiis contraxisset, nulli deinceps in ejus imperii fines invaserunt, ipsique Helvetii vicissim tutius beatiusque vixerunt. Bodin. lib. 5. de Repub. cap. ult. Vnde Reges Galli Sæ societatem cum Helvetiis inierunt, ut ab iis auxiliares copias urgente bello accipiant, ac vicissim Helvetiis adversus hostilem incursionem opem ferant. Quo nomine

mine Reges Galliæ pensiones mille aureorum in singulas civitates dependunt, ut vocati auxiliares exercitus Gallis præbeant. Bodin. d. loco.

7 Hostis superandi victoriæque obtinendæ facillima ratio est, si arx & præsidium quod habet hostis maximum, & in quo militum annonam & commeatus reponit, capiatur. *Sic Romani Agrigentum.*

8 Obsidio absque commeatu & annona parata, aut horreo vicino, neque tuta, neque diuturna, neque felix esse potest. *Sic Romani Erbeso capta pressi.*

9 Post victoriam partam non sunt excubiæ negligentius ab exercitu agendæ. *Sic peccatum à Romanis victo Annone.*

10 Adversus hostem in navali bello & re nautica potentem parandæ naves, exercitiusque rei nauticę colendus. *Sic Romani Carthaginiensibus.*

11 Novæ in bello machinæ & hostibus incognitæ magnum ad victoriam momentum afferunt. *Sic corvi navium à Romanis excogitati.*

12 Imperator in prœliis infelix, ab exercitu est removendus. *Sic Annibal in primo bello Punico est remotus.*

13 Bellum in hostile solum transferre, quantum possumus debemus. Nam ea ratione magis terretur hostis, & ad sua tutanda revocatur. *Sic Romani in Africam trajiciunt.*

14 In hostico versantes omnia terrore, incendiis, rapina implere debent ad sui metum injiciédum: item loca ad sese recipiendum munire, ac denique perculsis jam hostibus insistere. *Sic Regulus in Africa egit.*

15 Magnas exercitus clades solet sociorum ac vicinorum defectio, incursioque sequi. *Sic Carthaginiensibus victis accidit.*

16 Du-

16 Ducum in exercitu imperitia etiam strenuis militibus obest, ac cladium causa est. *Xantippi dictum.*

17 Æquæ conditiones etiam victis ut sese summittant, offerendæ. Sunt autem æquæ, quibus omnino neque laude neque rebus suis spoliantur. *Regulus durior* C*arthaginem non cepit*.

18 Acies sic instruenda ut ab hoste vel tota, vel ex parte circumveniri non possit. *Regulus sic peccavit.*

19 Imperatoris citra controversiam militaris et periti, vel unius præsentia ac sententia, centum Ducum imperitorum judicio et strepitui præferenda est. *Sic unus Xantippus restituit rem Carthaginensibus.*

E. Sic Antigonus olim trepidanti gubernatori in navali prœlio contra Ptolemæum, et multitudinem hostium causanti, respondit. Me vero præsentem, inquit, cum quot comparas?

20 In hostico vires nostræ præ fiducia animi à nobis imminutæ, magnarum sæpe cladium causam afferunt. *Sic peccarunt Romani dum Regulum in Africa cum parte tantum copiarum relinquunt.*

21 Duobus maxime modis homines solent in melius sententiam mutare: vel propriis calamitatibus edocti; vel cladium alienarum exemplo admoniti. *Polybii sententia.*

22 Dux peregrinus, post res præclare in alieno solo à se gestas, statim ne sit multorum invidiæ obnoxius, discedat. *Sic Xantippus se recepit.*

23 Suis in hostico laborantibus est totis viribus succurrendum, ne alii fiant ignaviores, et hostes audentiores. *Sic Romani suis in Africa obsessis auxilium statim tulerunt.*

24 Etiam summos Imperatores oportet nautis

tis in re navali ac navigatione parere. *Polybii sententia.*

E. Sequutus hoc monitnm Carolus V. navigans in Hispan.

25 Nimia vel rerum prospere gestarum fiducia; vel oppidorum hostilium intercipiendorum aviditas, summos duces et exercitus in discrimen sæpe adducit. *Sic Æmilius & Fulvius classem amisere.*

E. Vnde Scipio Africanus prudens et præclarum dictum protulit. Non esse consuetudinis Romanorum , vel adversis rebus frangi et succumbere , vel secundus rebus insolescere atque efferri. Plutarch. in Scipione.

26 Non qui pedestri certamine fidunt et audacia valent, iidem in navali prœlio, vel iisdem de causis fidere et audaces esse in terra debent. *Polybii sententia.*

27 Hostes post infortunium et cladem undecunque acceptam à nobis urgendi, et infestandi. *Sic Carthaginenses Romanos post classem amissam.*

E. Sic Suedi insequuntur hostem post cladem Lipsiensem Halam et Meysburgum et alia usque loca.

28 Est constantis populi post cladem semel acceptam hosti non statim cedere, sed urgenti et instanti fortiter resistere, imo majoribus etiam viribus collectis illi obviam ire. *Sic Romani Carthaginensibus restiterunt post naufragium, & post claßem* Drepani *amissam.*

E. Sic Pyrrhus duplici victoria adversus Romanos elatus, ac pene Italia potitus, legatos Romam misit , pacis æquas conditiones excepturus: legatis responsum est, pacis nullā fore actionem, nisi Pyrrhus Italia excederet. Rex accepto respon-

responso dixisse fertur, Romanos nec victores, nec victos acquiescere posse. Plutarch. in Scipione.

Hinc etiam improbatur factum Imp. Augusti, quem cum Varianam cladem in Germania passus esset, tribus legionibus, cum duce, legatisque & auxiliis omnibus cæsis, adeo consternatum ferunt, ut per continuos aliquot menses barba, capilloque submissis caput interdum foribus allideret, vociferans QVINTILI VARE redde legiones, diemque cladis quotannis habuit mœstum & lugubrem. Sueto. in vita Augusti, cap. 24. Longe præclarius & præstantius fuit hoc Apophthegma Scipionis, qui dicere solet, non esse consuetudinis Romanorum, vel adversis rebus succumbere, vel secundis rebus insolescere, vel efferri.

29 Nautica res nec quovis anni tempore, nec ab imperitis, nec pari animorum obstinatione, atque pedestre bellum geri aut administrari debet. *Ibidem.*

30 Exercitus semel novo aliquo armorum, machinarum aut militum genere perterritus, neque facile neque cito adversus ea confirmatur. *Sic Romani elephantis diu sunt terrefacti.*

31 Non quævis hostium fuga, mora & detrectatio certaminis, est verum pavoris illorum ac metus signum, sed sæpe strategema est, ad nos in locum iniquum alliciendos, vel securiores, ac minus cautos reddendos. *Sic Cæcilius consul.*

32 Oppidum quod Regni ac nostrorum finium clavis est & munimentum, uti summis viribus est oppugnandum; sic oppugnatum defendendum. *De Lilybæo sic oppugnato & defenso.*

33 In obsidione est magnus periti & strenui

nui Ducis, si usquam alibi, usus. *De Imilcone Lilybæo.*

E. Hoc experientia comprobavit in obsidione Leydensi. Vbi conspecta est singularis & eximia constantia Consulis Petri Adriani vander VVerff. Cum enim in extrema obsidionis angustia aliquot cives eum accessissent, & magnam miseriam urbis ostendissent, eumque graviter admonerent, ut cum Hispanis de deditione ageret, constanter respondit. Ego juramentum quod pro salute patriæ præstiti, spero me Dei auxilio servaturum. Si mea mors vobis servire potest, ecce me vobis dedo, perinde est, sive à vobis, sive ab hostibus interficiar, semel enim mihi moriendum est. Quia bonam causam foveo, sum fidenti & imperterrito animo, potestis corpus meum in partes secare, & inter vos dividere, si id vobis conducet, Qua oratione rubore confusi discesserunt & illius ductu auspiciis & consiliis præcipue post Deum Opt. Max. urbs servata est, ne in manus hostium incideret.

34 In obsidione qui præsertim peregrini de deditione agere deprehenduntur; muneribus & exhortationib. confirmandi, & leniendi potius quam vi reprimendi. *Sic Imilco Gallos Lilybæi.*

35 Nostris obsessis & fortiter se gerentibus est quamprimum mittendum auxilium, & totis viribus, hoc enim eos valde confirmat. *Sic Carthaginienses Lilybæis.* Denique quid agant dietim, quantum fieri potest, explorandum.

E. Sic obsessos Leydenses Illustris Princeps VVilhelmus Auraicus ex vicina urbe Delphensi, missis literis per fidos exploratores & nuntios consilio & prudentia juvabat, ac ut animose & fortiter contra hostē se defenderēt, hortabatur.

Quin

Quin etiam tandem omnibus viarum accessibus per hostem obstructis, per columbas internuntios literis transmissis, illis sua consilia de liberatione instanti exponebat.

36 Duci obsesso utendum est, & quidem confestim alacritate animorum, quam in suis videt, ad irruptiones faciendas & hostium obsidentium machinas corrumpendas. *Sic Imilco Lilybæi.*

E. Hoc egregie præstitum est à militibus Hispanis in oppido Cliviæ Reessa à Germanis obsesso. Illi enim strenue ex urbe egressi, hostem ab urbe depulerunt, machinasque bellicas hostium partim corruperunt, partim in Rheno suffocarunt.

37 Præmia militibus sunt proponenda, quo ad magna facinora edenda excitentur. *Sic Imilco, sic Appius Claudius.*

E. Sic Romani ex omni coronarum genere quæ plurimæ fuerunt, nullam pretio majore æstimaverunt quam gramineam, quam uni Fabio Maximo Dictatori decreverunt, duorum verborum commendatione, patriç servatori. Quin etiam miles Romanus cum ad Avarici obsidionem strenue se gessisset, aureum torquem à Labieno Cæsaris legato sibi oblatum repudiavit, cum diceret, se virtutis non avaritiæ præmia laturum.

38 Obsessis ad incendendas hostium machinas vento, si quis opportunus exoriatur, mature utendum est. *Sic Imilco Lilybæi.*

39 Oppida quæ vi oppugnari non possunt, fame vel longo tædio tandem dediditione capiuntur. *Sic Lilybæum captum.*

E. Sic Ipera, Antverpia, Ziriczea, Harlemum, Ostenda, & aliæ munitissimæ urbes in Hispani potesta-

potestatem tædio famis coactæ sese dediderunt; à nostris vero Illustribus Ordinibus fœderatis potentissima Zelandiæ urbs, seu metropolis Middelburgum, post diuturnam obsidionem fame est expugnatum, deinde & Slusa Flandriæ urbs Ordinibus fœderatis propter famem est dedita ab Hispanis. Vna cum sex vel septem magnis triremibus, quæ in portu Slusano conclusæ erant.

40 In prœlio navali potior est ejus conditio, qui pelagus tenet, & in pleno mari navigat, quã qui circa litus pugnat. *Sic Carthaginensium classis Drepani fuit superior.* Est enim navalis certaminis ars & commoditas summa, si per medios hostes præterlabi, ac deinceps in pugnantes impetum facere possis.

41 Hosti fortiter aggredienti opposita vicissim fortiter vis ac virtus terret eum & fugat. *Sic Appius Claudius ab Adherbale fusus Drepani.*

42 Classi & loca importuosa semper & quovis tempore fugienda, ac tempestatees prævidendæ: alioqui facile perit. *Sic Romanorum classis in Tachyno.*

43 Clades accepta, si fieri potest, novo aliquo lucro statim, & damno hosti illato compensanda; alioqui languidiores fiunt victi. *Sic* L. *Iunius Erycem montem cepit.*

44 Quum Resp. per se & ob inopiam publici ærarii quidpiam efficere non potest: privati sunt persuadendi, ut inter se eos sumptus partitos ferant & faciant. *Sic Romani quadriremes instruxerunt.*

E. Hoc prudenter Illustres Ordines Hollandiæ fecerunt Anno 99 & 1600. Cum enim publicum ærarium sumtibus belli suppeditandis non sufficeret, à singulis subditis & civibus moderatas

tas contributiones pro modo facultatum exegerunt. Quorum tamen indemnitati consulentes, iterum legitimas usuras ex publico ærario pro modo sortis collatæ, in publicos usus belli persolverunt, postquam summam collatam, altero amplius duplicassent.

Similiter Illustres Ordines Hollandiæ decreverunt Anno 1621. & 22. ut primo anno singuli cives & subditi millesimam bonorum suorum partem, deinde secundo anno quingentesimam portionem fisco seu ærario publico inferrent, ad sumptus belli gerendi contra Hispanos sustinendos.

Simile exemplum occurrit in historia Romana. Cum enim Pop. Romano adversus Antonium Mutinam obsidenti pecuniæ deessent, scribit Dio senatorii ordinis viris indictum, ut quatuor obolos solverent in singulas quasque tegulas ædificiorum, quæ Romæ incolebant, quod & tributum liberaliter persolverunt.

45 Eadem alea belli sæpius tentanda ubi vires Reipub. ferre possunt. Nam quæ semel feliciter non successit, postea succedere potest. *Sic maritima res tandem recte successit Romanis.*

46 Nauticæ rei intermissum studium & exercitatio, magnarum postea in navali prœlio cladium causa est: Itaque nunquam est intermittenda. *Sic Carthaginienses victi.*

47 Quum Reipub. vires non patiuntur aleam belli amplius tentari, est & mature & prudenter cum hostibus, vel per se, vel per socios de fœdere agendum, priusquam id hostes ipsi penitus nosse possint, dissimulato & prudenter celato ruinæ nostræ metu. *Sic Amilcar fœdus fecit.*

48 Est optimi Ducis scire & vincere, & cedere

dere prudenter tempori. *Polybii sententia.*

49 Diuturna bella tandem alterutrius partis calamitas finit, etiam quæ prius neque ratio, neque æquitas terminare poterat. *Sic primum bellum Punicum finitum.* Hanc spem fovemus de bello Germanico.

50 Magnas exercitus clades defectio sociorũ ac subditorũ sequi solet. *Sic Numidæ & extranei deferũt à Carthaginiensib. victis apud Egad. insulã.*

E. Tangit hoc monitum Moravos & Silesios post cladem Pragensem.

51 Extranei milites stipendiarii, vel habendi non sunt, vel sunt illis sua stipendia fideliter persolvenda, ne in nos ipsos insurgant. *Sic Carthaginensibus bellum periculosissimum conflatum.*

E. Exemplum sunt hodie Sueci, quibus nec stipendia numerata pro opera Saxoniæ Electori præstita, imo infra pacẽ Germ. habiti, modo in Saxonem ut socios impigre insurgunt.

52 Vbi extraneorum militũ magna est multitudo, nõ sunt simul habendi, sed diversa in loca (ne inter se cõtra nos conspirent) deducẽdi. *Sic Gisco.*

53 Otium & segenities militum in castris, aut præsidiis; itemque nulla eorum disciplina, omnium seditionum fons est. *Polybii sententia.*

E. Hinc laudabiliter Pisistratus cum in regnum evectus esset, accersi jussit eos, qui in foro deambulando atque otiando tempus tererent, & interrogavit, num quæ causa esset ipsos otiandi, simulque dixit. Si tibi boves aratores mortui sunt, de meo rursus cape alios, atque ad labores confer. Si egenus es, & inops seminum, de meo dentur tibi, veritus ne horum otium insidias aliquas pararet.

Hæc fuit præcipua causa defectionis urbis Geertrudenbergensis ad hostes. Quia enim

enim milites præsidiarii nullam disciplinam militarem servabant, naves inter Hollandiam & Zelandiam in flumine deprædabantur, rapinis omnes vicinos agros infestabant, tandem cum omnium suorum scelerum pœnas metuerent, urbem Alexandro Duci Parmensi proditorie accepta ingenti summa pecuniæ tradiderunt IX. Aprilis, Anno 82.

Otia enim dant vitia. Hinc Solon in suis legibus ignaviam turpemque inertiam severissime culpavit. Qui DESIDIAM inquit, sectatus est, is accusantibus obnoxius esto, & Iustinia. Imp. in Auth. de Monach. bene scriptum reliquit, Mens inerti otio dedita haud sane quicquam bonorum operum peperit.

Porro Scipionis Africani industria laudatur, & sedulitas, qui dicere solitus est, se nunquam minus otiosum esse, quam cum otiosus esset, neque minus solum, quam cum solus esset.

54 Exercitus extraneus ex pluribus & diversis populis conflatus ut ad obediendum paratior est, implacabilis. *Sic exertitus Carthaginiensium extraneus.*

55 Extranei exercitus pignora apud nos retinere satius est, ne vel in nos conjurent, vel perfidi sint. *Peccatum in eo à Carthaginensibus.*

56 Ab extraneis propter stipendia non persoluta semel irritatis novæ quotidie petitiones, novæque belli occasiones, & querimoniæ proponuntur & quæruntur. *Sic ibidem.*

57 Ad sedandas militum seditiones plurimum confert ex iis quempiam ad eos mittere, qui cum ipsis militarit, eos humaniter tractarit, & quem ipsi diligant. *Sic Gisco missus ad tumultuantes milites.*

58 Cum in quavis seditione, tum præsertim mili-

militari, pessimi quique se duces constituunt: itaque vel tollendi vel leniendi præcipui.

59 Nimia imperantium crudelitas & avaritia facit, ut quæcunque occasio occurrerit, subditi statim rebellent. *Sic Carthaginiensium crudelitas & avaritia Afros ad rebellionem oblata occasione impulit.*

60 Infirma est Respub. imo facile evertitur, quæ nullos nisi extraneos milites suos habet. *Sic Carthaginenses pene post primum bellum Punicum eversi.*

61 Remp. prudentem oportet in consiliis capiendis non tantum præsentia, spectare; sed etiam futura prospicere. Itaque non contentam esse rebus prospere ad tempus fluentibus; sed quis exitus inde sit futurus, perpẽdere. *Polybii sentẽtia.*

E. Comprobatur hoc monitum Dionisii Halicarnassæi testimonio, dum libro 10. antiquit. Roman. ita scribit. Optimus consiliarius ie est, qui non privatis inimicitiis impulsus, aut gratia adductus, sed publica utilitate commotus, suam sententiam dicit, & optime de futuris consultat, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumit atque colligit.

Vnde etiam Socrates recte scriptum reliquit, frugi & prudentem virum debere præteritorum meminisse, præsentia recte disponere, & futurum bene providere.

Huc etiam pertinet, quod Erasmus scribit in Adagiis, quod gemina fronte debet esse bonus Princeps, instar IANI antiquissimæ Italiæ Regis, ut & præterita noscat, & futura prospiciat, & provideat.

62 Hostis fugiens & perterritus, est persequẽdus, non autem sinendus vires & animũ colligere. *Hanno propterea accusatus, Amilcar contra laudatus.*

63 Sc-

63 Securitas post victoriam atque segnities Annonem perdidit.

64 Qui Principes pecuniæ colligendæ atque ærario augendo potissimum sunt addicti, & in ea re industrii; raro viri strenui ac militares esse solent aut evadunt. *Sic Anno Carthaginensis.*

65 Nimium præcipitanter spes victoriæ in ipso certamine concepta, facit, ut ordines non serventur, ac vincendi occasionem hostibus sæpe præbuit. *Sic Libyes victi ab Amilcare. Et lib. 2. de Ætolis ab Illyrico exercitu victis.*

66 In sociorum defectione magnum ad eos perterrendos & profligandos momentum affert, si qui ex illis vel sponte & ultro, vel à nobis sollicitati & retracti ad nos redeant. *Sic Narva Numida Libias deficientes à Carthaginiensibus terruit.*

67 In bello civili seu sociali victoris in captivos clementia & eorum liberalis dimissio, tractatio, & ad se invitatio, multum ad contrariæ partis exercitum dissolvendum, & ad se perrrahendum potest. *Sic Amilcar post partam victoriam adversus stipendiarios.*

68 Hostis crudelis impetus & furor maxime contraria parique crudelitate in eum adhibita sistitur & coercetur. *Sic Amilcar stipendiariorum exercitum.*

E. Exemplum est illustre in Bajazethe crudelissimo Turcarum Imp. Hic captus in prælio à Tamerlane Tartarorum Rege. Qui cum ad victorem Tamerlanem perductus esset, primum honeste exceptus est, cum & obviam extra tentorium pedes ivisset, illi in equo adventanti. Cum descendisset, uterque pro more gentis in tapete consedit. Atque ibi Tamerlanes, O CHAN, magnas uterque gratias deo debemus, ego, quod clau-

claudus ab Indię sedibus ad mœnia Sivastę imperium extenderim, tu quod à Sivasta ad ipsos Pannoniæ fines Orbem terræ pene inter nos partiti sumus. Debemus igitur gratias Deo, atque ego reddidi, et reddam. Tu vero parum grata & memori mente fuisti, & ideo hæc calamitas intervenit. Sed age mi CHAN, si ego sim in tua potestate, quid ageres? dic libere & veraciter. Ibi ajunt Bajazethen, qui virili & feroci erat animo, subjecisse. Equidē te, si numen victoriam adnuisset, in ferream caveam inclusum circūduxissem, cunctis spectaculo futurum. Tamerlanes hoc audito, sententia hac in ipsum est usus, & sic caveæ est inclusus. Miser per triennium fere ita vixit, & cum desperatione audivisset se in Tartariam captivum abducendum, caput validis iteratisque ictibus caveæ ferreæ incussit, & sic indignantem animam emisit.

69 Ducum in exercitu discordia nasci maxime solet ex diverso eorum ingenio, nimirum si eorum alter sit militaris, alter non: alter segnis, alter non: vel si sint ex diversis etiam in eadem urbe partibus seu factionibus electi. Ergo nisi illi duces dissentientes separentur, tandem ipsum exercitum perdunt. *De Annone & Amilcare.*

E. Inter Vnionis Principes in Germania novum habemus exemplum, diversa ingenia Anspacensis & Durlacensis mensurantes: quo dissidio discidium Vnionis factum est, & totius exercitus.

70 Exercitus imbecillior potest vel saltem commeatum firmiori intercludere sæpe: ac proinde id saltem conetur.

71 Ne cujusquam Principatus à vicinis sinatur in tantum crescere hostibus illius oppressis,

ut pro libitu postea dominari in omnes possit. *Sic Hiera Carthaginienses inuit.*

E Non inique hisce conatibus aduci potest denatus Rex Suedæ.

72 In captivos quibus fides data est, aut præter fas detentos crudelitas admissa tandem à Deo severe punitur. *Sic stipendiariorum in Carthaginienses crudelitas vindicata.*

E. Hanc crudelitatem contra datam fidem passa est ab Hispanis urbs Hollandiæ Nerdena. Nam cum Hispanus Nerdam cepisset, primum quadringenti cives è domibus in curiam vel Xenodochiam vocati, tanquam in publico loco audituri, quod bona fide pepigerant cum hoste, vitam scilicet & bona salva fore, contra datam fidem omnes interfecti sunt. Inde milites Hispani effusi in omnes libidines & latrocinia: mulieres, viduæ, virgines constupratæ, pueri, infantesque innocentes hastis excepti divulsi dilaceratique fuerunt. Vnde Centuriones Hispanorum hujus perfidiæ auctores & patratæ crudelitatis memores, cum Vltrajecti & alibi in extremo vitæ agone positi essent, animamque agerent; sæpe extimulante conscientia exclamabant, ô Nerda, Nerda.

Inter cætera atrocia facinora hoc inauditæ crudelitatis exemplum Nerdæ ab Hispanis est perpetratum, quod maritum quendam interfecerunt, & uxorem ejus ante oculos mariti stupratam cum filiolo ex pede suspenderunt. Interim puer quidam (ut putabatur) è cœlo dimissus, utrunque solvit, cum jam biduo sine cibo relicti essent, & pane allato, fame prope enecatos recreavit. Thuan. lib. 54. histo.

73 Exercitus à prudente & strenuo Imperatore ductus licet exiguus, longe fortior est quavis

vis magna multitudine confusa, aut ab ignaro Duce gubernata. *Ibidem.*

74 Præstat etiam in bello nihil tam crudele facere aut sponte attentare, quod tibi omnem cum hoste futuro reconciliationis spem adimat. *Polybii sententia.*

75 Bella ab imparatis & adhuc debilitatis propter alias clades sunt redimenda etiam injuste illata. *Sic Carthaginienses Sardinia cessere Romanis conquerentibus.*

EX LIBRO SECUNDO.

EXcubiarum negligentia & nimia etiam obsidentis exercitus securitas hostibus & quidem obsessis victoriam sæpe dedit. *De Epirotis qui ab Illyriis ad Phœnicem urbem cæsi sunt.*

E. Exempla habemus in captura Francisci I. Gall. regis penes Ticinum in vivario. Aliud in fuga Baronis de Dona cum per Alsatiam militem in Galliam duceret. Aliud in Archiduce Leopoldo, qui non ita multi sunt anni cum à Mansfeldio in Alsatia è publicis castris pelleretur.

2 Maritimis civitatibus & locis etiam pacis tempore præsidia necessaria; quoniam quovis tempore ab extraneis invadi, & percurri facile incustoditi possunt. *Sic Epirot, æ Ætoli, Achæi.*

E. Dantiscana Respub. nunquam non provida bene sibi prospicit de munimentis & fortalitiis licet inducias belli XXVI. annorum habeat.

Simili modo Genevates nuperis annis urbem suam muro cinxerunt, ne extraneo denuo facilis ingressus vel accessus saltem pateret.

3 Societas ea temeraria est & periculosa, quę spretis vicinis, longinquorum populorum amicitiam quærit & præfert, vel peregrinorum ignotorum fidei se committit. *De Epirotis.*

E. Expertus est hoc Palatinatus, societatem ambiens Bethelemi Gaboris

4 Populis de perfidia & levitate communi omnium voce infamatis non temere vel fides habenda, vel sua oppida & sese committendum. *Polybii sententia.*

E. Sic Polybius homo Græcus, qui domesticam ac militarem Romanorum disciplinam accuratissime perscripsit, ad Romanos astringendos verbum sufficere, Græcos vero si vel centum nummos mutuo acciperent, actuariis publicis decem, sigillis viginti opus fuisse, nec propterea fidem colere potuisse.

5 Nullus extraneorum numerus est in oppidum ullum aut præsidium introducendus, qui viribus vel numero cives ipsos superet. *Polybii sententia de imprudentia Epirotarum.*

E. Hujus præcepti triste exemplum experta est patria mea Daventria, repleta militibus Anglis & feris Hibernis, à quibus tandem duce & authore pessimo perfidoq; VVilhelmo Stanlejo Anglo, urbis gubernatore misere hosti Hispano prodita est. Anno 1587. XIX. Ianuar.

6 Prædandi piraticamque in mari exercendi licentia à nullo rege suis subditis concedenda, quæcunque spes aut dulcedo aut participatio prædæ fiat aut affulgeat; reddit enim eos rebelles postea. *Sic punita Illyriorum piratica.*

7 Legati sacrosancti sunt: ac proinde pro iis violatis bellum juste suscipitur. *Sic Romani contra Illyrios, & contra Gallos.*

E. Vnde Illustres Ordines Belgii inter cæteras causas juste bellum contra Hispanum susceperũt, quod cum legati illorum ad Regem Hispaniæ missi essent, puta Marchio Bergensis, & Dominus Montignyus frater Comitis Hornani, ut tẽtarent

tarent orationibus precibusque crudelitatem Regis in mitigandis sanguinolentis Hispanicę Inquisitionis decretis placare & delinire, Marchio Bergensis veneno sublatus est, Montignyus Mottam Medinam abductus, supplicioque capitali publice affectus est.

Similiter cum Fregosius & Rinco, Regis Francorum legati, connivente vel annuente ad hoc facinus Imperatore Carolo V. occisi essent, tota pene Europa bello conflagravit.

Nullum crudelitate Principis aut legatorum imprudentia recentius est exemplum eo, quod de Stephano VValachiæ præfecto memoratur. Cum enim Præcopi Tartatorum Imperatoris filium bello cœpisset, pater centum legatos ad filium repetendum misit, qui ut terrorem omnibus injicerent, etiam præfecto minas intentarunt, ac ni Præcopi filium mox redderet, futurum ut brevi tota regio ferro ac flamma vastaretur. Præfectus legatos omnes crudeliter necari jussit, præter unum, quem membris aliquot truncatum dimisit, ut inauditæ calamitatis superstes nuntius esset.

Barbarissimus omnium in eo genere fuisse videtur Moschovita Rex, qui clavo pileum capiti cujusdam legati affigi mandavit, quod injussus caput texisset. Bodin.

8 Cavendum maxime maritimis civitatibus, ne piratæ ulli, quantumvis recens exorti, potentiam nimia earum patientia in mari acquirant: vel aquandi aut commeatus parandi prætextu in regionem, vel oppida ingrediantur. *Sic Illyrii Dirrhachinis, Corcyrensibus & Achais molesti.* Itaque sunt communibus viribus ab omnibus civitatibus maritimis statim opprimendi.

9 Qui in remota regione Principis nomine

præest, semper periculose ab ipso Principe irritatur, vel minis quamdiu illic est & præest, terretur. Nam vel seditionem adversus Principem movere, vel alii regionem eam tradere solet. *Sic Demetrius Illyrius Corcyram tradidit Romanis.*

10 Vbi injusti, vel exosi subditis, vel vicinis imperii inclinatio prima fieri præsertim à potente vel æquiore hoste cœpit, statim tota illius ruina & integra eversio à vicinis impulsa, sequitur. *Sic Illyriorum regnum facile à Romanis eversum.*

11 Ad profligatum quidem jam, sed de quo nobis in posterum metuimus, hostem frenandum, & semper coercendum, tutissimum est; præsertim quum procul ab ejus regno absumus, vel alium ejus profligati & expulsi loco substituere regem, hominem illi inimicum & infestum: vel vicinum potentia augere. *Sic Demetrius à Romanis contra Teuta regnum Illyriorum auctus.*

E. Sic prudenter & utiliter fecerunt Illustres Ordines Belgii; quod repudiato & abjurato Philippo Rege Hispaniæ, propter tyrannidem & interdictionem veræ & reformatæ religionis, Belgicarum provinciarum principatum & gubernationem Francisco Duci Alenconio, & Elizabetæ potentissimæ Reginæ Angliæ detulerunt. Anno 1580. & Anno 1586.

12 Populi æmuli, adversarii & vicini nobis vires ne vel adeo in pace nimium crescant, nobis est cavendum. *Sic Romani Carthaginiensium imperium suspectum in Hispania habuerunt.*

13 Quando bella eodem tempore duo imminent, adversus diversos populos, prudentis est Principis non utrumque simul suscipere, sed unum duntaxat. Itaque cum eo qui se æquiorem

præbet

præbet prius paciscendum est, & ex ea parte metus tollendus. *Sic Romani cum Carthaginensibus fœdus iciunt, ingruente tumultu Gallico.*

E. Exemplum nobis Respub. Sueciæ præbet, qui Germaniæ factum bellum, prius VI. annorum inducias componebat cum Polonis; iis exspiratis pro continuandis induciis XXVI. anni ab utraque gente conclusi sunt.

14 Gentis unius in se ipsam frequentes seditiones & discordiæ, ipsius gloriam, incrementum, & res præclare gestas corrumpunt, & hostibus delendam exponunt. *Sic Galli.*

E. Huic Aphorismo conveniens monitum tradit Comin. lib. 4. dum inquit, Dissensiones serere facillimum est, sed in quibuscunque provinciis illæ radices egerint, iis ingentium cladium & exitii prænuntiæ sunt, quemadmodum multis regnis & civitatibus sæpe usu venit.

Hodie Germania miserum præstat exemplum, qui pro religionem diu unita & gravamina imperii non audita, nedum curata, jam adeo afflicta est, ut potius de sepultura quam de Medico cogitet.

15 Gentem aliquam alii genti hostem esse & velut spinam ac frenum Deus objici voluit. *Sic Galli veteres Romanis à Deo objecti.*

E. Hispani videntur esse flagellum Gallorum Belgarum & Germanorum.

16 Contra hostem strenuum bella diutina nos ipsos magis strenuos tandem efficiunt: ac proinde minime tutum diutius vicinos bello fatigare. *Sic Romani exerciti à Gallis.*

17 Exercitui in hostico versanti exitialis est inter se seditio. *Sic Transalpini deleti.*

18 Extranei populi non oratione duntaxat, & laude suorum majorum; sed donis quoque

& pecunia, & facilitate rerum, itemque spe lucri proposita in belli societatem à nobis inducuntur. *Sic Transalpini à Boiis persuasi.*

19 Bella maxima non nisi maximo prius apparatu commeatus, pecuniæ, telorum, armorum, & exercitus nostri, & sociorum facto recte suscipi, aut diu tolerari possunt. *Sic Romani sese præpararunt adversus Gallos.*

20 Prædæ servandæ aut in tuto collocandæ, imminente præsertim hoste, aviditas sæpe pulcherrimas rerum gerendarum occasiones corrupit, & hosti alioqui trepido victoriam concessit. *Sic Galli à Romanis victi.*

E. Galli & Poloni dum prædæ inhiant à victoria relinquentes hostem, quando non fugantur & delentur?

21 Magnum ad victoriam momentum est, hostium impetum eminus sustinere, aut in re inutili eludere: ipsos autem jam ita lassos cominus & gladiis aggredi & cædere. *Sic Insubres victi à Romanis.*

22 Magna militum ars est, scire qua ratione pressi pedem, servatis ordinibus referre, & prementes hostem pedem inferre debeanr. Magna Imperatorum aciem instruentium ars quoque est, sic aciem disponere, ut spatium militibus ad pedem referendum liberum & tutum relinquant. *Sic Romani observabant.*

23 Constantia in hoste obsidendo, & eodem tempore obsessis suis succurrendo, hostium animos prorsus infringit, & obsessum hostem fugere, aut se dedere cogit. *Sic Romani in obsidenda Acerra urbe.*

E. Hujus præcepti insigne exemplum edidit in bello Germanico munitissima urbs Magdeburgum. Cum enim Anno 1550. Carolus V. illam suo

suo exercitu sub auspiciis Ducis Saxoniæ Mauricii obsedisset, hæc fortiter restitit obsidioni, & licet in magnas angustias esset redacta, deditionem tamen facere detrectavit. In obsidione aliquoties erumpentes hosti plurima damna dederunt, atque 20. Decemb. Georgium ducem Megapolensem captum in urbem adduxerunt. Tandem cum summa patientia & constantia obsidionem pertulissent, victores evaserunt, atque honestissimos articulos pacis una cum veræ religionis exercitio, Dei beneficio impetrarunt, atque in gratiam ab imperio recepti sunt.

E. Unde vere de illis Sleidan. lib. 23. scribit, quod Magdeburgenses summam nominis gloriam apud exteros sunt adepti, quod prope soli per Germaniam suo exemplo docuissent, quid posset Constantia.

24 Quæ provinciæ suo potius quæque commodo, quam patriæ libertati student, inter se consentire non possunt. *Polybii sententia.*

E. Hinc illud politicum axioma sæpe experientia verum esse comprobatum est, quod proprium commodum, juvenile consilium, & latens odium perdidit Romanum imperium.

25 Quæ provinciæ inter se discordant, facile in concordiam adducuntur, ubi commune omnibus periculum singularum viribus majus cœperit illis imminere. *Sic Peloponnesii inter se conjuncti contra Philippum.*

26 Clementia publica atque juris æqualitas socios quamvis prius inter se dissidentes, in societate retinet. *Sic Peloponnesii concordiam coluerunt inter se.*

27 Ad recuperandam libertatem facile reliquæ vicinæ civitates incitantur unius aut alterius exemplo, cui id feliciter successit, & quæ po-

stea reliquas illas ad societatem invitat & admittit. *Sic Achaeorum urbes excitatae.*

28 Ejusdem juris, moris & gubernationis praesertim aequabilis perpetua conservatio & retentio facile multis persuadet, ut & se nobis adjungant, & nos aequos ac constantes esse in promissis credant. *Sic de Achais omnes Peloponnesii statuerunt.*

29 Quae regna bella injusta suscipiunt, facilem praebent Regibus suis viam, ut ex bonis Regibus tyranni evadant, nimirum semel injustitiç ex populi consensu assueti. *Sic Cleomenes Lacedamonius tyrannus evasit.*

30 Reges neminem natura habent amicum vel inimicum, sed ex suo commodo amicitias inimicitiasque metiuntur ac mutant. *Polybii sententia.*

31 Optime sibi consulunt tenuiores Respub. à potentioribus bello lacessitae, quae prudenter & proposita periculi magnitudine & vicinitate pelliciunt alias Respub. vel Regna potentissima in suam societatem aequis conditionibus, & quae nullam tenuioribus servitutem imponant, aut damnum afferant. *Sic Aratus Antigonum socium ascivit.*

E. Hoc praeceptum prudenter secuti sunt Illustres Ordines Belgii, quando cum potentissimis duobus Regibus scilicet Rege Galliae & Regina Angliae foedera inierunt, ut ab iis mutua auxilia & praesidia pro repellenda & profliganda Hispanica tyrannide impetrarunt.

32 Excubiae nunquam sunt, etsi multa vicina auxilia parata sint, negligentius agendae, ne ab hoste imparati invadamur. *Sic Cleomenes cepit Megalopolim.*

33 Clementia victoris inexpectata in victos hostes,

hostes, si quidem sint illi ingenuæ naturæ, ex inimicissimis solet amicissimos efficere; sin minus, tetriores. *Sic Mantinienses ab Arato humaniter tractati.*

E. Hoc declaratur evidenter multarum amplissimarum urbium exemplo, quas illustris Comes Mauricius Nassovius bello superavit, & in suam potestatem redegit, humanissimis & benignis admodum conditionibus victis concessis.

34 Tyrannis omnium hominum injurias & scelera complectitur. *Polybii sententia.*

E. Si tyrannorum mentes recludantur, possint adspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus ita libidine, sævitia, malis consultis animus dilaceratur. Tacitus. Sic Tiberius Imp. deplorat suam sortem hisce verbis. Dii me deæque pejus perdant, quam perire cotidie sentio. Neronis etiam morituri ingemiscentis hæc verba referuntur. Ergo ego solus nec amicum habeo, nec inimicum? Illud quoque liquido ex historiis apparet, tyrannorum esse infelices exitus. Sic Dionysius Siciliæ tyrannus, cum multos annos in Sicilia stupra, rapinas, cædes impune exercuisset, mox infamis, extorris, inops, à sceptro ad ferulam devolutus est.

Similiter Iulius Cæsar cum aliquot annis in civili sanguine lasciviisset, ac Pompejum meliore causa nitentem in acie Pharsalica devicisset, hic superbus victor & tyrannus, opinione sua jam Deus, in curia & Senatu non simplici morte interfectus, sed viginti tribus vulneribus confectus, instar feræ in sanguine suo volutavit.

De cujus crudeli & cruenta morte ita scribit Ludov. Vives ad Augustini lib. 3. de civit. Dei c. 30. L. Brutus, C. Cassius, & alii ad sexaginta Senatores in Caium Cæsarem conspirarunt, ac Idi-

bus Martii in curia Pompejana eum pugionibus confoderunt. Cumque ei extremum lethalem ictum Brutus infligeret, exclamavit Cęsar καὶ σὺ τέκνον ἐμόν, quem filium appellabat quia filii loco eum adoptaverat, & cum aruspex quidā Cæsari prædixisset, ut sibi ab Idibus Martii caveret, & ille contemto ejus vaticinio nihilominus ad curiam se conferret, occurrentique aruspici diceret. Ecce Idus Martii venerunt, Venerūt quidem, respondit aruspex, sed nondū pręterierunt, ac eodem die viginti tribus vulneribus in Curia confossus & trucidatus est.

35 Tyrannum non tantum belli, sed etiam pacis tempore capere & occidere fas. *Polybii sententia.*

E. Sic Christiernus XXII. Rex Daniæ, Suediæ et Norvegiæ, cum propter tyrannidem à subditis regno ejectus esset, cumque anno 1532. adjutus auxiliis et copiis Caroli V. Imp. cujus sororem habebat in matrimonio, instituisset Daniæ regnum vi et armis recuperare, à propriis subitis profligatus et captus est, et 22. annos in carcere detentus.

. Sic recte Valerius Publicola lege statuit apud Romanos fas esse (Plutarcho authore) tyrannidem appetentem indemnatum opprimere, percussorique immunitatem à cædis crimine fore.

36. Est prudentis Imperatoris, quum non potest hostem repellere, aut illi occurrere, se tuto in loco, contemptis vulgi querimoniis tantisper munire, et continere, et præsertim in metropoli servanda laborare, dum majores vires colligat, et hosti par aut superior esse possit. Quod illi quidem est quamprimum curandum, atque ita cum exercitu ad animos suorum confirmandos, primo quoque tempore hosti obviam eundum.

dum. *Sic Antigonus Cleomenem repulit.*

37 Numquam superioris loci oportunitas hostibus est concedenda, ut illi nimirum sinantur sine vi locum hujuscemodi occupare, tanquam postea quam conscenderint, lassi et impares futuri; ac proinde facile vincendi et dejiciendi. *Sic Lacedæmonii à Macedonibus victi in Laconica.*

E. Prælium ad VVimpinam reliquit memoriam Marchioni Durlacensi; Prælio ad Pragam in monte albo victi sunt Bohemi cum Vngaris oportunitate loci.

38 Nimium præceps Regis aut Imperatoris victi de regno suo fuga integram victoriam hosti relinquit: quæ sæpe parvis occasionibus et insperatis postea oblatis, vel eripi tota illi potuit, vel minui; et regio dignitasque recipi. *Cleomenis fuga damnata.*

E. Proh dolor novissimum exemplum est urbs Praga, quæ dum in alias habet regimem non erat tam præcipitanter relinquenda, ut dicit Tacitus, nam inde victoria hosti data, et Bohemis libertas adempta est. 1620.

EX LIBRO TERTIO

CAusa belli à belli principio differt. Est enim causa ratio, quæ in deliberationem de bello suscipiendo proponitur, facitque ut bellum decernamus: Principium vero belli est prima in bello jam decreto actio hostilis, id est, in hostem tentata. utraque vero distinguenda, et in bello justa esset debet. *Polybius.*

2 Iniquæ conditiones, et vi necessitateve extortæ potius quam jure ullo belli et æquitate concessæ à populo victo victori, quum primum datur occasio, revocantur, et violantur; suntque magno-

magnorum inter utrumque populum bellorum postea causæ: ac proinde videant victores ne victis nimium duras & iniquas conditiones imponant & ferant. *Hæ fuerunt secundi belli Punici causæ.*

E. Sic Ludovicus Flandriæ Comes cum Gandavos diutissime obsessos fame ac inopia ad deditionem compulisset, acerbissimas conditiones proposuit, ut scilicet omnes laqueo in collum inserto supplices ad se venirent, postea decreturum se quid agendum foret. Quæ conditiones populum in tantam desperationem adduxerunt, ut quinque circiter millibus militum armatis ex urbe prodeuntibus, Comitis exercitus 40. millium hominum fusus sit, ac prostratus: parta victoria cæteras Flandriæ urbes præter Audenardam imperii sui finibus adjecerunt. Bodin. l 3. de Repub. c. penul.

3 Nimia alicujus cum hostibus familiaritas eum de proditione facit suspectum. Itaque curandum, ut quos inter hostes maxime timemus, eos, si fieri potest, familiares nobis habeamus: aut saltem cum illis sæpe communicemus. *Sic Annibal redditus Antiocho suspectus.*

4 Prætextu legationis res vicinorum & eorum quos nobis hostes futuros suspicamur, explorandæ. *Sic Romani apparatum Antiochi speculati sunt.*

5 Nimia felicitas & in cœptis prosper successus nos facile ad bellum non necessarium suscipiendum impellit. *Sic Carthaginensium felix successus in Hispania eos impulit ad secundum bellum Punicum suscipiendum.*

6 Quandoquidem peregrini facile fiunt indigenis invidiosi, cavendum est peregrinis, ne quam invidendi aut male de se suspicandi occasionem

ſionem dent, vel nimia libertate ſua, vel cum hoſtibus indigenarum familiaritate. *Sic Annibal imprudens apud Antiochum.*

Hic aphoriſmus dignus qui notetur ab omnibus, qui feliciter peregrinari cupiunt, ne non ſolùm invidioſi, ſed ne inimiciſſimi cum amiſſione vitæ apud exteros reddantur.

E. Extranei ergo colere debent magiſtratum, ſub quo vivunt. Sic Ieremias ad Iudæos exteros, qui apud Babylonios detinebantur captivi, ſcribens, præcipit. Quærite pacem civitatis, in qua migrare vos feci illuc, & orate pro ea ad dominum, quia in pace ejus erit pax veſtra. Ierem. cap. 29. Sic Tertulliani tempore (ut ipſe teſtis eſt in Apologetico c. 30. & 32.) orabatur pro magiſtratu in hunc modum, ut huic vita eſſet longior, tranquillum imperium, domus & arces munitæ, validus exercitus, fideles conſiliarii, obedientia ſubditorum, ætas pacata.

7 Magnam novo exercitus Imperatori autoritatem conciliat illius tum animus omni avaritia manifeſte vacuus, tum ſtrenuitas aliquo novo cœpto factove oſtentata. *Sic Annibal commendatus.*

E. Sic valde liberalitas Illuſtris Mauricii Comitis Naſſovii commendatur, illique apud hoſtes etiam gratiam conciliavit. Nam cum Steenvvicum oppidum armis & vi ſubegiſſet, hoſtibus etiam præter promiſſionem, omnia arma, equos, aliaque mobilia jure belli ſibi acquiſita, benigne reddidit.

Sic commendatur Conſtantini Chlori patris Conſtantini Magni liberalitas atque beneficentia. Hic dixit publicas opes melius à privatis teneri, quam intra unum clauſtrum coh beri & cuſtodiri. Hinc cũ paupertas à Diocletiano Imp.

illi

illi exprobrata esset, convocavit locupletiores Imperii sui cives & subditos, atque indigere se dixit eorum ope & fide. Mox illi pecuniæ vim magnam attulerunt, & Cæsaris ærarium argento & auro oppleverunt. Quod cum legatis ostédisset Constantinus, mirati sunt illi, unde tam subito tantus thesaurus esset collectus. Respondit Princeps non deesse opes Principi, qui subditorum habeat studia atque benevolentiam. Post discessum vero legatorum pecuniam omnem civibus reddidit, inquiens se obsequio eorum abunde esse contentum.

Sic Curius ille Romanus senator sempiterna laude dignus. Cui ad focum sedenti, & catino ligneo cœnanti rapasque comedenti magnum auri pondus Samnites cum obtulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis qui aurum haberent imperare, addiditque se nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse.

8 Simulatio metus à nobis facta, sæpe hostes nostros temerarium quidpiam aggredi suadet, ubi vincuntur. *Sic Carpetani victi ab Annibale.*

9 Bella nec sæpe iis locis; quibus putantur, geruntur: nec eos exitus habent qui sperabantur. Itaque non nisi post longam deliberationem sunt suscipienda, & rebus omnibus in utrumque eventum paratis. *Sic Romani in secundo bello Punico decepti.*

10 Iis populis, quos Deus castigare vult, multa incommoda simul eodemque tempore insperata eveniunt. *Sic Romanis Illyrii defectio; & Punicum bellum secundum.*

E. Exemplum est nostra Germania hodie, quæ bella, pestem, famem, incendia, rapinas, stupra &c. quæ non? concatenatis annis simul pertulit.

11 Mag-

11 Magnum & longinquum bellum gestutis, nullus hostilis locus ipsis infestus à tergo relinquendus. *Ea de causa Annibal Saguntum capit.*

E. Strenue huic precepto obedivit Gustavus Suediæ Rex, dum in Germaniam superiorem moturus. prius Pomeraniam cum confinibus, deinde Marchiam & Saxoniam subegit ut nullus hosti locus à tergo relictus fuerit. Aliud Ex: in Lauterecchio: invadens Neapolin. post se relinquens inexpugnatum Mediolanum perdidit Ticinum & Lombardiam 1528.

12 Peregrinus exercitus recens adveniens, si quid præclare gesserit, totam regionem perterrefacit cito. *Sic L. Æmilius Illyricos vicit.*

E. Suedi cum Finlandis hic serviant pro exemplo & terrore; nec non Croatæ inhumanis modis in subactos populos sævientes: nec non Hispani primum sub Spinola Palatinatū ingressi.

13 Temeritas in milite seu Duce quantumvis strenuo & robusto frequens tandem eum ipsum perdit. *De Demetrio Tharensi.*

E. Sueton. in Octavio. cap. 25. Augustus Cæsar nihil minus in perfecto duce quam festinationem, temeritatemque convenlre arbitratus est, crebroque ideo jactabat illa. Σπεῦδε βραδέως, ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης. Festina lente: cautus enim melior est quam temerarius Dux, & sat celeriter fit, quicquid fit bene.

14 Quum fœdus publicum præter consensum Reipub. violatum est, ille qui violavit, est procul dubio dedendus lęsis ac conquerentibus. *Sic Annibal petitus à Romanis.*

15 Bella ab iis injuste suscipiuntur qui primi fœdera publica ruperunt. *Sic damnati à Polybio Carthaginienses.*

16 Con-

16 Consultissimum est in Imperio quod pluribus diversisque populis ac provinciis constat, unius provincię militibus alterius provincię defensionem committere: contraque, ut hoc pacto mutua quadam officii præstatione inter se devinciantur. *Sic Annibal misit Hispanos in Africam, trajecit in Hispaniam.*

17 Ex populo recens devicto Princeps obsides accipiat primariæ nobilitatis viros mares ac fœminas, ac præsertim juniores in utroque sexu. *Sic Annibal ex civitatibus Carthaginensium accepit.*

18 Bellum illaturi debemus veteres eorum, quibus illud indicturi sumus hostes prius in nostram societatem muneribus & communis periculi metu tentare & allicere. Itinera vero longa suscepturis in hostem, prius viæ omnes explorandæ sunt, quibus facile trajici exercitus possit. *Sic Annibal illaturus bellum Romanis.*

19 Longinqua bella & itinera nunquam tuto absque militum exploratis prius animis suscipiuntur. *Sic Annibal.*

20 Coloniæ à nobis in hosticum deductæ semper præsidio firmandæ, ut pro munimento nobis sint. *Sic Romani adversus Annibalem.*

21 Coloniæ in agrum devictum nunquam absque magno ipsorum incolarum dolore ac metu deducuntur: itaque vallis & muris & præsidio firmandæ. nam insidiis vel armis primo quoque tempore ab indigenis petuntur, & exscinduntur. *Sic Cremona & Placentia à Boiis petita.*

E. Sic castella ab Hispano præsidio firmata contra Antverpienses, Gandavenses, Cameracenses & alios.

Sic Florentiæ & Senis castella videmus contra

tra ſeditioſos cives exſtructa, item Monſpelii, quibus cives appropinquare ſub pœna capitis interdictum.

22 Si quis potens hoſtis in Principem, vel Rempub. vicinis formidoloſam, aut ſuſpectam, inſurgit, facile omnes illi vicini & ipſi quoque in eandem Rempub. vel Principem conſpirant, & cum novo hoſte conjunguntur. Quamobrem huic maxime periculo eſt ab eo qui invaditur, ſemper & maturrime proſpiciendum, firmiſſimis adverſus hoſtes iſtos vicinos præſidiis ſemper objectis quantum poteſt. *De Gallis, Boiis & aliis propter adventum Annibalis inſurgentibus in Romanos.*

23 Quum flumen, vel mons objectus exercitui tranſeundus eſt, vel aliqua regio trajicienda, tranſitus ab incolis pretio emendus, eſt aut vi & celeritate præoccupandus. *Sic Annibal in trajiciendo Rhodano.*

E. Exemplum illuſtre habemus in Celſiſſimo Principe Frederico Auraico, qui in Palatinatum pro ſubſidio miſſus Mœnum intra Hanoviam & Francofurtum ad pagum Dornicum, invitis amicis, cum exercitu equeſtri & pedeſtri trajecit. 1620.

24 Imperatori in hoſtilem agrum profecturo loca itineris notiſſima eſſe, vel per ſe vel per fidos viæ duces debent. *Polybii ſententia.*

E. Pro exemplo venit Carolus V. Imp. trajiciens Albim ad opid. Mulbergam, ubi ruſtici opera uſus in ducendo milite per vadum Albis, ſine periculo egreſſus eſt.

Ductoribus vel potius proditoribus ejuſmodi opus fuit, cum Spinola in incognitum Palatinatum primum aſcenderet.

25 Exercitus quantumvis ſtrenuus, eſt tamen

mora

mora reficiendus, ubi longo labore, & inopia fatigatus fuerit, non autem ſtatim hoſti objiciendus. *Sic Annibal refecit exercitum ſuum defatigatum in tranſitu Alpium.*

E. Hoc pacto Illuſtris Princeps Fridericus Hẽricus Auraicus ſuum exercitũ refecit, ubi multo labore in Palatin. feſtinavit ſeſe Hiſp objecturus.

26 Exercitus peregrinus & in hoſticum perrumpens debet pulchro aliquo audacique facinore ſui terrorem injicere ſtatim, non autem otioſe quieſcere, ne opprimatur, aut metus de illo evaneſcat: nam prima exercitus peregrini victoria & cita, omnes illi conciliat & ab hoſte deficere cogit. *Sic Annibal conflixit cum Scipione poſt deſcenſum ex Alpibus.*

E. Idem Spinola fecit, veniens in Palatinatum mox primarias urbes et caſtella aggreſſus expugnavit, teſtes Crucenac. Alzena Oppenehim. &c.

27 Celeritas exequendi magnum hoſtibus terrorem noſtri adfert, & nobis victoriam de hoſte imparato parit. *Sic Annibal.*

28 Vt militib. etiã ignavis nedũ ſtrenuis animus addatur, nõ modo miſera captivorũ & serviẽtiũ cõditio eſt iis repręſentãda, verũ etiã ſpes omnis fugę adimẽda *Sic Annib. ſuos ad pugnã animavit.*

E. Sic prudenter Illuſtris & Generoſus Comes Mauritius Naſſov. in prælio Novioport. in Flandria, naves omnes à littore juſſit abduci, ut occaſionẽ fugę militib. ſuis inter pugnãdũ pręriperet.

29 Hoſtis tunc maxime aggrediendus, quum adhuc eſt laſſus, & itinere ac labore defeſſus.

30 Hoſti in noſtram regionem irrumpenti nos occurrere præſtat primo quoque tempore, & in primo ipſo regionis aditu mature et fortiter, eumq; vel ab ingreſſu ipſo arcere, quam jam ingreſſum, et omnibus ſui metum injicientem è finibus

finibus nostris conari depellere. *Sic Scipio occurrit Annibali adhuc irrumpenti in Italiam.*

E. Hujus moniti negligentes fuere Bohemiæ Status, qui cum impedire hostem possent, Pragam usque ad ipsam metropolin & meditullium regni progredi passi sunt, ut sepulturā ab illustri loco tanto nobiliorem extincti haberent 1620.

31 Hostis in hostico famam sibi conciliet clementiæ erga eos quos deditione accipit. Item duces pręsidiis & arcibus hostilis agri impositos, magnis donis & præmiis quam maxime potest in suas partes alliciat & traducat: denique præsidia sibi dedentes magnis præmiis donet & afficiat. *Sic Annibal in Italia versatus.*

32 Maxime cavendū imperatori, ne exercitus territus, vel fessus, vel imparatus, aut iniquo omnino loco cū hoste confligat, neve in eo, vel ambitione, vel ira se abripi sinat, vel hostium contumeliis cedat, vel militum inani clamore vincatur. *Q. Fabius.*

33 Confligendi cū hostibus tunc maxime tēpus est idoneū, quum eorū miles adhuc tyro est, vel nondū totus eorū exercitus collectus convenit: vel præcipuus eorum Dux abest ab exercitu, vel per morbum inutilis ac debilitatus in castris versatur; vel integra & alacris adhuc sociorum & militum nostrorum fides & voluntas perstat; vel deniq; adhuc recens partarum victoriarum memoria inhæret, & hostis propter eas adhuc pavet. *Sic Annibal eligebat tempus certaminis.*

34 Insidiæ in medio certaminis in hostem exortę, facile eum terrent, victoriam nobis parant, & hostem fundunt.

35 Strenuissimi & animosissimi quique in insidiis collocandi. *Sic Annibal.*

36 Im-

36 Impransis & nondum curato corpore à militibus prœlium si evitari potest, nunquam suscipiendum. *Sempronius propterea victus ab Annibale.*

37 Clementia victoris erga hostium socios à se captos, & ejusdem sævitia erga hostes ipsos captivos, & terrorem illius hostibus injicit, & sociorum illorum qui hostibus adhærent benevolentiam ipsi conciliat, ut tunc facile eos in suas partes traducere soleat. *Sic Annibal tractavit socios Romanorum.*

38 Exercitui in hostico versanti, magna præda, vel multa impedimenta sunt magno impedimento, & sæpe occasio fugæ vel cladis. Itaque ea vel nulla, vel pauca omnino trahenda, nisi prorsus sit commeatu destituta via, per quam est iter facturus. Nam campos tenenti exercitui, omnia quæ sunt in agris, patent. *Sic Annibal.*

39 Incendia, populatioque agrorum maxime incitat hostes ad pugnandum. *Sic C. Flaminius accensus ab Annibale.*

40 Est optimi Imperatoris nosse ingenium & naturam sui hostis, ut ea ad suum commodum ipse utatur; hostem vero iis rebus quibus terretur, vel percellitur vel delectatur, decipiat. *Polybii sententia. & C. Flaminii, & M. Minutii exempla.*

41 Hostis iracundus & superbus quibusvis insidiis facile patet. *Polybius.*

42 Non potest dux quispiam in exercitu ipso, exercitus Imperatore inscio, vel repugnante, polliceri hosti obsesso, vel dedenti sese, incolumitatem & salutem. *Sic Annibal Maharbali respondit post pugnam ad lacum Trasymenum.*

E. Sic cum Fabius magister equitum injussu

Papi-

Papirii Dictatoris, viginti millia hostium, centum tantum civibus amissis, internecioni dedisset, capitis damnatus est, nec aliter quam Populi precibus Dictatore placato supplicium evasit. Livius. Item cum COSS: Romani prope furcas Caudinas adeo viles ac indignas pacis leges recepissent. ut eas Senatus reprobaret, ambo ad hostes sunt remissi, iisque sunt dediti.

Novum exemplum occurrit 1620. in Obertraudtio, qui inscio Marchione Anspacensi in Palatinatu capiens Principem d'Espinoy, duriter ab eo compellatus quod hostilia in castra irrupisset contra voluntatem suam; qui res tamen Anspacensi sinistram famam cumulavit.

43 In cladibus Reipub. extraordinariis, extraordinario magistratu opus est: & in magno terrore exercitus est eo Imperatore opus, qui præter ordinem in omnes jus & imperium summum & de plano habeat. *Sic Romani crearunt sæpe Dictatores, ut Q. Fabium.*

44 Imperatori est cura de valetudine exercitus, de vulneratis, de lassis reficiendis, summa habenda. *Sic Annibal.*

45 Exercitus pluribus cladibus jam acceptis perterritus, eidem hosti non est temere obiiciendus. Objicitur autem temere, si priusquam confirmetur aliqua felici pugna & victoria de hoste, tamen iterum in aciem educatur & pugnet.

46 Hostis sæpius victor potius cunctatione quam prœlio subigitur, modo illi oppida firma nulla sint, in quæ se tuto recipiat, nobis autem & militum multitudo adsit, & superat commeatus. Sequendus tamen est, & quantum licet premendus, conferto non dissipato agmine. *Sic Q. Fabius domuit Annibalem.*

Sic

E. Sic recte Fabius Maximus lente ad pugnam committendam progressus, cunctando totum Annibalis enervavit exercitum, & huic non dimicare, vincere fuit, indeque appellatus est Fabius Cunctator, de quo sic cecinit Ennius, Vnus homo nobis cunctando restituit rem. Non ponebat enim rumores ante salutem.

47 Maris imperium in omnem partem maximum momentum habet, sive ad commeatum invehendum, sive ad milites trajiciendos, sive ad hostium potentiam maritimam infringendam. Ac proinde omni studio vel comparandum, vel retinendum. *Carthaginensium sententia.*

E. Huc referri potest hæc Politicorum nostri temporis sententia, quod plena dominatio & absolutum maris imperium consistit in firma & solida confœderatione potentissimi Regis Galliæ, ac Angliæ, Daniæ, & unitarum provinciarum Ordinum Belgii.

48 Portus maris nunquam suis speculatoribus carere debet.

E. Exempla ministrat Dantiscum, ubi Pharos s. lanterna ad os Vistulæ munitionibus firmatâ, nunquam suis excubiis caret. Si videris Genuam, Neapolin, Marsiliam, alias maritima in Ital. Gal. & Hispan. loca, nunquam suis facibus nocturnis loca carebunt.

49 Peregrini populi animos plurimum tibi concilias, & eos ad te ab hoste traducis, si ipsorum obsides ab hoste detentos tu captos illis restituis, vel afficis & demereris beneficio, ei severitati (quam hostis in eos exercuit) contrario, idque primo quoque tempore. *Sic Scipiones ad se traduxerunt Hispanos.*

50 Est providi Ducis, præsertim in hostico versantis, mature hybernis exercitus constituendis,

dis, & commeatui, seu annonæ prospicere. *Sic Annibal Gerione.*

E. Sic prudenter Illustres & potentissimi Ordines Belgii urbi Ostendæ arctissime ab hoste obsessæ, omni genere commeatus, cibi, potus, lignorum, armorum, cæterisque rebus necessariis ad sustinendam hybernam obsidionem abunde prospexerunt; ita ut ipsa civitas per triennium integrum & aliquot menses ab hoste Hispano arctissime obsessa firmiter obsidionem sustinuerit.

51 Prædæ conservandæ studium sæpe timidiores milites facit; uti parandæ aviditas facit audentiores: itaque parta tuto in loco deponatur.

52 Ea potissimum hostium oppida, vel oppugnanda, vel, si fieri potest, intercipienda, in quibus commeatus, annona, resque aliæ ad bellum necessariæ sunt ab iis collatæ & collocatæ. *Sic Annibal Neapolitanam arcem cepit.*

53 Magno cum periculo semper tyro exercitus contra veteranum dimicat: idque maxime semper cavendum. *Hæ fuerunt causæ cladium Romanorum contra Annibalem pugnantium.*

54 Nihil contentione summorum Ducum in exercitu periculosius. *In L. Æmilio & C. Varrone.*

55 In patentibus agris nunquam ei sponte & ultro certamen suscipiendum qui equitatu est longe inferior, quam hostis. *Polybii sententia.*

56 Magnas exercitus clades subditorum & sociorum defectio sequi solet. *Post Cannensem pugnam tota vetus Græcia à Romanis defecit.*

57 Est constantis populi, Principis, vel Reip. etiam post clades magnas, & quidem sæpius acceptas, se suamque tamen libertatem ac dignitatem adversus hostes velle tueri: quod consi-

 sium

lium tunc probandum est, quum citra manifestam totius Reipub. ruinam id fieri potest, & hosti resisti, quod vires supersint adhuc. *Sic Romani post Cannensem pugnam fuerunt constantes.*

E. Nullum præclarius est exemplum ad confirmandos civium animos adversus hostium metum, quam quod à Senatu Romano decretum est, ne captivorum octo millia, quæ Cannensi clade superfuerant, ullo pretio redimerentur. Qua quidem re sic Annibal animo fractus est ac perterritus, ut deinceps de Romanis se ullam victoriam accepturum desperaret. Polyb. libro 6.

Hinc recte Mutius ille SCÆVOLA olim oraculum protulit, Et facere & pati fortia Romanorum proprium est, quasi hæc in malis magnis patientia, (quæ ipsa est CONSTANTIA) peculiaris eorum Virtus esset.

EX LIBRO QVARTO.

QVi populi sunt soliti vivere bellis, præda vel latrociniis, vix pacem inter se, vel cum vicinis ferre possunt & colere. *De Ætolis.*

2 Quamdiu hostis in nostro agro versatur, vel in vicinia, quidquid ille polliceatur, exercitus noster non est dimittendus. *Sic Aratus ab Ætolis victus.*

3 Piratæ vagantes, & mare nostrum regionemque infestare & prædari semel ausi, nisi magnis viribus repellantur, injurii esse perseverant: imo etiam crescunt eorum rapinæ, vires ac audacia. *De Ætolis & Illyriis conjunctis in piratica exercenda.*

4 Periculosus semper est ac metuendus in libe-

libera civitate magnus civium restitutorum, qui in patriam prius conjuraverant, numerus, ibidem habitans: ac illi proinde nulli sunt Reipub. parti præficiendi. *Sic Cynethenses & Arcades.*

5 Proditores urbium sæpe ne ipsi quidem per proditionem evadunt, sed ab hoste trucidantur. *De Polemarchis Cynethensibus.*

E. Sic cum arci Romanæ præesset Tarpejus, hujus filiam Tarpejam virginem magnis promissis corrupit Tatius Rex Sabinorum, ut cum petitum aquam exiret, armatos in arcem admitteret. Ipsa se facturam promisit, si quod in lævis gestarent omnes, sibi daretur. Accepit conditionem Rex, & cum jam intus esset, virginem scutis obrutam interemerunt. Hæc enim in lævis gestabant, cum de aureis armillis sensisset, quas in sinistris brachiis gestabant. Plutarch. in parall.

6 Musicæ studio assuefaciendi populi, qui natura sunt ingenii ferocioris aut agrestioris. *Polybii de Arcadibus.*

7 Crudelitas feritasque etiam in domesticos duntaxat exercita, tamen est exosa exteris. *De Cynethensibus ob eam causam exosis omnibus.*

E. Hinc immensa crudelitas perpetrata ab exercitu Pontificis in bello Germanico contra Principes Protestantes non satis exagitari & perstringi potest. Nam inter cætera Cardinalis Alexander Farnesius, præpositus à Pontifice inspector consiliorum Cæsaris Caroli V. & tyrannidis ejus flabellum, dixisse fertur, se tantam esse daturum per Germaniam hominum stragem, ut in Lutheranorum cruore vel natare posset ejus equus. Sleid. lib. 17. comment.

Sic Solymannus Imp. filium Mustapham post magnam victoriam de Persis adeptam ad patrem

redeuntem, & populi gratulatione exceptum ſtrangulari jubet, & per præconem proclamari. Vnus eſt Deus in cœlo, unum etiam in terris Imperat. eſſe oportet. Iunior natu biduo poſt veneno ſublatus eſt; quod de fratris interitu ingemuiſſet. Tertius metu patris ad Regem Perſarum profugerat, is ſtatim per legatos revocatus, ſecuri percuſſus eſt. Reſtabat Selymus cui pater minas intentabat, niſi ſolus reſtitiſſet. Accidit hoc anno 1552.

8 Quibus in locis non conſentiunt inter ſe præcipui magiſtratus de pace, vel bello: ſed ex iis alii huic, alii illi favent, maximas ſeditiones oriri neceſſe eſt. *De Lacedæmoniarum Præſidibus inter ſe diſſidentibus.*

9 Princeps privatas injurias ſibi factas condonare poteſt: publicas vero, id eſt, Reipub. factas, aut aliis etiam privatis illatas remittere non poteſt. *Philippi Macedonum Regis ſententia.*

E. Vnde recte Hadrianus Imp. quo die ad imperium evectus eſt, cuidam cum quo graves exercuerat inimicitias, & propterea novi imperii magnitudinem exterrito, palam dixit EVASISTI. Eo enim verbo ſingulari que animi moderatione, oſtendit minime convenire, cum publicā induiſſet perſonā, privatas injurias ulciſci velle.

10 Qui populi latrocinia piraticamque exercuerunt, multos tandem ſibi hoſtes experiantur neceſſe eſt. *De Ætolis toti Græciæ exoſis.*

11 Qui liberi etiam collecti populi per ſe ſunt hoſtibus impares, ſeſe ad unius alicujus potentis Reipublic. vel Principis imprimis vicini ac fidi ſocietatem adjungant, & quem ſuum protectorem conſtituant, libertate ſua interim retenta. *Sic Græci confugiunt ad Philippum Macedoniæ regem.*

Fama

12 Fama de bello pro libertate populis oppressis restituenda à nobis suscepto, multos nobis conciliat & socios facit. *Sic à Graecis bellum contra Aetolos sociale susceptum, gratũ fuit omnibus.*

E. Hoc exemplo Rex Suediae omnes fere Germaniae Principes pro libertate eorum depugnaturus, sibi socios fecit.

13 Quum quis populus aut Respub. in Ducem eligit eum qui multis fecit injuriam; aut quum praedas ab eo factas retinet, proculdubio seipsam illarum injuriarum, vel autorem, vel sociam magno suo malo facit. *Sic Aetoli eum Scopam in Ducem elegerunt.*

14 Inter malos societas facile debilitatur, maxime si ab una eorum parte aequalis praedae distributio non fuerit servata. *Polybii sententia.*

15 Fugienda quidem sunt bella, sed non ita tamen, ut pessima quaeque, ne suscipiamus bella, perpeti velimus, ut fugam, servitutem, ac duriora quam sit bellum ipsum. *Polybii sententia de Messeniis.*

E. Sic cum Gallobelgicae provinciae puta Hannonia, Artesia, Flandria, Anno 1579. discessionem à reliquis unitis provinciis fecissent, & se Regi Hispaniae reconciliassent, gravi servitutis jugo ab Hispanis sunt oppressae, agri illorum vastati, & praedae expositi, cives & incolae in urbibus à militibus duriter afflicti, omni exercitio religionis reformatae sunt privati, imo neque conscientiarum libertas illis integra est relicta. Deinde aliae unitae provinciae arctius foedus inierunt ad depellendam tyrannidem Hispanicam. In cujus foederis confirmationem nummos ex aere cudi fecerunt, in cujus antica parte Comitum Hornani, & Egmondani capita recisa, & palis fixa, in po-

ſtica duo pedites, ac totidem equites, dimicantes viſebantur cum hac inſcriptione, præſtat pro patria pugnare, quam ſimulata pace decipi. Thuan.lib 68. hiſt.

16 In communi bello & cauſa non ſunt noſtra, id eſt, unius provinciæ commoda, aut injuria, totius ſocietatis commodis aut injuriæ præferenda. *Sic male Meſſenii: ſic Epirotæ.*

17 Eorum eſt optanda ſequendaque maxime ſocietas, qui ſemper officium & fidem ſervarunt, etiam dum incommoda acceperunt data. *Sic Acarnanes.*

18 Nihil eſt aut faciendum inhoneſte, vel patiendum turpiter, ut pace nobis frui quocunque modo liceat. Nec enim pax eſt ſemper cuivis bello anteponenda. *Polybius contra Pindarum Poetam.*

19 Difficile eſt periurum hominem latere ac effugere Deum. *Sententia Meßeniorum.*

E. Hinc recte Diodorus Siculus lib. 6. cap. 1. ſcriptum reliquit, quod Ægyptiorum lege perjuri olim capite mulctabantur, tanquam qui duplici ſcelere tenerentur, ut qui & pietatem in Deum violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum humanæ ſocietatis.

Olim Crucigeri invitarunt Dantiſci conſules in arcem ad prandium, qui ubi comparuere per lictorem trucidati fuere, quæ cauſa poſtea ruinę eorum extitit.

Nuper quid Leodii contigerit cum conſule à Comite VVarfuzano necato, omnibus obvium eſt; ſed pœna hominem perjurum mox inſequuta eſt.

Hinc deteſtandum quoque fuit perjurium Hattonis Epiſcopi Moguntini. Hic Alberto Francorum

corum Comiti sub jurisiurandi religione persuaserat, ut relicta inexpugnabili arce, secum ad Ludovicum Regem, cujus filium occidisse insimulabatur, descenderet, se enim vel eum Regi conciliaturum, vel sospitem in arcem reducturum, vixque egresso tanquam melius esset prandere, jussit ut reverteretur, mox finito prandio ad regem duxit captivum; Cumque ad supplicium duceretur, antistitis perjurium accusanti respondit, se datæ fidei satisfecisse, cum eum prandendi causa in arcem reduxisset. Dignus perpetua infamiæ nota sacerdos, qui ignoravit fraude perjurium astringi, non solvi. Alcia. ad l. boves 89. de V. S.

20 Nihil tam communem totius regionis pacem adversus extraneos hostes, aut incolas illius quosdam illi insidiantes tuetur, quam omnium vel præcipuarum illius regionis urbium mutuum fœdus & syncretismus. *De Messeniis & Megalopolitanis.*

E. Sic anno 1555. die 6. Martii. Augustus Saxoniæ dux, Ioachimus Marchio Brandeburgensis, Electores: item Ducis Saxoniæ Iohannis Friderici filii, Philippus Lantgravius Hassiæ, & alii quidam Germaniæ Principes Naumburgi fœdus hereditarium, quod est inter Saxonicam, Brandeburgensem & Hassicam domum & familiam renovarunt, & simul decreverunt se velle constanter inhærere confessionis Augustanæ vestigiis, & pro ea tuenda sibi mutuo opem auxiliaque ferre. Sleidan. lib. 26. commentar. Idem fœdus 1614. ab iis renovatum est.

21 Bello assueti populi nunquam inter se absque gravi seditione agunt, præsertim si Rege aut bello careant: suntque in rebus suis domesticis administrandis promptissimi & sævissimi. *Sic Lacedæmonii.*

22 Ingratus est populus, qui spretis legitimis Principium bene de se meritorum familiis, regnum ad alienas & ignotas transfert. *Sic Lacedamonii.*

23 Maritima civitas in ostiis maris, per quæ res invehuntur aut evehuntur sita, est amica habenda, & à tota vicinia adversus hostes defendenda. *Sic Byzantium.*

E. Exemplum est in civitatibus Briela & Enchusa ostiis maris Australis in Hollandia, quas tanquam primas urbes, quæ Hollandiam à tyrãnide Hispanica in libertatem vindicarunt, Ordines summa benevolentia & favore complectuntur. Vnde ad amplificandam & mnniendam urbem Enchusam ingentem pecuniæ summam liberaliter contulerunt Ordines Hollandiæ.

24 Nihil magis infidum & suspectum quam vicinus hostis: nisi vero bello barbarico crudelius ac formidolosius. *Polybius.*

25 Sæpe insperatæ victoriæ Duces ipsos ad regnum occupandum movent & impellunt, alioqui modestos. *De Achao.*

26 Inter vicinos reges siti populi liberi & iis imbecilliores, utrorumque majestatem æqualiter, quantum in se est, colant. *Byzantii propterea à Prusia accusati.*

27 Summa prudantia est ad vires hostium debilitandas præcipuum eorum socium, vel vi, vel beneficio, vel præmio ab iis abducere. *Sic Rhodii Achæum à Byzansiis abduxerunt.*

28 Vicinis inter se belligerantibus, potentior vicinus sese interponens facile inter eos pacem & fœdus conciliat. *Sic Canarus Rex Gallorum inter Prusiam & Byzontios.*

29 Vbi omni sperato auxilio destituimur, & vires nostræ labascunt, hostium vero crescunt; pax

pax primo quoque tempore quærenda & ineunda. *Sic Byzantii.*

30 Ne nimia insequendi prædandique hostis aviditate urbem defensoribus vacuam, præsertim ubi sunt vicini hostes, relinquamus cavendum est. *Sic Lyciorum urbs à Gnossiis eversa.*

31 Vbi inter liberas civitates potentiores duæ inter se fœdus arctius ineunt; hoc cæteris debet esse merito suspectum: quare sibi diligentius prospiciant, & ab iis caveant. *Sic Gortynes & Gnoßii reliquam Cretam oppresserunt.*

32 Bellum moturi, in societatem ascifcant vel sollicitent omnes, qui eorum sunt hostes, aut eos oderunt, in quos ipsi bellum parant. *Sic Achai in Ætolos, & Pellyrenei in Gnoßios,*

33 Ebrietas ab excubiis arcenda: sæpe enim capiendarum ab hostibus urbium causa fuit. *De Ægira capta.*

Sic conveniẽter de capta Troja cecinit Maro.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam.
Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atq; agmina conscia jungunt.
2. Aneidos.

E. Huc accommodate quoque referri potest illud monitum, quod refert Durus de Pascolo præcept. Polit. 345.

Noli aulicis Consiliariis dare Vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat Ebrietas, inquit Salomon, nec militibus, quia Agrippinenses largis epulis, vinoque sopitos, Germani clavis foribus, igne injecto cremaverunt.

34 Qui totius societatis Dux non succurrit per ignaviam parti sociorum oppressæ, sed illius spem fraudat, est diducendæ solvendæque illius societatis occasio maxima. *De Arato Iuniore Dymenses non juvante.*

E. Hinc cum Vnionis Dux Marchio Onolsbacensis non occurreret Palatinatui, Hispanorum subitaneo accessu oppresso, extitit causa solvendæ istius unionis.

35 In communi societate, quæ pars ob non latum sibi auxilium, & instans tamen periculum nihil in commune amplius contribuit, sed in suam unius causam ad defensionem sua tributa reservat, pessime tandem & sibi ipsi & toti societati consulit. *Sic Dymenses, Pharenses & Trirenses reprehensi.*

E. Sic cum Illustres Ordines generales confœderatarum provinciarum urgerent, ut Antverpienses tributa sua ad commune ærarium omnium provinciarum conferrent, responderunt se caligas suas tam firmiter constrinxisse, ut Rex Hispaniæ eas dissolvere non possit. Quibus responderunt facete aliarum provinciarum legati. Sed videte ne carnes caligis inclusæ cibi aut commeatus penuria putrescant.

Quod & postea eventus comprobavit, Nam cum Dux Parmensis urbem tam arcte obsedisset, & ponte supra Scaldim strato nullus commeatus amplius in urbem importari posset, ipsi Antverpienses propter penuriam ciborum & famem se hosti Hispano dedere sunt coacti.

E. Bohemia hic serviat pro exemplo, quæ neglecta publica ad bellum contributione, quæsitis privatis commodis, sibi pessime consulens ruinam pro memoria modo habet.

36 Qui mercenario militi stipendia minime persolvere censentur, & vulgo creduntur, vix etiam in summis suis periculis postea mercenarium militem habere possunt. *Sic Achæi mercenariis destituti.*

37 Inter plures diversas liberas Resp. tamdiu

socie-

societas durat, quamdiu spes est aliam ab alia subsidium accepturam esse. *Polybii sententia.* Vbi vero spes illa prorsus deficit, tunc privatim unaquæque sibi suisque rebus consulere ac consilium capere solet.

E. Testes hodie Germaniæ liberæ Civitates Imperiales.

38 Vbi in sua ipsius regione hostis est perterritus & imparatus, est persequendus; non autem tempus illi concedendum per longam alicujus sui oppidi à nobis susceptam obsidionem. *Hac ratione peccat Philippus movens in Ætolos.*

39 In hostico versans exercitus omnia terrore, cædibus, rapinis in resistentes debet implere. *Sic Philippus in Ætolia.*

40 Celeritas Ducis & iter perfectum priusquam sperari posset, illi imparatum hostem, & qui facile vinci possit, objicit. *Sic Philippus vicit Elienses: item Psophidiam urbem cepit.*

41 Exercitus extraneus si in ipso primo suo adventu quid præclarum & inexpectatum gerit, omnes terret, & facile ad deditionem cogit. *Sic Philippus Peloponnesi Psophidium, Lasionem, Stratium cepit, & Triphyliam intra sex dies.*

42 Is socius extra omnem perfidiæ suspicionem esse debet, qui quamvis potentior, tamen aliis sociis oppida & præsidia à se capta restituit, quæ sunt ipsis commodissima ad se tutandos. *Sic Philippus Achais.*

E. Hinc maxime fides Illustrium Ordinum Belgii & Generosi Comitis Mauricii Nassovii, Duci Clivensi spectata & probata esse debet, qui licet armis bellicis occupassent Embricam Cliviæ urbem, hostibus Hispanis illinc expulsis, tamen ultro & sponte non rogati oppidum ipsi Duci

Clivensi liberum à præsidiis militaribus restituerunt.

43 Nimiæ opes & commeatus in aliquo oppido congestus invitat hostem ad illud obsidendum. *Sic villa Thalamus à Philippo obsessa.*

44 Qui socios diripit, iisque, aut eorum patientia, vel corporibus abutitur, statim ab iis deseritur. *Sic Ætoli à Messeniis deserti.*

45 Familiæ regno, quod prius obtinebant privatæ, solent cum magnis cladibus, & in Rempublicam conspirationibus illud repetere. Itaque illæ sunt aut omnino ejiciendæ, aut ab iis sibi semper cavendum est. *Sic Chilon Lacedæmonius grassatus Spartæ, quod privatus esset regno.*

46 Tyrannidis in socios usurpandæ initium est curare, ut inter eos Dux ex iis eligatur, qui prorsus tyranno faveant, & Reipub. salutem prodere sint soliti: Item ut boni patriotæ in odium apud socios adducantur. *Sic Apelles in Achæos tyrannidis initia jecit.*

47 Præda belli diligenter & juste ab ipso Imperatore distribuenda exercitui, ne qua seditio in eo oriatur. *Sic Philippus Rex agebat.*

48 In aula Principum non tantum vituperando, sed etiam laudando sæpe fit bonis calumnia, & eorum famæ & bonis aulici insidiantur. *Polybii sententia.*

E. Huc etiam accommodari potest illud axioma, quod refert Durus de Pascolo in axiomat. Polit axiom 230. Aulici omnes aut à natura ita sunt facti, aut ita docti & exercitati; ut velent odium fallacibus blanditiis, & porrigant obviam euntibus sine CORDE manus.

EX LIBRO QUINTO.

Qui Magistratus ob omnibus spernitur, inutilis est, ac proinde deponendus; alius substituendus. *Sic Epiratus dejectus: Aratus senior substitutus.*

2 Nihil in aula Principii periculosius est Magnatibus & proceribus Regni, quum sunt calumniatores bonorum. *Sic Apelles sub Philippo fuit.*

E. Sic recte Hippias dicebat gravissimam rem esse calumniam, quia nulla pœna lege sancita sit calumniatoribus, quamvis amicitiam, quæ optima est possessio, furentur.

Experientia enim testatur, nimis verum esse, quod Medias dicere solebat. Calumniare audacter, nam & si vulnus curetur, tamen manet cicatrix. Similiter Diogenes rogatus quænam bellua perniciosissime morderet, ex feris inquit calumniator, ex cicuribus autem adulator.

Hinc laudabiliter etiam Domitianus Imp. fecit, qui obtrectatores & calumniatores ex urbe Roma in exilium ejecit, addito hoc elogio, Princeps qui delatores non castigat, irritat.

3 Princeps prudens sibi à quovis aulico Magnate ambitioso caveat, neve illi multum tribuat, aut eum crescere sinat, quantumvis appareat regis amans. Nam tandem hic ipse in Regem conspirat, si quæ ambitiose cupit consequi, aliter non possit. *De Apelle.* Nuper V.Valsteinius.

4 Is autem Aulicus ambitiosus esse proculdubio est censendus, qui prætextu regiæ dignitatis amplificandæ omnia pro animi libitu ipse administrat, veteres Regni officiarios, & jam probatos mutat, alios autem sibi faventes in eorum locum constituit. *Sic Apelles apud Philippum Regem.*

5 Ea maxime urbs, si fieri potest, est capienda, quæ nostris finibus ad excursiones in nos faciendas imminet, hostibusque tutissimum præbet receptum. *Sic Cephalenia tentata à Philippo.*

6 Ducum inter se discordia maximum rerum agendarum impedimentum est. *De Leontio & Arato seniore in exercitu Philippi.*

E. Hujus præcepti exemplum accidit in Germania in duobus ducibus exercitus Protestantium, Ioanne Friderico duce Saxoniæ, & Philippo Lantgravio Hassię. Cum enim statuisset Lantgravius castra Imper. Caroli V. tantum humili fossa munita adoriri, & munitiones ejus disturbare, & pugnam cum eo conserere, hoc utile & animosum consilium Lantgravii improbavit Fridericus Elector dux Saxoniæ. Quæ dissensio à multis reprehensa est, ita ut hic error ipsorum Protestantium calamitatis, & Cæsaris victoriæ, causa atque initium fuisse putetur. Sleidan. lib.8. comment.

7 Vel consiliarii unius perfidia in Regio publicove consilio potentis, maximas rerum pulcherrime gerendarum occasiones Reipub. eripit: ac proinde fidi in publicum consilium solum admittendi: & si qui perfide consuluisse deprehendantur, gravissime sunt ad cæterorum exemplum puniendi. *De Leontio.*

E. Exemplum fuit in Petro de Vineis, Imper. Friderici Cancellario. Hic antea fuerat Imperatori fidelissimus adeoque familiaris ut Imperatori diceret: Tu me defende gladio, ego te defendam calamo. Deinde muneribus corruptus persuadetur à Pontifice Innocentio IV. ut Fridericum Imp. veneno tollat. Res in ipso articulo indicatur, & medicus qui venenum subministraverat statim suspendio necatur. Petro de Vineis oculi

oculi eruuntur, & in vinculis detinetur, qui metu gravioris supplicii capite ad columnam colliso expiravit. Parisiens. Nisi exempla adiosa essent & familias grandes tangerent, Gallia in Monmorancio, in Marillaco & aliis nobis serviret; sed nec aula Bruxellensis in comite VVarfuzano & aliis hic prætereunda. Imo nec hoc nostrum Belgium destituitur exemplo in Falkenburgio Arausionum in fortalitio, qui pœnas luit.

8 Æmulorum & sibi mutuo invidentium consiliariorum inter se contentio, in causa est, ut male Reipub. consulant; dum alter alterius consilia evertere vult ac conatur. *De Leontio in exercitu Philippi Regis Macedonum.*

9 Iter exercitui aut prælium, nisi prius refectis cibo corporibus, minime est suscipiendum. *Sic Philippus Rex Macedonum.*

10 In hostico quidpiam occupare cupienti, est festinatione non procrastinatione opus, ut imparatos hostes opprimat. *Sic Aratus Philippo Regi. Sic Thermis capta est.*

11 Etiam in urbibus captis à templis religionis divinæ ergo abstinendum est. *Ex Polybii sententia.*

E. Sic pessime fecit M. Crassus cum Hierosolymam expugnasset, & Eleazar custos templi obtulisset illi trabem auream pondo septingentarum, & quinquaginta librarum auri, ille contra datam fidem abstulit ex templo ultra decem millia talentorum auri. Sed postea dignam sacrilegii pœnam sustinuit, nam in bello Parthico captus, & interfectus est à Parthis, mortuoque aurum liquefactum ori infusum est. Iosephus.

Hinc etiam deridenda est stultitia Hispanorum, qui capta Vesalia urbe Clivensi sub duce

Ad-

Admirantio Mendoza, cathedram pastoralem in templo virgis & flagris castigarunt, ac si sedes per prædicationem Euangelii inquinata esset. O deridendam stultam Hispanorum superstitionem, & dignam, quæ helleboro porrecto purgetur.

22 Iura belli permittunt sævire in armatos hostes, eorum castella, portus, civitates, villas, item messes & fructus devastare, aliaque his similia facere, quibus hostium vires debilitentur; nostræ confirmentur: ea vero destruere, quæ neque nobis quidquam emolumenti, neque hostibus quidquam detrimenti afferunt; est hominis rabiosi, & plane furentis. *Polybius.*

E. Memoriam aphorismi tenet adhuc Frisia in expeditione Mansfeldiana, cum Galli milites non ut amici in subsidium, sed ut furiæ in regionis detrimentum grassarentur. 1623.

23 Est tyrannus, qui imperat malefaciendo, non benefaciendo suis, & eis terrorem injiciendo; denique qui in mutuo semper cum subditis suis odio & diffidentia versatur. *Polybius.*

E. Tyrannis siquidem omnes sunt infesti. Sueto. de Caligula, Revocatum quendam à vetere exilio sciscitatur, quidnam ibi facere consuevisset, respondente eo per adulationem. Deos semper oravi, ut quod evenit, periret Tiberius, tu imperares: opinans quoque exules suos sibi mortem imprecari, misit circum insulas, qui universos trucidarent. Infensus turbę exclamavit; Vtinam Pop. Romanus unam cervicem haberet: Queri etiam palam de conditione suorum temporum solebat, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Atque identidem exercituū

cæ-

cædes, famem, pestem, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.

14 Est Regis, benefaciendo universis, sponte subditos subjectos habere, eosque cum liberalitate & clementia regere, & in mutua cum subditis benevolentia semper vivere, *Polybius.*

E. Hinc laudanda est Cyri Persarum Regis clementia & benignitas. Nunquam irascitur in tota historia, non certat ambitione, cedit Cyaxari, ait se nunquam effuse lætatum esse. Pariter prædicanda quoque est comitas Augusti Imper. qui tanta humanitate adeuntium desideria excepit, ut quendam festive increpuerit, quod sic libellum supplicem illi porrigeret, quasi elephanto stipem.

15 Benignitate & clementia vincitur hostis gloriosius quam armis. *Polybius.*

E. Sic cum Illustris Comes Nassovius Mauricius, in deditione urbis Steenvvicensis convenisset cum hostibus, ut nudi & absque armis & equis urbe exire possent, tamen ultra pactum liberaliter plurimis equitibus suos equos largitus est, & peditibus arma benigne concessit. v. Iulii Anno 92.

Exemplum etiam accidit in bello Bavarico gesto tempore Conradi III. Imper. Cum enim Imper. præcepisset, ut oppidum VVinsberg à militibus diriperetur, postquam expugnatum esset, petiverunt mulieres, ut sibi salvis abire liceret portantibus de rebus suis quantum unaquæque posset. Quod cum à Clementi Imp. facile impetrarunt, capiunt mulieres consilium pium & memorabile. Nam cum hostes aurum eas, & gemmas, mundumque muliebrem, aut pecuniæ aliquid secum ablaturas putarent, illæ omnibus his rebus militum prædæ relictis, mari-

maritos solos in humeros sublatos & parvos liberos in sinu atque amplexibus tenentes, urbe asportarunt. Qua pietate Imper. motus cives inviolatos & incolumes dimisit. Ducibus vero indignantibus ob leges isto modo violatas respondit Imp. Non decore verbum regium immutari, subindicans malle se clementia quam severitate vincere.

16 Re feliciter gesta, & Deo gratiæ agendæ: & Duces benigne collaudandi, convivio præmiisque excipiendi. *Sic Philippus ex Ætolia rediens.*

17 Princeps adhuc juvenis, & tamen jam militaris & supra ætatem prudens, magnum sui terrorem omnibus hostibus injicit. *Sic Philippus Macedonum Rex.*

18 Celeritas in Duce summa laus. *Ibidem.*

19 Excubiarum negligentia, aut castra nulla fossa vel vallo munita, semper hostium invasioni facile patent. De *Messeniis à Lycurgo propterea interceptis.*

20 Seditiosi Duces in exercitu sunt statim necandi, vel saltem è castris emittendi. De *Leontio, Megalea, & Apelle in exercitu* Philippi.

21 Dux Provinciæ militibus minime gratus, aut mutandus est; aut res statim dilabentur. Is vero minime gratus intelligitur, cui non paretur per contemptum. *Sic Eperatus* Dux *Ætolorum.*

22 Nisi stipendia militibus, præsertim extraneis, persolvantur, statim illi dilabuntur: atque propterea patet facile regio hosti. *Sic* Ach*æi non persolventes stipendia expositi Ætolis.*

23 Qui bellicoso Principi succedit ipse iners, libidinosus, & ebriosus, cum à subditis externisque facile ac statim contemnitur, tum etiam con-

conjurationes multorum, quibus patet, experitur: ac tandem facile regno expellitur, vel occiditur. *De Ptolemao Philopatore.*

E, Propter libidinem enim & luxum Regum regna intereunt & subvertuntur. Sic Sardanapalus Assyriorum Rex fœminam habitu mentitus, ignavus, luxui & libidini deditus, degens cum scortis, spretus à suis pyra in regia extructa, incendio se dedit, ex Assyriis regibus ultimus Monarchiam tenuisse dicitur. Diodor. l. 2.

Huc apte quoque accommodatur, quod scriptum reliquit Isidor. lib. 1. de sum. bono. GVLA paradisum clausit.

Propter gulam ESAV IACOBO fratri vendidit primogenituram. Suspendit PISTOREM, decollavit BAPTISTAM, NABVZARDAN Princeps coquorum templum incendit, & Ierusalem totam evertit. BALTHASAR vino obrutus manum in convivio contra se scribentem aspexit, Mene Thekel Pharez, & eadem nocte interfectus est à Chaldæis.

Plures itaque ut est in proverbio pereunt GVLA, quam gladio.

24 Quamdiu est infirma adhuc Regis ætas, multæ inter Principes regni conjurationes, rixæ, & seditiones aliorum in alios esse solent. *Sic Antiochi Magni infirma adhuc ætate.*

25 Aulici avari aut ambitiosi, qui sunt gratiosi Regibus, semper Reges ipsos aut Regnum aliquibus difficultatibus implicant; item bonos & fideles consiliarios vexant, vel suspectos habent: strenuos Duces ipsi ignavi apud Regem perpetuo accusant, vel in suspicionem adducunt, ut in his turbis vel soli regnent, vel præcipue præ cæteris. *Sic Hermia sub* Antiocho,

26 Adversus eos qui defecerunt, tutius regni

Duces

Duces quam Rex ipse pugnat. *Hermiæ sententia.*

27 Nimia ob hostem fugientem exercitus securitas, ebrietas ac negligentia eum sæpe numero perdit. *Sic Xenoetas à Molone fusus.*

28 Conjurationis initiis mature totis viribus resistendum, ne illa convalescat. *Sic Molo victor ob negligentiam Antiochi.*

E. Hoc accidit Svvollis urbe Transisulaniæ An. 80. in die Viti. Cum enim Pontificii Hispanicæ factioni faventes multos rusticos in urbem admisissent, ad opprimendos reformatæ religioni addictos, statim reformati foro occupato, & majoribus tormentis aliquot bellicis instructi, se contra adversarios munimento aliquo tuebantur, & subito Campis milites aliquot, & Daventria non sine magno periculo accersebant, qui urbem ingressi, Hispanicæ factioni addictos in fugam conjiciebant, ædesque & bona mobilia quotundam Pontificiorum diripiebant.

29 Civile & domesticum bellum potius quam extraneum curandum & conficiendum. *Sic consiliarii Antiochi.*

30 Cui suus exercitus est suspectus, ne cum hoste prœlium committat. *Sic Molon.*

31 Nimium potentes & Regibus suis formidolosi Proceres aut aulici, miserum & tragicum tandem vitæ exitum ab ipsismet Regibus, à quibus se formidari & metui voluerunt, consequũtur. *De Hermea purpurato Antiochi.*

E. Comin. lib. 4. & 6 comment. Imprudenter faciunt proceres regni, qui Principes suos in metu continere volunt, nec ulli ea res unquam bene cessit. Hujus rei Illustre exemplum extat in Connestabilo Galliæ, qui perpetua bella & dissidia aluit inter Ludovicum XI. Regem Gal-

Galliæ, & Carolum Ducem Burgundiæ. Qui deinde à Carolo in potestatem Regis est traditus, à quo capitis supplicio est affectus, & bona ejus publicata sunt.

Sic Cardinalis Eboracensis cum antea esset in summo pretio apud Regem Angliæ Henricum VIII. tandem spoliatus bonis, & omni dignitate, in prædio quodam privato adhibitis 32. famulis custodibus detentus fuit. Hic est fortunæ ludus ex Ludimagistro evectus in regnum. Nam plane regnabat verius quam ipse Rex; metuebatur ab omnibus, amabatur à paucis, ne dicam à nemine. Thomas Morus substitutus in ejus locum in Cancellarij munus, quo non est aliud majus in Anglia. Erasmus.

32 Regii gubernatoris crudelis & impotentis tristissimus solet esse tum ipsius, tum familiæ quoque ejus exitus. *De uxore & filiis Hermea.*

33 Ea maxime oppida sunt quocunque modo retrahenda & capienda, quæ hostibus aditum ad nostra invadenda præbent, suntque velut arx nostris cervicibus imposita. *De Seleucia.*

E. Ex hoc capite Vniti Belgii Satus Vesaliam, Reesam, Embricam, Emdam & alia loca presidio muniverunt, ne hostibus per ista loca aditus fieret in ipsa Hollandiæ viscera; *In die Hollandische Kasekamer.*

34 Quorum oppidorum Duces & præsidiarios pecunia tentare & corrumpere possumus; ea sunt obsidenda quamprimum: nam facilime capiuntur. *De Seleucia.*

35 Strenuus ac bene de Repub. meritus Provinciæ alicujus Præses seu Præfectus minime publice à Rege vel Repub. contemni aut injuria affici debet. Solet enim hujusmodi injuriam sibi factam, Provinciæ suæ deditione hosti facta, vel

vel in Regem ipsum seditione commota, plerumque ulcisci. *De Theodoto offenso à Ptolemæo Rege.*

E. Sic cum Sophia Iustini Imp. conjunx jussisset Narseten ducem belli redire ad pensa in gynecæo, exprobrans ei mollitiem, quod esset eunuchus, ipse respondit se exordiri telam, quam ipsa non posset pertexere. Invitavit enim Longobardos in Italiam, quorum auxilio ad Gotthos debellandos usus erat, qui postea Italiam afflixerunt, debellarunt, & pene totam subegerunt. Philip. Melant. lib. 3. Chron. in c. de Narsetis bellis in Italia.

Similiter Carolus Audax dux Burgundiæ in obsidione ad Nansejum ab Helvetiis circumventus & trucidatus est, Anno 1477. pridie Epiphanias Domini. Ferunt eum desertum à suis insigni perfidia Campobacchi Neapolitani, qui aliquando à Carolo colapho cæsus, vindictæ occasionem in id tempus distulit. Philip. Melant. in Chron. in vita Imper. Friderici III. Cominæus cap. 91.

Nuperum & novissimum exemplum præbet Albertus VValsteinius, qui à Ferdinando II. Imp. Generalatu sese abdicare jussus, postea ad honores pristinos revocatus, contemtum illum in Domum Austriacam & Bavarum ulturus, misere periit.

36 Imbecillis Princeps quive omnem belli curam, vel exercitium abjecit, facile ab hoste vincitur, & à suis Ducibus deseritur, si urgeat hostis. *Sic Ptolemæus.*

37 Aditus regionis nunquam absque præsidio deserendi. *Garsyeris sic aditus ad Peduem occupat.*

38 Induciarum tempore ne hostium plures mili-

milites prætextu emendi commeatus aut aliarum rerum in urbem nostram ingrediantur, cavendum est. Hac enim ratione & sæpe & facile oppida occupant. *Sic Selgensium urbs amissa.*

39 Transfuga is est periculosissimus, qui propter linguæ & armorum similitudinem in nostris castris ignotus versari potest. *Sic Theodotus in castris Ptolemæi.*

E. Anno 1624. cum Breda obsessa esset, Germanus miles, stipendiis novem inter Hollandos functus, captus ab Hispanis & ab Isemburgico Comite pro cive agnitus, capitisque absolutus Bredam rediit, ea conditione ut cum in angusto res essent, rediret ad castra vitæ præmiique securus, quod post bimestre præstitit, retulitque milites equina vivere, nec in menses duos superesse frumentum. Hugo in obsid. Bredana.

40. In medio certamine Rex conspectus vel pugnans, vel ad suos confugiens, denique inter eos versans, illis maxime animum addit. *De Ptolemæo se ad suos recipiente.*

E. Verum hoc, nam Princeps presens animat milites, & ad quæcumque audenda accendit: permiserim hoc, at cautione opus & circumspectione, ne summis periculis immixtus vel capiatur vel pereat, uti accidit Francisco I. Gallo ad Ticinum: Sebastiano Lusitano in Africa, & nuper Gustavo Suediæ Regibus. Circumspectiu Carolus V. Imp. Guletta occupata, se subduxit discrimini Barbarorum, ne immixtus parvis periculis, majoribus dein deesset.

Sic fœliciter pugnatum est ab exercitu Ordinum ad Novioportum in Flandria. Quia enim ipse Generosus & bellicosus Mauricius Comes Nassovius in conflictu præsens erat, & milites ad constantiam & fortitudinem strenue adhortaba-

tabatur, & præibat in pugna, hinc factum est, ut victoria à partibus Illustrium Ordinum Dei beneficio steterit. Cæsi in Hispanico exercitu ad sex millia militum: Captus est in pugna Admiralius Arragoniæ, & cum per annum fere in Hollandia captivus detentus esset, tandem dimissus fuit hisce conditionibus, ut omnes ex Belgii unitis provinciis apud hostes capti loco illius liberi, absque omni Lytro dimitterentur, tam ij qui in Belgicis provinciis, quam in Hispania, sub ditione Regis Hispaniæ in vinculis vel triremibus capti detinebantur. Supra centum vexilla hostium in pugna sunt hostibus erepta, Hagam allata, una cum amplius quam mille captivis. An. 1600. 2. Iulii.

41 In recipiendis civitatibus, quæ defecerant, iis præcipue clemens ac benignus sit Princeps; qui diutius ac constantius in eum fideles permãserunt. *Sic Attalus in Smyrnæos.*

42 Est regium & liberale succurrere tum vicinis, tum remotis civitatibus etiam liberis, & quæ nobis non sunt subjectæ, quum fuerint graviter afflictæ. *Sic Ptolemæus, Antiochus & alii reges Rhodiis succurrerunt.*

E. Olim emicuit beneficentia Henrici VIII. Regis Angliæ, erga confœderatos Principes imperij Germanici, assertores & vindices reformatæ religionis. Cum illi pro conservatione orthodoxæ religionis fœdus Smalcaldicum inter se inivissent, Rex Henricus VIII. hujus fœderis defensor atque patronus dici & haberi voluit, ac ad fœderis defensionem dependit centum millia aureorum, & promisit, quod si bellum foret diuturnum, et vis hostilis ita cogat, se tum ad ducenta millia aureorum quotannis annumeraturum. Sleid. lib. x. comment,

Nu-

Nuperis exemplis nobis veniunt Rex Galliæ ad Mantuam & Heidelbergam: Rex Sueciæ ad Magdeburgum, licet hic cunctatione Electorum Br. & Sax. suspensus, urbem invitus interire viderit.

43 Seditionibus, ira & simultatibus plena sunt apud eos populos omnia quibus sumptus necessarii desunt. *Sic Megapolitani.*

E. Magdeburgum, antequã anno 1631. à Cæsareanis inverteretur civilibus turbis, & intestinis dissidiis ab aliquot annis laboravit; quo res ut fæcundam simultatibus, aliisque vitiis materiem dat, ita exitio isti urbi fuit.

44 Milites sæpius antea perterriti plerumque ex levibus prœliis cum hoste & ex parta in iis victoria confirmantur: itemque opida animum recipiunt, quæ prius animum despondere prorsus cœperant. *Sic Achæi confirmati à præfecto classis.*

45 Nautici milites in portibus aut maritimis urbibus deficientes, plurima secum incommoda afferunt. Itaque ne deficiant, sunt iis maxime stipendia persolvenda. *De Scerditaida deficiente à Philippo.*

46 Vbi justus exercitus deest, qui hostibus opponi, aut satis nostra tutari possit, tunc injuriis hostium patemus, & direptionibus, cladesq; accipimus: denique fit bellum latrocinium potius quam bellum: itaque maxime prospiciendum est ut bello suscepto nunquam nobis justus desit exercitus: nam quod avaritia servare & parcere studet, hostis eripit. *De Achæorum & sociorum statu, ubi Philippus exercitum dissoluit.*

47 Cavendum est ne in pactionibus cum hoste initis de urbibus prodendis proditores hosté ipsum urbanis prodant cum quo de prodenda urbe paciscũtur. *Sic Iason Ægetã Ætolũ prodidit.*

48 In urbium intercipiendarum conatu summopere videndum est, & cavendum Ducibus, ne loca & aditus illarum urbium minus comperta habeant, scalas breviores offerant, die & hora pacta non adsint, aut quippiam in hujusmodi aliis rebus peccent. Facit enim ea res, ut eludantur & pereant conatus isti, strenui milites in posterum timidiores fiant, & hostis de vigilando admoneatur. *Polybii sententia.*

E. Hoc accidit in exercitu Ordinum unitarum provinciarum. Cum enim dux militiæ Mauricius tentasset strategemate capere de nocte Brugas Flandriæ urbem, milites ejus partim ignorantia viarum, partim aquarũ inundatione impediti, non ante ad urbẽ quã summo diluculo pervenerũt. Quo facto cũ detectæ essent insidiæ, Mauricius dato signo jussit milites receptui canere, & re infecta domum rediit. Præterea, quia scalæ ad transcendẽda urbis mœnia paratæ, erãt opinione breviores in irritum recidit conatus.

Anno 1625. conatus Mauritiani frustra erant in occupando castello Antverpiano, non culpa Principis absentis, sed ductorum.

Nec Vesalia an. 1629. parũ difficultatis habuit ut in ordinẽ redigeretur è lupina His. voracitate.

49 Ea oppida pręcipue capiẽda ex quib. hosti ad nos aditus, vel nob. ad eũ patet. *Sic Phil. The. cepit.*

50 Principi longinquam expeditionem paranti non modo regnum prius est componendum; verum etiam undique cum vicinis populis pax et quies et securitas stabilienda. *Sic Philippus in Illyrium profecturus.*

E. Exẽplũ reliquit Gust. Suecus qui anteq; in Germaniã castra moveret cum Dano, Polono, cum subditis Livonis pacificas dextra junxit, ordinata insuper Republica Suecica de successione.

51 Fa-

51 Facile persuadetur Principibus bellicosis, imperandi avidis, felicibus & victoriosis, ut longinquam expeditionem & bella non necessaria suscipiant. *Sic Demetrius Pharensis Philippo de transfretando in Italiam.*

52 Magna imperia nascentia vel crescentia omnibus populis sunt metuenda etiam remotis. Nec enim facile antea conquiescunt, quam omnia domuerint. Itaque de impediendo eorum cursu sunt mature consilia capienda: Syncretismi ab aliis populis inter se faciendi. Nec sunt illa ullo prætextu & occasione in auxilium ab ullo populo vocāda. *In oratione Agelai in cōcilio Græc.*

E. Male hodie quidam Germaniæ Principes à fœdere Euangelico recedunt; inter sese divisi ambitione, Austriaci invocantes opem, hic ubi omnia domuerit, nec hisce parcet.

53 Ad magna imperia nascentia, vel crescentia oculos convertunt omnes: & quas simultates, inimicitias, & rixas inter se habent, ad ea imperia derivant, ut se quidem ulciscantur in speciem conantes; re autem ipsa eadem illa imperia suis dissensionibus amplificantes. *Sic res Græcorum & Afrorum ad Romanos delatæ.*

E. Bohemorum dissensiones in religione & regimine auxit Austrios, ut quod olim electivum erat jam hereditarium factum sit regnum.

Verum aliis regnis speculum hodie sit, ne dissensionibus suis in idem rete cadant, & modo quod electivum adhuc videtur esse regnum, fiat factionibus partium hereditarium.

54 Qui populi in eadem regione ad principatum in alios obtinendum natura feruntur, vel sunt libertatis præ cæteris amantes; iidem indesinenter inter se dimicant, quod studeant alij aliis priores esse. *Sic Peloponnesii inter se. Polybius.*

E. Veneti libertatis amantes sint pro exemplo, dum subegere Brescianos, Veronenses Patavinos & alios, alios.

55 Panicus terror, id est, qui nulla justa de causa exercitui sive pedestri, sive nautico incidit, optimas rei præclare gerendæ occasiones corrumpit. Itaque ne incidat, neve quidpiam temere in exercitu credatur, est ab Imperatore diligenter prospiciendum. *Sic turbata Philippi Regis navigatio in Illyrium.*

E. Anno 1620. Heidelbergæ temere credebatur, tractum montanum à Spinola occupatum, cives panico terrore perculsi fuga sibi consulentes, domicilia sine custode, urbem sine præsidio relinquebant; cum tamen tractus iste montanus anno 1621. & Heidelberga anno 1622. expugnaretur à milite Hispano & Bavaro.

EX LIBRO SEXTO.

NEc solæ eæ tres Reipub. formæ esse possunt, quæ à Philosophis traduntur, Monarchia, Aristocratia, & Democratia (sunt enim plures:) nec eædem quoque meræ & puræ constitutæ sunt commodæ: verum eæ demum quæ ex tribus illis formis simul mixtis constant.

2 Regnum est non quævis potestas Monarchica: sed ea duntaxat quæ spontaneo subditorum consensu uni alicui in cæteros est concessa: quæ magis benevolentia civium quam timore continetur ac conservatur, & quidem certis legibus ac potestatis finibus circumscripta, non pro regentis arbitrio libera & effrenis. *Polybius.*

E. Sueto. in Augusto. Cum cives Romani Im-

Imper. Augusti virtutem, bonitatem ac justitiam plane perspectam & exploratam haberent, ejusque beneficio in summa pace & tranquillitate viverent, bellorum civilium memoriam, & crudelissimas strages execrati, Augustum Imperat. non quasi dominum, inquit Seneca, sed quasi parentem optimum colere & adamare cœperunt.

Idem de Augusto Imperator. cap. 58, ita scribit. Patris patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu Divo Augusto Imp. obtulerunt, hac formula. Quod bonum faustumque tibi sit, Cæsar Auguste, Senatus consentiens cum Populo Romano te PATREM PATRIÆ salutat. cui lachrymans respondit Augustus his verbis: Compos factus votorum meorum, Patres conscripti, quid aliud habeo Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat.

E. Ejusmodi regni administratio benevola extat in Polonia, Dania & Venetiis.

3 Ex regno male administrato, & in tyrannidem vergente ac labente solet oriri Aristocratia. *Polybius.*

4 Aristocratia est ea Reip. forma in qua justissimi ac prudentissimi quique ad gubernandam Remp. eliguntur, æquali inter se potestate præditi. *Polybius.*

5 Democratia est ea Reipub. forma, in qua multitudo pietate & honestis moribus informata id decernit, quod ad Reipub. gubernationem pertinet. *Polybius.*

6 Aristocratia male administrata in Democratiam delabi solet ac mutari. *Polybius.*

 E. Cru-

E. Crucigeris ab malam administrationem ex urbibus Borussiæ ejectis, status Reipub. ad cives regendus venit, uti adhuc hodie floret.

Argentina Alsatiæ aliud exemplum dat in regimine magistratus sui, quod ab Aristocratia in democratiam hodie videmus mutatum.

7 Ex Democratia male administrata, ubi imperiosior ac insolentior fuit multitudinis potestas, Regnum seu Monarchia nasci solet. *Polyb.*

8 Formarum Reipublic. origo ex eo primum nata est, quod in vaga, & nullis adhuc legibus coercita hominum multitudine, qui corpore robustior erat, principatum in alios usurpare cœpit. P*olybius.*

9 Legum & juris cuique præscribendi initium fuit tum filiorum in parentes, tum beneficiorum in benefactores manifesta ingratitudo ab omnibus hominibus communi voce damnata. *Polybius.*

10 Regnum & unius dominatio primo omnium Reip. formarum inter mortales fuit constituta. Ij vero in Reges primum electi consensu populi, qui in alios fuerant benefici, velut qui eos ab incursu ferarum, vel ab injuria aliorum hominum defendere vi corporis aut prudentia animi solebant ac poterant. P*olybius.*

E. Nimrodus vi corporis, reliquos mortales venatoris instar capere, suumque in potestatem trahere cæpit.

11 Eorum, qui ex strenuis & beneficis parentibus nati sunt, beneficia in populum tandem effecerunt regna hæreditaria, eorundem vero insolentia effecit Regna electiva.

12 Vrbium arciumque ædificatio primum à Regibus facta est, tum ad ipsius Regni majorem contra hostes externos securitatem, tum etiam

ad

ad ipsorummet Regum in subditos auctoritatem, ac sæpe tyrannidem stabiliendam. *Polybius.*

E. Munimenta Florentiæ & Senis non aliis usibus structa sunt, quam ut Magni ducis securitatem & in cives dominationem perpetuam ostentarent.

13 Quamdiu Reges suo munere recte & sincere fungebantur, parum à reliquis hominibus, victu vestituque differebant: Vbi vero ad lasciviam & libidinem sua illa potentia abuti cœperunt, tum vero & victum & vestitum & apparatum insolentiorem & sumptuosiorem cæteris habere voluerunt.

E. Bene apud Venetos res habet, ut inter nobiles nulla sit vestium distinctio, ne alter altero sumtuosior compareat.

14 Prima conjurationum in Reges causa & origo fuit eorum non in quosvis, sed in generosiores atque animosiores subditos suos contumelia: qui plebem ob similium injuriarum metum aut sensum in societatem sui consilii & facti asciverunt.

15 Hæreditaria honorum & bonorum publicorum successio, & à patribus in filios etiam imperitos rerum & causæ cur ea consequuntur continuatio, effecit ipsos successores insolentes & obliviosos: & causa fuit, ut optimæ Reipub. formæ, velut Regnum & Aristocratia, in Tyrannidem & Oligarchiam tandem degenerarent.

16 Tamdiu veræ Reip. formæ in suo statu durant, quamdiu qui in iis præsunt, omnia referunt non ad suam utilitatem, vel libidinem: sed ad ipsius Reipub. commodum & salutem, idque sincere & non ficte.

E. Pro exemplo sit Cosmus Florentinus qui

ob benefacta in patriam dictus est Pater patriæ: eorum testimonia extant Templa, scholæ, aliaque ædificia amplis reditibus aucta pro commodo urbis non gentis suæ.

17 Tum Monarchiæ tum Aristocratiæ injuriæ populum ad Democratiam invitant.

18 Plebs largitionibus & alienis bonis, non sua industria aut labore vivere assueta, facile imperium in seipsam divitibus præsertim audacibus vendit. Nam hi muneribus plebem corrumpũt: atq; ita tyrãnos sibiipsi plebs imponit.

E. Cosimus I. Florentiæ dux, ubi ab exilio revocaretur, plebem habuit faventem adeo, ut è nobili sit factus Princeps, & absolutus Dominator.

19 Quælibet Respub. habet sua initia, auxesin, seu incrementa, & finem seu decrementum à Deo constitutum. *Polybius.*

E. Sic cum Pompejus in pugna Pharsalica devictus à Iulio Cæsare, ad Cratippum philosophum in hortum divertisset, & conquereretur apud eum de fortuna sua, disputassetque an aliqua sit providentia Dei, cum in causa meliore victus esset, respondit Cratippus. Fatales sunt imperiorum periodi, & jam convertitur Respub. Romana in Monarchiam. Forste. in hist. jur. Omnium ergo regnorum sunt ortus, incrementa status & occasus. Sic unus terræmotus sub Tib. Imp. XII. celebres Asiæ urbes evertit: totidem Campaniæ opida alius, sub Constantino, & unum aliquod Attilæ bellum plus centenas. Cadavera Carthaginis, Numantiæ, Corinthi, prisci viderunt & mirati sunt: nos Athenarum, Spartæ, & tot illustrum urbium ignobiles ruinas. Venetiis quæ mille annorum imperio superbiunt, veniet sua dies, & tu Antverpia ocelle urbium ali-

aliquando non eris. Lipſ. lib. 1. cap. 16. de conſtant.

Ibid. Fallor enim, an video SOLEM neſcio quem novi imperii Orientem ab Occidente. Quibus verbis videtur deſignare Regem Hiſpaniæ, qui Monarchiam affectare cenſetur.

20 Ærarii publici poteſtas & diſpenſatio penes concilium publicum, non vero penes vel Regem, vel Quæſtorem eſto. *Polybius. Sic Senatus Romanus eam poteſtatem habuit.*

21 Iudicia dublica in unoquoque Regno conſtituenda, quæ & privatorum lites decidant; & ſcelera publica puniant: & provinciarum ſeu partium Regni lites inter ſe dirimant. *Sic Senatus Romanus.*

22 De Bello & Pace cum hoſtibus paciſcendi jus: Legatis exteris reſpondendi auctotoritas, penes conſilium Ordinum: non autem penes unum Regem aut Conſulem eſto. *Sic Senatus Romanus hoc jus habuit.*

E. Reſpublicæ ſint nobis in notis: Venetiana, Belgica, junxerim Genevenſem, licet ſorte inferiorem.

23 Magiſtratuum ſuorum electio in unaquaque civitate ſit penes ipſum populum. *Sic Roma factum eſt.*

24 Concilium publicum Ordinum de rebus à ſummo Magiſtratu geſtis judicet ac ſtatuat. *Sic Senatus Romanus de triumphis Conſulum.*

25 Duo Rempublic. maxime conſervant: Strenuitas adverſus extraneos hoſtes ſeu Vis foris, & Domi concordia: quam utramque maxime labefactat vel una Avaritia: quæ idcirco è Repub. quantum fieri poteſt tollenda, imminuto pecuniæ ac divitum, minime virorum bonorum honore. *Polybius.*

E. Clarius exemplum non habemus prӕter Belgium quod libertatem ſervat domeſtica concordia, & forenſi adverſus Hiſpanum militia.

Sic Aurelianus Imp. magnates interrogavit. Quomodo eſſet regnandum? Quorum unus reſpondit. Si Rempub. rite adminiſtrare volueris, auro & ferro te munitum eſſe oportet, ac ferro quidem contra hoſtes uti, tui vero obſervantes auro remunerari.

Hinc laudandus Septimius Severus Imp. cujus hæc ultima fuerunt verba. Turbatam Remp. ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo firmum imperium Antoninis meis relinquens, ſi boni erunt; imbecillum, ſi mali.

Commendandus quoque eſt Fabricius, qui contemnit aurum à Pyrrho oblatum, nec movetur terroribus ab elephanto incuſſis, ut alienum aliquid à Reipub. dignitate dicat aut faciat. De hoc Pyrrhum dixiſſe Eutropius ſcribit. Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam Sol à ſuo curſu dimovebitur. Notandum & illud axioma, quod labefactatur Reſpub, imminuto virorum bonorum honore. Hinc recte dicebat Antiſthenes, civitates tunc interire, cum boni nequeant diſcerni à malis.

Huc recte quoque poteſt accommodari reſponſum ducis Ageſilai, qui rogatus, quas res Imperatorem habere oporteat, reſpondit, adverſus hoſtem audaciam, erga ſubditos benevolentiam: in oportunitate vero rationem & conſilium. Stobæus ſermo 52.

Prudenter Cicero pro lege Manil. Imper. adſit labor in negotio, fortitudo in periculo, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo.

26 Boni ſeu honeſti civium mores ac ſanctæ leges requiruntur, ut quæpiam Reſpub. recte inſtitua-

stituatur, sit sancta, fiatve felix. *Polybius.*

27 Forma Reipub. à Platone institutæ prorsus imaginaria est atque absurda.

28 Victus frugalitas ac temperantia publica Rempub. à multis malis ac vitiis liberat.

E. Hinc recte Epicurus Gargettus dicebat, se cum quolibet de fœlicitate certaturum, modo mazam, id est, offam & aquam haberet. Laudanda quoque est frugalitas Cyri regis Persarum, qui cum in fuga longam inediam passus, cibario & atro pane paulum refectus esset, dixit se nunquam tam sapidum panem gustasse.

Sic cuidam qui dicebat se admirari, quod Lacedæmonii tam frugali cibo & vestitu uterentur, Agesilaus respondit. Pro hac frugalitate optimam messem metimus, libertatem: sapienter admonens, nullam voluptatem esse ingenuis viris libertate suaviorem, nec diu ibi posse regnare libertatem, ubi regnat luxus.

Sic Ors. Dei clementiæ est, quod vivimus. Quod autem male vivimus, nostræ est intemperantiæ.

29 Nequaquam probandum est illud Rerumpub. consilium, quo ad sua tutanda, & bella gerenda, peregrino potius, quam indigena milite uti malunt: ac propterea militiam negligunt. *Accusati Carthaginenses propterea.*

30 In civitatibus maritimis & mercaturam nauticam exercentibus nihil fere solet esse & censeri turpe quod ad lucrum faciat. *Sic de Carthagine Polybius.*

E. Genuenses mercatores pro salutatione matutina habent suum, quadagno Sigre, id est, mementote lucri.

31 Impia gens est, itemque civitas, in qua jusjurandum facile, vel privatim, vel publice violatur.

latur. *Polybius de Græcis perfidis : & Romanis fidei tenacibus.*

E. Hujus præcepti luculentum exemplum extat in Rodolpho Suevorum duce. Cum enim Gregorius VII. Pont. Henricum IV. Imperatorem ex Ecclesia proscripsisset, & Rodolpho Suevorum duci novo exemplo imperialem coronam misisset, cum hac inscriptione Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Rodolphus & si alienum videbatur à viri boni officio, Principis, cui fidem dederat, majestatem lædere, persuasus tamen Episcoporum argumentis, non servandum esse fidem excommunicato, accepit Cæsaris titulum, bellumque movit Henrico Imper. Tandem profligatus & lethaliter sauciatus Rodolphus ad Elistrum Mysiæ amnem, Mersburgi scilicet occubuit anno 1080. Idib. Octobris Vbi cum jam expiraturo dextra quam in prælio amiserat, allata esset. Hæc (astantium Episcoporum agmen allocutus) dextera est inquit, qua Imperatori promissam fiden non servavi. Hæc violatæ à me vobis impulsoribus fidei argumentum, & nefariæ perfidiæ testis est, de qua vobis reddendæ sunt DEO rationes, Philip. Melanthon in vita Imper. Henrici IV. cognomento senioris.

32 Vbi Resp. ex parva fit magna; ex tenui dives: tunc in ea & simultates civium inter se, & ambitiosa de principatu certamina, ac denique seditiones & luxus oriri solent.

E. Pro exemplo sit urbs Florentia, cujus Historiam & ambitiosas seditiones de principatu inter familias Medicæam, Strozzianam & alias, legat qui volet in Vita Cosimi I. Magni Hetruriæ Ducis. Autore Iohan. Bapt. Cino.

Aliud exemplum nobis ſuggerunt Magiſtri ordinis Teutonici, qui tenuiſſimis à Principiis orti poſt amiſſam Ptolemaida, in Boruſſiā delati ſūt, obi opibus & potētia ita creverūt, ut non raro cū Poloniæ regibus auſi ſint decertare: at incipiente inter eos regnare faſtu, & ſuccedente paulo poſt diſcordia, quæq; dira impiorum & gētiū omniū peſtis eſt, ambitione, cito facileq; attriti ſunt, ita quidē ut tandē ſub Caſim. Pol. rege ſuccumbētes, coacti fuerint in verba regis jurare, & Patronum ipſum agnoſcere.

33 Etſi calamitati ac tempori cedendū eſt, vidēdum tamē ne id à quapiam Rep. vel Rege præter illius dignitatem, aut futuram in poſterum utilitatē, quæ merito prævideri poteſt, fiat. *De Romanis abnuentibis redemptionē ſuorum captivorum.*

E. Chriſtianus Senior Princeps Anhaltinus, ut calamitatibus principatus ſui finē imponeret, ſupplex factus Cæſari Ferdinando II. novit aulanum cum dignitate receptus ſit. anno 1624.

EX LIBRO SEPTIMO.

IN obſeſſa urbe nulla muri pars, quantumvis munita natura & ſitu loci, unquam eſt abſque præſidio & excubiis relinquenda: hac enim parte viam maxime ſolent tentare hoſtes.

E. Hoc male obſervarunt Zutphanienſes: dum enim in certa aliqua muri parte excubias collocare non cōſueverāt, hoſtes Hiſp. ductore Taxio de nocte muros urbis tranſcenderūt, & ſummo mane urbem occuparunt omniumque civium bona diripuerunt. Anno 83. 23. Septemb.

E. Magdeburgum cum expugnaretur anno 1631. agger urbicus verſus novum opidum, declivior fuit ideoque adſcenſu facilior, inſuper

ſuper male firmatus excubiis. Nam neque vigil ibi ſtationarius (x. Maii qui urbi fatalis fuit) rite ſervavit excubias, neque milites in promptu erant idonei; ita unus locus pigre curatus, reliquis omnibus fraudi & exitio fuit.

2 Ex ea parte urbs vel murus eſt incuſtoditus, ubi aves ſidentes conquieſcunt, & non terrentur, aut avolant. *Sic Lagoras deprehendit Sardeorum negligentiam.*

EX LIBRO OCTAVO.

TYrannis maxime ſunt inimici, qui libertati populi patrocinantur.

E. Hinc accidit, quod Helvetii ſe primum in libertatem excuſſo tyrannorum jugo vendicarunt. Accidit enim inſigne exemplum contumeliæ in præfecto Suizenſi. Hic collocato ad ſcopum eo loci honeſti civis filio, & ſupra caput pueri impoſito pomo, coegit patrem ad pomum ceu metam jaculari, ut ſi pomum non collimaſſet, transfigeret filium. Sed & patrem cum rem tantam fœliciter peregiſſet, illæſo filio, vinctum ſecum abduxit, in quo itinere excuſſis compedibus, tyrannum trucidavit.

Porro notandum, quod pro hominum moribus DEUS conſtituit formam Reipub. ut recte & graviter tradit Lipſ. Belgii noſtri Seneca lib. 2. de Conſtant. cap. 9. ubi inquit, Vides Etrusca ingenia nimis alta, inquieta, & excitata, DEUS Principe coercet, HELVETIORUM ſedata & mitia, libertatem indulget, Venetorum media, medium dat Regimen, ſcilicet Ariſtocraticum.

De Venetorum ratione imperandi hoc addit Cominæus, quod Venetis innata eſt quædam indu-

industria & cupiditas proferendi fines imperii, & nisi cohibeantur, erit tempus, quo vicini omnes conditionem suam nimis sero deplorent.

2 Ne temere quisquam fidat aut sese committat hosti nondum sincere reconciliato, & à quo nullos obsides habet. *Sic Archidamus male fidit Cleomeni.*

3 Obsides & argumenta securitatis ac fidei servandæ sunt Iusjurandum, liberi, uxores, amici ab eo nobis dati, itemque vita præterita ejus, cui fidimus. *Polybius.*

E. Bini filii Francisci I. Galliç Regis dabantur obsides Regi Hispan. pro liberatione patris, qui in Hispania detinebatur captivus Mantuæ Carpetanorum.

4 In obsidionibus sive ad oppugnandum, sive ad propugnandum maximus est artificum, qui Mechanici, seu Mathematici dicuntur, usus; ac proinde comparandi & conquirendi. *Archimedis exemplum in obsidione urbis Syracusanæ.*

E. Hoc prudenter observat Illustris & Generosus Mauricus Comes Nassovius, qui semper in castris adjunctos sibi habet prçstantes Mechanicos & insignes Mathematicos, qui egregria peritia instructi sunt castra locandi, propugnacula exruendi, valla erigendi, aliaque opera militaria artificiose fabricandi.

5 In hostico qui primum summas ac munitissimas arces vi capit, facile reliquas regionis partes ad deditionem metu postea cogit. *Sic Philippus Illyrios Acrolisso capta.*

E. Spinola superato Rheno captis Oppenheimio & munitioribus Palatinatus locis facilem habuit reliquam partem.

6 In captivis clam abducendis et liberandis est summopere cavendum, ne extraneis prorsus homi-

hominibus totum hoc negotium committatur, neve absque obsidibus aut pignore dato id cuiquam facere promittenti credatur, aut ne iis qui sunt deprehensi mendaces, fidatur. *De Achao.*

7 Nunquam cuiquam uni, vel pluribus licere debet, ut quando vicini sunt hostes, possit ingredi egredive, nisi prius & ipso explorato, & ejus comitibus quoque non observatis. *Sic Tarentum captum & proditum à Philemone.*

8 Prudentes Duces cum quidpiam magnum moliuntur adversus hostes, spargunt plerumque famam de se ægrotis vel mortuis. *Sic Annib.*

9 Vt noster adventus latere hostes possit, vel omnes qui occurrunt retinendi, vel specie latrocinii fugandi, vel occidendi: Ipse vero exercitus quam celerrime incedere debet, omnes tamen ordines servare, nemo vero vagari: Denique locus quo tenditur, paucis quoque notus esse debet. *Sic Annibal capturus Tarentum.*

E. Si ullibi praxis est hujus moniti, in Vnito Belgio est, quod emittit sæpe milites inscios agendorum priusquam ante portam loci expugnandi ducti fuerint.

EX LIBRO NONO.

QVi obsidentur sunt de auxilio illis dando admonendi. *Sic obsessi Capuani de Annibale admoniti.*

2 Qui transfugarum specie ad nos accedunt, sæpe sunt exploratores, aut per eos ipsos hostis sua consilia quibus vult è nostris communicat.

E. 3 Vt hostem cogas ad solvendam obsidionem, est vel ipsius aliqua urbs vicissim obsidenda;

da: vel incendio ipsius regio vastandà: vel damnum aliquod insigne illi inferendum. *Sic Annibal Romanis ut Capuæ obsidionem solveret.*

4 Hostem perterret nostra in proposito semel suscepto pertinacia, qua illi incommodamus, vel non cedimus. *Sic Romani in urgenda obsidione Capuæ.*

5 Taciturnitas & dissimulatio consilii Imper. exercitus necessaria est.

E. Nam rerum ingentium anima silentium est. Marselaer in Legato. & taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum P. Matth.

Hinc Diocletianus Imp. sæpe solet illud dictũ repetere. Qui nescit dissimulare, nescit imperare. Curtius. Vnde apud Persas lingua gravius castigatur, quam ullum aliud probrum, nec magnam rem sustineri ab eo posse credũt, cui tacere grave sit, quod homini facillimũ esse voluerit natura.

Hinc etiam vehementer celebratur à Valer. Max. l. 3. c. 3. Pompeji virtus, qui dum legationis officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cum Senatus consilia prodere juberetur ardenti lucernæ digitum cremandum præbet, eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quicquã cognoscendi excussit, & expetẽdæ amicitia Pop. Rom. magnã cupiditatẽ ingeneravit.

Taciturnitas itaque in consiliariis Principis necessaria est, ne consilia quæ cælari & occultari prodest, patefiant. Ideo prodere arcana, præsertim in re militari, apud Romanos erat capitale. Sic Menander in leg. 6. ff. de re milit. respondit, Exploratores qui secreta nuntiant hostibus, sunt proditores & capitis pœnam luunt. Et Augustus Imp. Mecœnatem propter taciturnitatem venerabatur.

Vnde

E. Vnde Guazzus de civ. conv. Servum se facit alterius, qui secreta sua ignoto pandit.

Hinc quoque laudatur Zeno philosophus, qui ne corpus necessitate expugnatum, arcanum ullum animi posset efferre, linguam dentibus abscissam in faciem Tyranni exspuit. Plutarch. in Libel. de garrulitate.

Ægyptiorum quoque lex erat, qua jubebatur illi linguam ab scindi, qui arcana Reipub. quæ tecta esse debebant, detexisset.

Hinc quoque Ludovicus XI. Rex Galliarum filium suum Carolum VIII. noluit plus Latini sermonis discere, quam illa quinque verba; Qui nescit dissimulare, nescit regnare. Itaque Tiberio Imper. monente ipsi Principes dissimulationes diligunt, iisque sæpissime utuntur. Vsus etiam simulatione David Rex & Propheta.

6 Cum in rebus aliis humanis omnibus, tum vero in bellis maxime dominatur occasio, quæ minime prætermittenda est.

7 Ad nocturna itinera tuto facienda etiam Lunæ motus cognitio necessaria est.

8 In rebus omnibus quæ ex compacto in bellis geruntur, temporis, loci, modi & personarum non observata exacta ratio & constitutio, totum cœptum reddit inutile, imo iis etiam ipsis, qui nobis favent, noxium & periculosum. De *Arato hac diligenter in Cynethaorum urbe non observante.*

9 In bellis sæpe propter parva momenta neglecta, magnæ rei bene gerendæ occasiones amittuntur.

EX LIBRO DECIMO.

IN iis qui insigniter præstantes sunt futuri, statim illustres indolis eorum scintillæ plerum-

rumque apparent. *Sic in pub. Scipione majore.*

E. Exemplum luculentum est Carolus Philippi II. Hispan. Reg. filius, cujus ferox ac violentum ingenium statim à putritia observatum est; quum oblatos interdum ex venatione lepusculos sua jugularet ipse manu; eorumque aspectu palpitantium, exspirantiumque frueretur. Quod à Veneto Legato fuit animadversum, factaque inde conjectura indolis videlicet inclementis, non minus quam de puero eruente oculos coturnicum judicavere olim Areopagitæ. Quintil. l. 5. c. 9.

De Gulielmo Principe Orangio scribit strada lib. 2. 2.do hist. suæ Belg. Imperatorem Carolum V. ubi eum inter ephebos imperatorii cubiculi adsciverit, multum delectatum fuisse indole ac solertia pueri, quod ad modestiam compositus, neque vane ostentaret Principi obsequium, neque occasionem ullam prętermitteret obsequendi.

Memorabile exemplum in Erasmo Roterodamo, qui literatorum Belgii decus fuit habemus. Hic rudimenta linguæ Latinæ & Græcæ didicit Daventriæ in schola Alexandri Hegii, qui cum aliquando Rodolph. Agricolæ scripta scholasticorum monstrasset, prætulit Rodolphus Erasmicum scriptum cæteris, propter inventionis acumen, orationis puritatem, & figuras apte seu flosculos inspersas, eoque adeo delectatus est, ut accersito ad se Erasmo diceret, Tu nisi me fallunt omnia, magnus eris. Porro eventus re ipsa comprobavit verissimum fuisse hoc vaticinium: Quinimo vere illud elogium ædibus natalibus ejus inscriptum Roterodami, de illo celebratur.

Ædi-

Ædibus his natus mundum decoravit Erasmus
Artibus, ingenio, relligione, fide.

Similiter etiam Alexander Magnus puer manifeste animi sui magnitudinem declaravit. Nam cum puerulo in ludo litterario victoria quam pater pepererat, narraretur, suspirans dixit, Si pater omnia vicerit; nihil sibi superfuturum. Cui cum astantes dixissent, sibi hæc omnia parari, dixit, se parvi ducere, quod late regnaret, quando parandæ gloriæ materia eriperetur. Iam in ea ætate orientales victorias contra Medos & Persas visus est animo concepisse. Baptis. Fulg. lib. 3. dictor. memorab. c. 1.

2 Ejus loci quem obsidere tentes, situs prius tibi apprime est noscendus. *Sic Scipio in nova Carthagine obsidenda.*

3 Expugnationem urbis, prœlium, aut aliud quidpiam magnum aggressuri Duces præmia prius proponant militibus, ut fiant audentiores & strenui. *Sic Scipio in nova Carthagine expugnanda.*

4 Ipsius Ducis strenuitas & præsentia in periculo conspicua, milites plurimum animat & confirmat. *Sic Scipio in Carthagine nova.*

5 Ad terrorem hostis dum urbs expugnatur, omnes occidendi quicunque primi occurrant. *Sic Romani soliti.*

E. Non ita pridem terrorem hostis expertæ sunt expugnatæ urbes Magdeburgum & Thenæ, quæ per cædem crudeliter, per libidinem flagitiose, per incendium barbare, cruentatæ, inquinatæ, eversæ sunt.

6 Delectos ex toto exercitu esse oportet qui prædam ex hoste fuso, & urbe capta colligant & dividant. *Sic soliti Romani.*

Hoc

E. Hoc monitũ si Duces observarent, cujus non victoriæ essent participes? superiobus annis Christianorum exercitus cum ad Agriam Turcas superasset, ipsum Imp. Ottomanicum capere potuisset nisi confusa militum manus omisso hoste præproperas prædæ admovisset manus.

7 Captis urbibus, victorum in mulieres continentia & clementia cives illis facile conciliant.

E. Alexander intactam reliquit uxorem & filiam Darii; Scipio sponsam Lucii Principis Celtiberii; Adrianus inviolatam remisit patri Regi Pers. filiam, quod factum movit gentem illam, ut Imp. venerarentur instar Dei.

8 Ducis ipsius continentia reliquos milites in officio continet. *Id in Scipione apparet.*

E. Nam quales sunt ij qui præsunt, tales & illi solent esse qui eorum imperio subjecti sunt, monente Claudiano,

componitur orbis
Regis ad exemplum nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent quam vita regentis.

Laur. Medic. Pater Leon x. Papæ dicere solebat.

Et quel che fa il Signor fanno poi molti,
Che nel Signor son tutti gli occhi volti.

9 Exercitum exerceri à Duce præsertim in otio oportet, & dum residet in hibernis aut castris. *Sic Scipio in Hispania.*

E. At lõge differt miles mercenarius & subditus Principis sive civis in opidis. Civis enim quantũcunq; armorũ usũ didicerit, & multiplicatis cohortibus impleat campos, nunquam par illis erit qui inter vera pericula versati timere desierunt. Et hoc ipsum est ad terrorẽ, quod timida pensatione aciei & veri Martis discrimina à fictis certaminibus & umbratili militia longissime differre animadvertent. Pal. Electori subjecti populi tota Ger-

Germania ab armorum tractandorum peritia celebrabantur, at nulli minus ad resistendum animi habuerunt: nimirum aliud est, bene ad metam collineare, aliud hostem ferire.

In Venetorum ditione, Sabaudi, Hetruriæ principatibus agrestis pubes militari opere exercetur. Iustin. in hist. Ven. et Ioan. Boter.

Belgis fœderatis usitatum est, Præcipue Hagæ exercere militem omni armorum genere: in cæteris opidis munitis cives exercitati cum mercenario milite excubiis admoventur contra proditiones & pericula ab hoste & peregrino milite quæ imminere possunt.

10 Dum iter facit exercitus, oportet Imperatorem non una semper in parte illius versari; sed modo in hac, modo in illa; ut ordines militum & silentium observet. *Sic Scipio.*

11 Ij optime Imperium sibi conservant, qui eandem benefaciendi subditis voluntatem & mentem retinent, quam initio imperii attulerunt. *Polybius.*

E. Isocrates dicebat: Regem dibere esse comem, facetum & gravem. Gravis in jubendo & loquendo; facetus in conversando; hinc Trajani affabilitas laudata, & Dionis culpata austeritas; Philippi Macedonis benignitas elevata, Alexandri superbia contemta fuit.

Principes enim maxime decet comitas & clementia. Sic scribit Suetonius de Imper. Augusto. Octavius Augustus promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam corriperet, quod sic sibi libellum porrigere non dubitaret, quasi elephanti stipem.

Sic etiam Imp. Alexander Severus uxori conquerenti, quod nimia comitate potestatem suam red-

redderet contemtibilioré, respondit sed securiorem atque diuturniorem.

12 Magnati ex castris hostium ad nos fugienti non facile credendum. *Sic Scipio in Audomali Hispano excipiendo.*

E. Pro exemplo sit Araspus à Cyro ad Assyrios dificiens. *Xenophon. lib. 6. in Cyropæd.* Zopyrus fæde vulneratus ad Babylonios. *Iustin. lib. 1.* Tarquinii superbi filius ad Gabios. *Livius & Florus l. 1. Thuanus lib. 20.* habet exemplum cruentum.

Anno 1556. Hazen Ariadeni filius Cæsareæ in Africa Rex ut Mahumetem Cherifium Fessæ regem perderet, egit cum cognomine quodam Hazen, qui cum injuria affectum se simularet, ad Cherifium cum 20. sociis transfugit, ab eoque stipatoribus suis prefectus oblata post occasione novum Dominum occidit.

13 Belli tempore est Rex & summus magistratus de exercitu, in quacunque regni parte sit, assidue & celerrime admonendus, ut per singula momenta illius necessitati prospiciatur.

EX LIBRO UNDECIMO.

Difficile est adversus internas & domesticas seditiones remedium.

E. At quęlibet seditio in qualibet civitate recte curatur, si tollantur ejus causæ. *Menenius Agrippa apud Halicar. lib. 6.* Lycurgus tollens avaritiam, omnem simul domesticam dissensionem ac seditionem de Repub. sustulit: propterea Spartani hac peste liberati Rempub. omnium Grecorum optimam habuere concordiam inter se colentes. *Polyb. 6. histor.* Remedia autem mature sunt applicanda; nam incipiens adhuc & nerdum adult. seditio melioribus consiliis flectitur. *Tacit. 1 Hist.*

Me-

Menenius Agrippa *apud Liv. lib.* XI. molliori brachio remedium adhibuit seditioni comparando eam cum intestina corporis seditione cui similis esset ira plebis, flexitque mentes hominum. At si fieri medicinam asperiorem, extrema necessitas jusserit, fiat, more majorum in auctores criminum vindicta, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat. *Vegetius.*

EX HERODOTI

HISTORIÆ LIB. I.

Scaliger. Herodotus dulcissima est illa τῆς ἰάδις μοῦσα. Vixit annos 52. Vetustissimus est omnium solutæ orationis scriptorum, qui hodie extant, scrinium originum Græcarum et barbararum, auctor doctis nunquam deponendus.

In Olympiis cantillans historias memoriæ à se proditas ac præsertim aures orationis suavitate demulcens, Musarum nominibus ejus libri nobilitari & vocari capti sunt, & illis novem existentibus. Lucian. in Herodoto.



PRIMORUM inter longinquos populos bellorum causæ extiterunt raptus mulierum & adulteria. *In proœmio.*

E. In sacris legimus *Iudic.* 20. propter stupratam uxorem levitæ, XXVCIↃ è Benjamitis cæsa sunt, tota urbe Gibea funditus incendio consumta. 2. *Sam.* II. Rex David pulsus est regno à filio

filio Abſalon ob raptam Vriæ uxorem & maritum trucidatum.

Troja ſolo æquata, principibus occiſis & matronis in captivitatem abductis ob raptum Helenæ à Paride. Stuprum illatum Lucretię conjugi Collatini à Tarquinio Regis filio, ejecit Reges Roma, dejecto & expulſo Tarquinio ſuperbo mutata Reipub. forma eſt. *Liv. lib.* 1.

Sub Imp. Rodolpho, Siculi propter Gallorũ libidinem & militarem inſolentiá, conjurationẽ in Gallos injerunt, ut die Paſchatos cum primum campana veſperi audita foret, ubique Galli nullo diſcrimine habito cæderētur. Qua in re adeo ſævitum eſt, ut etiam mulieres Gallico compreſſu prægnantes cæſæ fuerint.

2 Injuria inſignis in Reginam aut aliquem è regni principibus etiam à Rege ipſo facta, ſæpe in eum conſpirationem excitat, per quam cædes ejus, aut regni privatio ſaltem injuriæ acceptæ vindicta tentetur ac ſuſcipiatur. *De Candaule qui ab uxore regno privatus eſt.*

E. Exemplo venit Alexander de Medicis primus Florentiæ Dux, qui mœchus in uxorem noctu à Laurentio interficitur, & ſervo Scoro concolo 1536.

3 Ad regnum alicui peregrino etiam illud injuſte occupanti ſtabiliendum, poteſt plurimum affertque momentum magnum eorum qui prætextu religionis populo commendantur, favor, & pro illius jure & defenſione eorundem reſponſum ac pronunciatio. *De Pythia confirmante regnum Gygi.*

E. Artifices in hoc argumento hodie ſunt Ieſuitę, qui ſub prætextu religionis quæ nõ moliũtur?

quid in Indiis factum? quid novis annis in Bohemia, Moravia, Palatinatu? Olim Carolus Magnus Imperator, cum Saxonum pervicacissimos animos & nulla unquam vi, nulla pœnarum severitate fractos, (exempli gratia, una vice ad terrorem cæteris injiciendum quatuor mille & quingentos, eosque dedititios severo & atroci supplicio sustulerat) mollire non posset, non, ut prius, præfectos iis imposuit, qui regiam potestatem ac vim referrent; sed ut quamque partem bello denuo devicit, Episcopis à se creatis, hominibus piis ac religiosis assignavit, qui & docerent populum, & auctoritare potius ac nomine venerando quam imperii specie præessent. Successit consilium; & ferro indomiti religioni succubuerunt, *Vbbo.Em.4.hist.Fris.*

4 Anniversaria hostilium agrorum, frugum ac messis vastatio, depopulatioque etiam absque eorundem obsidione, tantum illis incommodum affert, ut tandem de deditione, nisi mari potiantur, cogitare cogat.

5 Inopiæ commeatus, aut imbecillitatis virium simulatio dissimulatioque sæpe prodest. *De Thrasybulo tyranno Milesiorum.*

E. Exemplum sit Lugdunum in Batavis, quod anno 1574. à Valdesio Hispano, expugnatis munitionibus, castellis circumpositis, intercluso undique commeatu obsessum, urbi habitatoribus frequenti extrema prope necessitate indicta. quo facto, Valdesius ad Lugdunenses scripsit epistolam, qua gnarum se illorum inopiæ ostendens, dedendæ urbis conditiones offerebat, at illi contemptim respondebant, Alimenta sibi non defutura, donec lævum brachium restaret: hoc esuros, dextero ad libertatem tuendam reservato.

6 Non

6 Non solum cæterorum hominum, sed maxime principum, quantumvis pro tempore aliquo felicium, exitus vitæ atque extremi dies sunt spectandi, priusquam felices dici censerive possint. *De Solone id respondente Crœso, & de Crœso qui postea à Cyro captus est.*

E. Sic Solon prudenter neminem dum adhuc viveret, beatum dici debere arbitrabatur, quod ad ultimum usque fati diem ancipiti fortunæ subjecti essemus, teste Horatio, qui canit, dicique beatus, Ante obitum nemo supremaque funera debet.

7 Homicidia fortuita apud vetustissimos mortales etiam profanos detestabilia tamen & execranda semper visa sunt, utpote qnod natura humana à cæde & sanguine abhorreat: itaque certis solemnitatibus expiari consueverant & exilio multari. *De Adrasto Phryge.*

E. Hinc patet absurdam & iniquam esse Casimiri magni Regis Poloniæ legem Anno 1368. latam, quæ cædem nobilium à nobile admissam 30 aureis vindicat, si plebeius nobilem occiderit, pœna duplicatur, si nobilis plebeium interfecerit, pœna est decem aureorum, etiam si ex insidiis cædes est admissa: qua impunitate occidendi proposita, innumerabiles cædes sunt secutæ. Spes enim impunitatis est illecebra peccandi. At gravis séper pœna homicidis est irrogata. Theodoricus Veronensis Gothorum rex gravissimos conscientiæ laniatus sustinuit ex nece Symmachi consulis Rom. & ejus generi Boetii. nam quo die interfici jusserat hosce summos viros propter leves suspiciones affectati regni, eodem die ministri regii apposuerunt ei in cœna caput magni alicujus piscis: Theodoricus vero specie hujus piscini capitis ita est perterrefactus,

ut putaret se videre caput Symmachi minitantis tristia & dira. Hoc igitur spectro prope exanimatus, mox secessit in vicinum conclave, & intra triduum mœstitia extinctus est. *Procop. lib. I.*

8 Tyrannidem facile in Rempub. usurpat cui arma tractare, & milites habere ad sui custodiam speciali privilegio præ cæteris licet: Itaque hæc nemini in Rep. sunt concedenda. *De Pisistrato.*

9 Tyrannorum variæ tandem calamitates esse solent. *De Pisistrato ter expulso.*

E. Hinc meritas pœnas luit Nicanor Syriæ dux, qui extento brachio contra templum Hierosolomitanum juraverat, se hoc igni deleturum esse. Cui in acie interfecto prçcidi victor Iudas Macabæus caput & brachia jussit, & suspendi ea ante templum, ut conspiceretur exemplum pœnæ blasphemi hominis. Melant. 2. Chron.

Sic dux Guisius & Cardinalis frater ejus, qui jam ante in laniena Parisiensi Comitem Castilion eum Admiralium Galliç proditorie occiderant, & semimortuum ex alto in terram præcipitaverant, Regem Navarræum in vincula conjecerant, ac præcipuos Galliç proceres nobiles & subditos, religioni reformatæ addictos truculenter necaverant, iterum per submissos satellites ab Henrico III. Galliæ Rege Blesis trucidati sunt. Anno 1588. 23. Decemb.

Dionysius Siciliæ rex & tyrannus stupra, rapinas, cædes multos annos impune exercebat; post infamis, extornis, inops à sceptro ad ferulam deportatus, aperuit ludum Corinthi ipse verus fortunæ ludus.

10 Conditio honesta & insperata victis à victore proposita, eos vel in partes victoris

ris traducit, vel ad seditionem mutuam commovet. *De Pisistrato victore contra Athenienses.*

11 Populi strenui & pauperes, nunquam à ditioribus & opulentis populis irritandi vel gloriæ vel regni amplificandi gratia. *Sandanis consilium ad Crœsum.*

12 Conjugiorum inter ipsos hostium principes pactio est facilis belli dissolvendi modus. *De Cyaxare, & Halyatte Regibus.*

E. Nuptiæ sunt firmamenta fœderum, mansura inter Principes, quamdiu annuerit dominādi cupido, cui plerumq; tenacius nubunt Reges. Nuptiis tamen hostilitates sublatæ sunt, testimonio Philippi, Hisp. regis cui (defuncta Maria Angliæ regina) uxor oblata est ea, quæ Carolo Hisp. Principi pacta erat, Isabella Henrici Galliæ regis filia, quā quia ortus ejus in tempus incidit pacis cum Anglo initæ & nuptiæ occasione pacis cum Hisp celebratę sunt; *Principem à pace* cognominavere. Simul Henrici sororem Margaritā Emmanuel Philibertus Sabaudus uxorem accepit, una cum urbibus, quib. illū, patremq; trans Alpes ac citra, Franciscus primus & Henricus ipse spoliaverant. *Strada. lib.* 1. *Hist. Belg.*

13 Injusta bella tristes exitus habent. *De bello à Crœso contra Cyrum suscepto.*

E. Sic male cessit nostra ætate bellum Alberto Marchioni Brandenburgensi. Qui quas urbes expugnaverat, militibus diripiendas dedit, pœna capitis indicta, qui non strenue civium bona expilaret, tametsi justam causam contra patriam arma capiendi nullam haberet. Bodin. lib. 3. de Repub. c. 4. Itaque tandem à Camera imperii tanquam publicæ quietis & imperii perturbator proscriptus est, & ipsius vita & fortu-

næ omnium prædæ expositæ sunt. Sleid. lib. comment. 25.

14 Quamdiu hostis in armis perstat tamdiu & tibi in armis perstandum nec exercitus à te dimittendus, si hostis suum retinet. *De Crœso exercitum dimittente & capto.*

15 Qua parte potest hostis in prœlio plurimum, sive peditatu, sive equitatu, ea maximo vel strategemate fallendo, vel vim inferendo terrendus, vel insidiis adoriendus, vel consilio in varias partes diducendus. *De Cyro opponente camelos equitatui Crœsi.*

16 Duello minime jus publicum & illius decisio permittenda; uti nec sorti: nam inde quoque bella postea nascuntur. *De Argivis & Lacedæmoniis pro Tyreate agro certantibus,*

E. Carolo V. Imperat. vitio verti non debet, quod Francisco I. Gall: Regi provocanti ad duellum non comparuerit. Sleid. lib. 6. nam dux belli licet ab hoste provocatus temere se sistere non debet, ne exercitus, si forte occumbat Dux, animum despondeat.

Propter publicam tamen utilitatem duella licita sunt. Sic Carolus Andegavensis & Petrus Tarraconensis singulari certamine de Siciliæ imperio contenderunt. Froslar. lib. 1. histor.

17 Præmio & donis milites sunt ad periculosa & difficilia opera, velut murorum ascensum, irruptiones in hostes faciendas, occupanda loca ardua & necessaria, cohortandi & excitandi. *De Cyro in expugnatione Sardium.*

E. Mauritius Nassovius militem in obsidione Steenovicensi largo dono honestavit, quod masculo animo, conscenso hostis vallo, hastam vidente hoste & sclopetis in eum iaculante, è vallo abreptam in castra Mauritio obtulerit.

Sic

Sic Orodes rex Parthorum, eum qui primus hostilem murum ascendisset, Seleuciæ dono remuneravit. Appianus. De Papirio scribit Livius lib. 10. Centuriones milites que ab eo præmiis donatôs, qui primi murum portamque ceperant Aquiloniæ, & in ejus triumpho vallares muralesque coronas multas esse conspectas. Sic Cæsar ad Avaricum militibus, qui primi murum ascendissent, præmia proposuit. Cæsar lib. 7. de bello Gall.

18 Principum victorum calamitas, & ipsius eorum miseriæ conspectus, sæpe alios principes, imo eorum hostes, ad misericordiam móvet, & à sævitia avocat & deterret. *De Cyro qui Crœso pepercit.*

E. Exemplum vivum est Iohannes Fridericus Elect. Sax. captus à Carolo V. ad opid. Mulbergum, cujus vulnus in vultu Cæsarem ab omni sævitia abstinere fecit. *Hortleder in bello Germ.*

19 Rapinæ militum inexplebiles, & maximarum urbium direptiones, voti religionisque prætextu sunt impediendæ. *De Persis à direptione Sardium abstinentibus.*

20 Ad famem & annonæ diuturnam caritatem sublevandam pars etiam ipsorum indigenarum est in alias regiones dimittenda. *De Lydis in Tusciam deportantibus partem indigenarum propter inopiam.*

21 Tyrannidem facile in populari ἀ'ξίᾳ & statu usurpat is, qui virtutis ac imprimis justitiæ laude in populo prius commendatus, ea ipsa ad suam ambitionem vel avaritiam abutitur. *De Deioce Medo.*

22 Reges primum à populis electi sunt, & quidem ij qui opinione & laude tum prudentiæ tum justitię præstarent cæteris. *De Deioce.*

23 Reges sunt infirmiorum ac imbecilliorum adversus robustiores & violentos tuendorum gratia primum instituti. *De Deioce in regem Medorum electo.*

E. Hinc Alphonsus rex Hispanicus in symbolo pellicanum pectus sibi fodientem, & sanguine pullos suos alentem pinxit, & adscripsit. Pro lege & grege: significans has esse duas justas bellorum causas, depulsionem latrociniorum à cordibus animis & cervicibus subditorum, & depulsionem blasphemiarum.

24 Vrbes & arces primum insidiarum & periculi ab hostibus imminentis propulsandi gratia à principibus fuerunt conditæ. *De Ecbatana.*

E. Sic recte & accommodate scriptum reliquit Bodinus lib. 5. de Repub. c. ult. Non sperandum est in imperio retineri posse populum, aut qui liber antea fuerit, nisi exarmata civitate, ac præsidio urbi imposito quieturum. Exemplum hujus præcepti vidimus in civitatibus, Vltrajecto, Groninga, Noviomago, Roterodamo, Horna, Gouda & Campis, ubi quibusdam Arminianis & Pontificiis, propter metum seditionis & rebellionis erga magistratum, arma sunt ademta, et præsidia militaria urbibus imposita: alioqui enim seditiosi et rebelles cives in officio contineri non poterant.

25 Princeps ad tyrannidem parat sibi viam, qui vel paucis, vel nullis subditis suis concedit, ut ad sese absque internuncio accedăt. *De Deioce.*

E. Olim apud Germanos Velledam, fatidicam regia potestate virginem, coram adire et alloqui omnibus negatum. Ipsa edita in turri: delectus è propinquis consulta responsaque ut internuncius numinis portabat. Tac. 4. *hist.*

26 Re-

26 Rerum quæ naturaliter fiunt superstitiosa observatio, sæpe felices conatus moratur, & rebus agendis nocet. *De Cyaxare desistente à pugna propter eclipsin.*

27 Sacrilegia à Deo etiam in ipsos profanos vindicantur. *De Scythis Veneris Vraniæ fanum spoliantibus.*

E. Hinc Suetonius probrose de Iulio Cæsare scriptum reliquit: In Gallia fana templaque Deum donis referta expilavit, urbes diripuit, sæpius ob prædam, quam ob delictum.

Sic Procopius annotavit pessime Genzericum regem Vandalorum, cum alia decora Romana secum in Asiam vexisse, tum & partem tegularum Iovis Capitolini auratarum dimidiam. Idē Stilico mandasse creditur, (ut scribit Zozimus) ut fores in Capitolio quæ auro magni ponderis erant obductæ, laminis spoliarentur. Cum autem qui hoc facere erant jussi, id agerent, in parte forium id inscriptum repererunt. Infelici regi servantur. Quod eventus docuit, nam Stilico paulo post infeliciter periit.

In sacris (Iosuæ 7.) legitur Achan cum filiis & filiabus cum bobus, ovibus, & pecoribus suis, cum omni suppellectile sua lapidatus & combustus esse, quod spolia ab hostibus capta furto subtraxerat, nec in sacrarium Dei reposuerat.

28 Magnorum Imperiorum fundatores & incunabula nonnunquam ex parvis & quidem pudendis initiis, sed extraordinariis & miraculosis modis jaciuntur ac conservantur. *De Cyro puero servato.*

E. Sic pauci aliquot milites 40. navibus muniti, ex Belgio propter tyrannidem Hispanicam exulantes, ducibus, Comite VVilhelmo Lumeio de Marca, Domino de Svvieten, VVilhelmo à

 Blœss,

Blœſs, Domino de Treſloing, Lanceloto à Brederoden, & Bartoldo ab Entes occuparunt inſulam & urbem Hollandiæ Brielam, portis pulvere tormentario incenſis, ſine ſanguinis effuſione, Anno 72. I. Aprilis, atque ita Hollandiam à duriſſimo jugo ſervitutis Hiſpanicæ in exoptatam & priſtinam libertatem vindicarunt.

29 Regum in proceres crudelitas, aut inſignis injuria multarum in eum commutationum cauſa eſt, ac ſæpe etiam regni amittendi. *De Harpago ulciſcente injuriam ſibi factam.*

E. Crudelitas Albani in Belgio, Chriſtierni in Dania hic ſerviat pro exemplo.

30 Conviviis, ſollicitationibus, donis, & futuræ libertatis promiſſione, populus facile ad defectionem & ſeditionem impellitur. *De Cyro Perſas excipiente convivio.*

31 Nemo exercitui à Rege vel Rep præficiendus, quem ipſa graviter prius offenderit. Nam ut ſeſe ulciſcatur, res, imperium, & exercitum quantum poteſt, prodit & perdit. *De Aſtyage Harpagum præficiente.*

E. Exemplum ſuppeditat Conſul Gandavenſis Iohannes Imbyſius, qui contra Reipub. privilegia multa molitus anno 1579. honore iſto privatus, urbemque relinquere coactus eſt. Poſt vero anno 1583. é Palatinatu revocatus priſtino Conſulatus honori reſtituitur; is ut ulciſceretur ſeſe, 4. criminum capitalium reus fit, accuſatur, tandemque Gandavi anno 1584. publico in foro victima lictori factus eſt.

Hujus præcepti exemplum apparuit in Chriſtierno Rege Daniæ, qui cum ſemel propter tyrannidem regno ejectus eſſet, & poſtea certis conditionibus iterum receptus, ad tempus clementer imperaſſet, tandem in magno convivio

præ-

præcipuos proceres & nobiles tegni quos, prius humaniter tractaverat, captivos carceri inclusit, & per carnificem interfici jussit, inter quos etiam erant bimuli vel trimuli infantes. Demet. lib. 10. hist. Belg.

32 Lepra laborantibus, vitiligine, aut aliquo contagioso morbo, locus à reliquis hominibus separatus est mature, isque publice, assignandus. *De moribus Persarum.*

33 Pueri sunt à prima statim infantia assuefaciendi, ut verum dicant, mendacia fugiant. *De moribus* Persarum.

34 Ad pacem inter ejusdem gentis & linguæ Respub. liberas colendam, necesse est commune quoddam totius gentis Concilium constitui, in quo de totius gentis controversiis & rebus communibus consultetur, statuaturque. *De Pavionio, & Theletis consilium quoque.*

E. Hoc prudenter & fœliciter servatur in Belgio, dum omnium Ordinum fœderatarum provinciarum Belgii publicum & commune concilium instituitur, in quo de omnibus arduis negotiis ad Rempub & statum belli pertinentibus consultatur & deliberatur.

Tale concilium Respublic. Helvet. cogit Badenæ.

35 Quibus in urbibus multa mercatura viget, suntque frequentia gymnasia, ludi, theatra & fora, in iisdem fere solent esse imbelles homines, minimeque militares. *De Lydis.*

E. Mercaturæ exercitium, cùm solo lucro fines suos metiatur, abjectos facit animos, odio habet bellorum dispendia, & vitiosum pacis desiderium ingenerat. Ex quo consequitur, urbes populosas artium manuariarum & mercimoniorum exercitio facile in officio contineri. Ha-

rum enim maxime interest, esse pacem, cujus beneficio negotia florent, vigentque: nec ullis carminibus aut incantamentis felicius populorum benevolentia conciliari potest, quam pace & ditescendi subministratis occasionibus. Itaque parum illi Reipub. suæ conversiones adnimadvertunt; modo mercaturæ suę utilitate & lucri dulcedine non priventur. *Forst in not. ad Tac.*

36 Voluptarium vitæ genus publice vel privatim susceptum, emollit viros, etiam eos qui prius strenui, hostibus formidolosi, ac militares fuerant. *Sic Lydi à Cyro imbelles effecti.*

E. Sic Arbaces Medorum præfectus Sardanapalum inter medios fœminarum greges libidinose lascivientem, de regia potestate dejecit.

Hannibalem armis invictum Campania luxuriæ suæ illecebris Romanis dedit vincendum, ita vitiis periit, qui armis invictus erat.

37 Supplicum ad se confugientium quibusque fides data est, Princeps vel Respub. summam rationem & curam habeat: imprimis autem ne contra fidem à se datam eos hostibus prodat curandum est. *De Pactia non reddita à Cumæis.*

E. Hinc cum Sigismundus Imp. fidem datam Iohanni Husso violasset, eumque impietatis damnatum exuri mandasset, ac postea innumerabiles Christianorum copias ad Nicopolin coegisset, ingenti clade accepta prostratus est, ut perspicuum esset decretum illud quod patribus in Concilio Constantiensi placuerat, Hæretico scilicet non esse servandam fidem, immortali Deo displicuisse. Bodin. lib. 5. c. ult.

Recte hinc Baudius in Orat. statutum Constantiense, quo decretum fuit, hæreticis non esse servandam fidem, everriculum est omnium malitiarum atque perfidiarum.

Iosua

Iosua Israelitarum dux fœdere cum Gabaonitis dæmonum cultoribus contracto, tametsi fraude circumventus esset, nec ulla jurisjurandi religione obligari potuisse cæteri Duces contenderent, nihilominus tamen fidem servari oportere decrevit. Ne inquit Dei præpotentis, quem fœderis testem appellavimus, iracundiam ciere videamur. Iosue 9.

38 Aggerum terrenorum in oppugnando & propugnando opido magnus est usus. *De Phocea capta.*

39 Crudelitas & inhumanitas in extraneos victos, & per nostras regiones fugientes, vindicatur à Deo. De *Agyllensibus morbo correptis.*

E. Tragicum exemplum inhumanitatis expertus est anno 1621. Comes Ioachimus Andreas Schlickius, hic è Bohemia fugiens in Voytlandiã venit, ubi à tribuno sub Elect. Sax. stipẽdiã merẽte interceptus, captivus Dresdã ductus est; locũ vero existimabat sibi asylũ futurũ, verũ falsus opinione sua, cẽtũ stipatus equis noctu Dresda educitur ad confinia Bohemiæ (Petersvvaldum dicitur pagus) ubi Cæsareanis traditus, Pragã deductus, ibique supplicium capitis perpessus est.

40 Magnum sibi ad victoriam momentum affert, qui fluvium, vel munimentum occupat, vel avertit, cui hostis fidit. *De Cyro Euphratem & Halym avertente.*

E. Sic Iunius in Batavia, Rhenum videtur natura sic duxisse, ut eo limite Romanæ provinciæ ab immanitate barbarica vindicarentur. Similiter D. Ambrosius ait Rhenum esse memorandum Romani imperii murum adversus feras gentes.

Carol. V. an. 1547. Albim occupãs fluviũ, facilem habuit victoriã cõtra Ioh. Frid. Elect. Sax. Thuan.

41 Bella

41 Bella non necessaria, & injusta infelices successus, & tragicos exitus habent. *De Cyro à Thomyri regina cum exercitu deleto.*

E. Sic cum Moses quidam in insula Creta Iudæos armata manu per mare in Palæstinam reducere conatus esset, & plurimi ex credula plebe in mari essent suffocati, Moses hic cum propterea ad necem quæreretur, nusquam fuit inventus. Creditum fuit diabolum humana specie Iudæis imponere voluisse. Socrates.

42 Præstat in hostili, quam in tuo solo & regno dimicare cum hoste. *Consilium Crœsi ad Cyrum.*

E. Themistocles Atheniensium Dux contra Medos extra Græciam exercitum duxit. Agis Spartanorum Rex unitus Arato Acheorum Duci contra Ætolos militans dicebat, non esse consultum ut Peloponnesum hostis intraret; tutius vero, hostem in sua terra invademus.

Annibal ex Africa in Italiam ibat oppugnaturus Romanos; Scipio ex Italia in Africam contra Carthaginenses. Ferdinandus Dux Calabriæ oppugnaturus Carolum Octavum Gallum regno exibat, quanquam infelici successu. Carolus V. consilio Andreæ Doriæ et Antonii de Leva in Franciam ibat contra Franciscum I. priusquam hic in Italiam venire poterat bellum facturus Cæsareanis.

Ratio non abest, 1. nam Princeps in suo territorio hostem exspectans, tenetur suis sumtibus alere exercitum, contra si egreditur, ex hoste et rapina miles nutritur. 2. Miles qui hostem in sua terra aggreditur, plus animi habet, quam qui se in sua domo oppressum inexspectato videt.

EX

EX LIBRO SECUNDO.

MAgnarum injuriarum à principibus illatarum magnæ ſolent eſſe à Deo ultiones. *De Troja capta.*

2 Adulteria Aulica deprehenſa etiam in regina ipſa & aliis Principibus graviſſime ad cæterorum exemplum puniri debent. *Exemplum Rampſiniti Ægyptiorum regis, qui uxorem ſuam cum aliis aulicis propterea cremavit.*

E. Raro alienarum uxorum attrectatio Principibus impunis tranſit. Florentius V. Holl. & Zeel. Comes volebat Gerardo Velſio, nobili Batavo in aula verſanti concubinam ſuam in uxorem obtrudere, quod ille abnuens, meretricem Principis ducere non convenire natalibus ſuis, nec honeſto animo reſpondit: at Princeps ſtultum eum eſſe ſubjicebat, qui tam probatæ pudicitiæ uxorem reperturum ſe putaret, quam non ipſe ad ſtuprum ſe pertracturum confideret. Cúque Velſius poſt uxorem duxiſſet, illa abſente forte marito à Principe priorum memore eſt ſtuprata. Ea injuria vehementiſſime pupugit animum Velſii. Ergo conjuratione inita cum propinquis uxoris ſuæ Florentium forte Vltrajecto in Hollandiam redeuntem non procul urbe exceptum, cum videret, vivum avehere & eripere perſequentibus non poſſe, educto gladio transverberat medium, & celeri fuga ſe proripit. Vb. Em. 12. hiſt. Friſ.

Fredericus, cognomento bellicoſus, in quo maſcula primorum Auſtriæ Ducum ſeries defecit, familiarius cum uxore Baronis Pottendorfii (quæ familia extincta, arce tamen hoc nomine ſtante) conſueverat, quam aut maritus volebat,

aut

aũt tanti Principis famam decebat: & Pottẽdorfius, cum Principem sæpius monuisset, ut desisteret, frustra fuerat; igitur hic dissimulato dolore, interjecto tẽpore, cũ Principem venantẽ comitaretur, fune ad id parato equo detractũ jugulavit. Videntur adhuc nõ procul Neapoli in Austria in agro, qui Vienna illuc eũtibus sinister est, duo fastigati lapides, pyramidũ instar, aliquo intervallo ab se invicẽ distantes, signũ spacii, per quod à Barone Princeps, ut ab Achille Hector tractus fuit. Ibi in Cænob. S. Crucis epitaphiũ Frid. illius visitur laqueis aut loris se implicantibus notabile.

Sic cum Pausanias dux Laconicus Byzantii, raptam puellam vi stuprasset, ac postea interfecisset, miro prodigio vox statuæ pœnam illi minata est, hoc versu:

Pœna luenda tibi est, adfert injuria clades.

Ac postea Byzantium rejecto Pausania, recepit Athenienses. Ipse vero quanquam res maximas gesserat, & Persicum exercitum deleverat, tamen fame coactus est mori.

3 Memoria principum, qui populum oppresserunt ac fatigarunt, quantumvis opulentum & ambitiosorum, subditis nihilominus execrabilis & infausta est. *De Cheope & Cephr. regib. Ægypti.*

E. Sic cum Maximinus crudelissimus Christianorum persecutor mortuus esset, imperialibus edictis tyrannus & Deo atque hominibus invisus fuisse à Licinio pronuntiatus est, tabulæq; ejus dejici & obliterari jussæ sunt, ita ut nomen ejus deletum sit de memoria hominum. Deinde filios ejus, quos jam ille imperii socios fecerat, ob artem magicam excruciari jussit. Quidam hos versus coram eo in theatro recitavit, significans eum crudelitatis pœnam daturum, quantum libet robore suo confideret.

Ele-

Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est & occiditur.
Tigris fortis est & occiditur
Cave multos, si singulos non times.

Similiter Romani Caligulam tyrannum è medio sustulerunt, qui dicere solebat se optare, ut omnes Romani unam cervicem haberent, quo unico ictu omnes conficerentur, tandem sensit sibi unam cervicem, populo plures manus esse. Xiphilinus in Caligula.

4 Inanes principum sumptus & ambitiosa eorum cœpta non modo subditos vexant & exhauriunt, sed ipsosmet adeo Principes ad inopiam tandem redigunt, & scelerata ad cogendas pecunias consilia capere cogunt. *De Cheope rege Ægypti, qui Pyramides ut exstrueret, filiam prostituit.*

E. Insania Neronis fuit, domum ædificare in qua haut perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem & luxu vulgata: quam arva & stagna, & in modum solitudinum hinc silvę, inde aperta spacia & prospectus.

5 Vbi nullus est militarium virorum ordo & cura, ibi nulli sunt Reipublicæ nervi, itaque ea Respub. facile evertitur. *De Sethone rege Ægypti militarem ordinem aspernante.*

E. Hoc eventus comprobavit in capto propugnaculo Santandreano, sito in insula Bommelensi, quod occupavit victoriosus Comes Mauritius Nassovius 8. Maij. Anno 1600. Vtpote in quo nullus ordo militum servabatur, sed milites tumultuantes suos Centuriones ex præsidio profligaverant.

6 Vix est ut nationes, Monarchis & Regibus parere solitæ, aliam Reipublicæ formam sequi &

& monarchis carere possint. *De Ægyptiis duodecim Reges eligentibus.*

7 Principum in proceres populo caros crudelitas facilem seditionis occasionem populo præbet. *De Aprye Rege Ægyptio; à quo Ægyptii defecerunt.*

E. Sic cum Albanus Anno 1568. 1. & 3. Iunii duos Barones de Batenborch cum viginti aliis nobilibus & primariis Belgii proceribus, & deinde Comites Egmondanum & Hornanum supplicio capitis Bruxellis affici mandasset, magnam subditorum defectionem, & occasionem sumendi arma contra Hispanos præbuit.

8 Militaris ordo quo sit honoratior in Republica, & ad pugnas mortemque pro patria paratior, privilegiis ornari & à vilibus artificiis abstinere solet. *De Hermotybiis Ægyptiorum.*

9 Etiam inter profanos qui sacris operarentur, aluntur publico sumptu: id est, & prædia & reditus publice assignatos habuerunt unde alerentur honeste. *De sacerdotibus Ægyptiorum.*

10 Ex ordinariis militibus custodes ac stipatores Principi dari satius est ad sublevandum publicum ærarium, quam extraordinarium illi præsidium magno sumptu constitui. *Mos Ægyptiorum.*

E. Principis Auraici custodia sunt ordinarii milites, qui in satellitium domi adsciti, foris vero ad oppugnandas urbes, hostesque profligandos exeunt cum Principe, fortunæ & virtutis reportantes niceteria.

11 Principi cavendum, ne majorum suorum fœditas, aut nota ignobilitas, eum in contemptum adducat. Itaque diligenti administratione, perpetua de regno cura, & in subditos beneficentia et æquitate, majorum suorum maculam

ab

ab eo clui necesse est. *De Amasi Rege Ægyptio.*

11 Quanquam Principem; uti reliquos mortales, à gravioribus curis animum remittere seque exhilarare fas est; tamen ne in scurrilitatem propterea incidat, illi cavendum est: aut ne eas animi relaxationes, ludos, et jocos palam omnibus, sed admissis tantum paucis iisque amicissimis faciat, et exerceat, ne sui contemptum pariat. *De Amasi propterea reprehenso.*

E. Nimia popularitate peccasse memorantur Iulianus Imperator (*Ammian. Marcel.* xxv.) et Henricus III. Galliæ Rex (*Thuan.*) At vero egregie majestatem humanissimis moribus, sed qui non temerarent tantum fastigium, temperavit Fridericus Daniæ Rex. Sæpius amicos, quasi seposita Regis persona ad sales et jocos, et in quæ liberior animus ruit, provocabat; monens, lascivirent secum, et jucunde ineptirent, dum Rex abesset. Postquam satis lusum fuerat, resumpta regia gravitate; Heus, amici, inquit, mittamus nugas: rex enim rediit. Non igitur Majestas humanitatem excludit. Illa populos in cultum suorum regum, hæc in amorem et benevolentiam advertit. Solet enim morum facilitas (*inquit Nicep. Gregoras 6. histor.*) in altiore dignitatis gradu facile omnium animos sibi reddere obnoxios: quemadmodum veris amænitas et flosculorum suavitas omnium oculos in se vertit. *Forst. in not. ad Tac.*

Sic aleæ lusum tanquam infamem vitare decet principes. Exemplo sit Chilon Lacedæmonius. Hic societatis jungendæ causa missus erat Corinthum, atque ibi Duces et seniores Populi invenit ludentes alea. Infecto itaque negotio reversus est, dicens se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus extructo Byzantio clarescebat; hac

hac maculare infamia, ut diceretur cum aleatoribus contraxisse societatem. Salisb. de nugis curialium. Vnde vere & scite cecinit Martialis.

Sunt etiam vetitæ, quibus alea luditur, artes,
Est hoc ad vestros non leve crimen aves.

Consonat & illud Iuvenalis poetæ:

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoq; eodem moves arma fritillo.

13 Demonstrent apud Magistratum tenues, tum cives, tum incolæ & peregrini, qua ratione victum sibi comparent: ne furtis & latrociniis abundet urbs, aut regio ea, ubi id negligitur. *Lex Amasis Regis Ægypti, & Solonis.*

E. Sic Hugo Marchio Brandeburgensis, vicarius Otthonis III. commendatur, quod hominibus asotis & ignavis adeo infensus fuerit, ut eos in judicium vocarit ad reddendam rationẽ otii & sumtuum. Vnde Florentiæ adhuc hodie servatur consuetudo ab ipso introducta, ut magistratus in ignavos & otiosos inquirat, atque ex iis percunctetur, unde sumtus faciãt, qui si innocentiam & rationem vitæ non probaverint, trahuntur ad supplicia, vel ex urbe ejiciuntur, ut Sabinus scriptum reliquit in vita Hugonis Marchionis Brandeburgensis.

Similiter Atheniensium urbs & sanctissimum consilium Areopagus, quid quisque Atheniensium ageret, & quonam quæstu sustentaretur, diligentissime inquirere solebat, ut homines honestatem sequerentur, memores sibi vitæ rerumque gestarum reddendam esse rationem. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

14 Extraneis apud nos mercimonia exercẽtib. & advenis inter nos versantib in sua lingua suoque ritu religionis suæ exercitium & formam habere liceat. *De Amasi hoc concedente Græcis.*

E. Sic

E. Sic Anglis mercatoribus liberum reformatæ religionis exercitium concessum est Emdæ, Hamburgi, Stadæ, Amsterodami, Middelburgi, Delphis, patria lingua, proprioque ritu.

Venetiis Græci & Asiatici populi suum habent liberum exercitium religionis; Dantisci Polonis non denegatur templum; Londini Italicas & Hispanas conciones nec non Gallicas & Belgicas audire possunt singuli suis linguis. Id quod non tenuem dat accretionem istis urbibus.

15 Extraneos mercatores, unius & ejusdem mercis, ad certam & eandem regni, vel Reipub. urbem accedere, quam per totam regionem libere vagari, satius est, ne pro mercatoribus fiant exploratores, & ut certus cuique merci extraneæ sit locus destinatus. *De Naucrate in Ægypto constituta ad eam rem.*

E. Sic jus stapulæ exercendæ in mercatura pannorum Anglicorum, in una urbe cujusque provinciæ tantum, puta Emda, Hamburgo, Stada, Middelburgo, Delphis, Anglis mercatoribus est indultum.

Si ullum extraneæ merci locum destinatum placet notare, accede Dantiscum, opulentissimum istud totius Europæ emporium, quod tibi granariis suis (locus est trans vistulam non nisi mercibus reponendis & avehendis destinatus) ostendet junctim una facie & vice quod alibi sparsim vel plane nullibi videbis.

EX LIBRO TERTIO.

POtentiori Principi denegatum à minori Principe conjugium, sive sui ipsius, sive eorum quos habet in potestate, extitit sæpe magnorum

gnorum

gnorum bellorum occasio causaque. *De Amase denegante filiam Cambysi Persarum Regi.*

E. Verum hoc, nam conjugum imparitas necessitate interdum defenditur. Habemus exempla apud Guicciard lib. 4. & 5. ubi Fredericus Rex Neapolis à prudentibus reprehenditur, quòd Alexandri Pontificis filio suam filiam uxorem dare noluerit. Contra laudatur Alfonsus tunc Ferrariæ Dux primogenitus, quod ducendo in uxorem Lucretiam Borgiam Pontificis filiam, principatum suum, ob ambitionem Cæsaris Borgiæ alias in manifesto periculo sibi servare scivit.

2 Ejus hostis, quem oppugnaturus es, vicinos tibi prius socios facias, vel concilies, maxime eos, è quorum regione commeatus tibi petendus est. *De Cambyse Arabum Regem sibi conciliante.*

E. Triennium est cum Ludovicus XIII. Galliæ Rex aggressurus statum Mediolanens. prius sibi, Mediolano confinem Principem Ducem Sabaudiæ faceret belli socium.

Itidem observavit tractando cum Vnitis Belgi statibus, ut sese jungerent oppugnaturo Hispanos in Brabantia; societatis hujus Thenæ & Lovanium memoriam habent.

3 Potentior princeps, qui armis victoriam persequitur, est etiam à populis victo populo vicinis deliniendus & conciliandus. *De Afris, & Barcæis Cambysem sibi conciliantibus.*

E. Non contra jus belli facerent Helvetii, si victoriosum Bernhardum Sax. Ducem suppetiis juvarent ut post debellatum Iohan. de VVerth in confinio Basileensi, gloriose victoriam contra reliquos commanipulares hostes prosequi posset.

4 Nemo

4 Nemo ex ingenti scelere perpetrato fit fortior, etsi obstinatior fieri nonnunquam potest, adempta sibi spe veniæ. *De Caribus crudeliter pro Psammenito Rege pugnantibus.*

5 Victi Principis constantia & magnanimitas in ipsa afflictione, victorem, ad misericordiam mitigationemque miseræ illius conditionis, præsertim magnanimum, sæpe commovet & impellit. *De Psammenito victo, & Cambyse victore eam experiente in filio & filia.*

E. Pro exemplo se sistit Ioh. Eredericus Elect. Sax. captus à Carolo V. Imper. cui religio orthodoxa magis cordi fuit quam vita; is nolens concilio Tridentino subscribere, constantia & magnitudine sua movit Carolum ut relicta ei libera religione è carcere liberum dimitteret.

Alexander Magnus Porum Indorum Regem debellatum interrogavit, quid ipse Imperatorem statuere debere censeret; Quod hic dies respondit tibi suadet, quo expertus es, quam caduca sit fortuna. Eoque plus profecit, quam si precatus esset: quippe magnitudinem animi ejus interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non modo misericordia, sed etiam honore excipere dignatus est. Ægrum curavit, non secus quam si pro ipso pugnasset, Confirmatum in amicorum numerum recepit. Mox donavit ampliore regno quam tenuit. Curt lib 8. in fine.

E. Novissimum exemplum suppeditat invicti animi nobilissimus eques Obentraut, qui militans ad Hanoveram Christiano IV. regi Daniæ saucius captusque ad hostem Tilly ductus, victorem movit magnanimitate, ut si quæ media vulneribus curandis, sanitatique restituendæ à Medicis exhiberi possent, nihil omiserit pro salute captivi. 1625.

6 Erga

14 Regis in Principes & pri
ros injuria, nisi verbis, vel don
eos à Rege cum tota ipsorum
lienat. *Assyrius Gobriam coegit*

1. Hanc artem optime calli
Galliarum Rex, quod culpam
nosceret, & beneficio illatam
saret. Cum enim aliquando ob
linguæ lapsus esset, & durior
vit culpam, & conversus ad
derat. Non me latet, inquit,
guam, sed & aliquando profu
quod illa peccavit, emendari
mul cum ad eum modum fa
donum dabat, non contemn
que ibi addit Cominæus, Est
Dei beneficium, agnoscere quo
beneficio aliquo novo injuria
cire.

Sic cum Capitaneus Marti
magna pro hoste pericula sub
ma beneficia præstitisset, in vi
denbergensis, in occupatione Br
gi, & nulla pro benefactis suis p
set, imo Dominus de Haute
tione ducatus Geldriæ ei præp
hoste spretus & contemtus esse
dinibus Belgii se adjunxit, mag
tia damna hosti inflixit.

Ophemium, virum è no-
lantinopolim ablegaverat:
alicuius fœderis, quod post
æ cladem cum Magno Im-
revera ut intestinæ dissen-
laborabant Christiani, & la-
uculentum tyrannum Tur-
Proposuerant, inquam,
& sapienter: sed propo-
res tangebat, plures ne-
sque onus grave, arduum,
eris suis depellere contende-
la potissimum disquireret;
, & publicæ fortunæ dede-
epit. *Marselaer. lib. 2. de leg.*

lum & regionem antequam
das, notam vel per te ipsum
tores habeto. *Ibidem.*

est rebus omnibus non prius
ratis) suscepta, tristes exitus
De Cambyse temere exercitum
monios ducente.

gniter pietatem etiam pro-
os principes merito demen-
n redactos fuisse. *De Cambyse*
violatum templum Vulcani,
latos.

et licet Principi; Lex quidem
udicum, verum perniciosissi-
Herodoto quasi per adulatio-
cta & commenta.

yses de sorore sua ducenda ex
respondent illi, se nullam le-
xpresse hoc concedat, sed a-
misse, quod liceat Persarum

K Regi-

6 Erga cognatos populos, quamvis loco à nobis dissitos, benevolentia & jus sanguinis valere perpetuo debet. *De Phœnicibus recusantibus se ituros adversus Carthaginenses.*

E. Austriaca domus jure sanguinis maxime sibi invicem est obligata, ita ut etiamsi pars sit in Hispania, pars in Belgio, pars in Austria, nihilominus sese ament adeo ut etiam integra regna absentes & loco dissiti sibi invicem trans scribant; ut videmus in Alberto, qui successionem in regno Bohemiæ Ferdinando obtulit, contentus regimine suo Belgico. Hoc pacto Austria hæc gens per mutuam benevolentiam & jus sanguinis tantas hereditates ad se traxit, & per adventitia incrementa in hoc culmen crevit. Notent sapientiores Principum domus.

7 Sub specie munerum mittendorum maxime regni alieni explorationes fiunt *De Cambyse sic explorante res Æthiopum.*

E. Proavorum nostrorum memoria, cum Turcarum Imperator, regionem religionemque omnem Christianorum avida spe devorasset, & omnibus immane Europæis jugum minitaretur; sola concordia vinculum adversus externi hostis potentiam firmissimum videbatur Christiani orbis Principibus, quos patriæ communis sensus & amor affecerat; ne obliti tesseræ qua conglutinati & cognominati essent, mutuis morsibus viverent, more immitium ferarum; at resipiscerent, ó tandem, & in communem hostem ferrum & flammam concordi manu converterent.

Eo igitur consilio Dux Burgundiæ *Philippus*, cognomente *Bonus*, virtutum excellentia Princeps optimus, quasi Vrbem Sanctam visurus, oculatam illam redemptionis nostræ testem ut

viam

viam sibi sterneret, G. Ophemium, virum è nobilitate Belgica, Constantinopolim ablegaverat: prætextu simul firmi alicuius fœderis, quod post multam Transilvaniæ cladem cum Magno Imperatore coiret: at revera ut intestinæ dissensionis malum, quo laborabant Christiani, & laborant modo, in truculentum tyrannum Turcicum converteret. Proposuerant, inquam, sic Principes, pie & sapienter: sed proposuerant. Quod plures tangebat, plures neglexere: & dum quisque onus grave, arduum, commune, ab humeris suis depellere contenderet, futilia & frivola potissimum disquireret; omnino nihil actum, & publicæ fortunæ dedecus incrementum cepit. *Marselaer. lib. 2. de leg. dissert xi*

8 Alienum populum & regionem antequam aggrediaris aut invadas, notam vel per te ipsum vel per fidos exploratores habeto. *Ibidem.*

9 Bella temere (id est rebus omnibus non prius recte prospectis & paratis) suscepta, tristes exitus habent & infelices. *De Cambyse temere exercitum in Æthiopes & Ammonios ducente.*

10 Ob læsam insigniter pietatem etiam profani ipsi scribunt suos principes merito dementatos, & ad insaniam redactos fuisse. *De Cambyse post occisum Apim, violatum templum Vulcani, Deos Cabirorum violatos.*

11 Quicquid libet licet Principi; Lex quidem & vox Persarum judicum, verum perniciosissima. D*amnatur ab Herodoto quasi per adulationem & metum conficta & commenta.*

E. Cum Cambyses de sorore sua ducenda ex ICtis sciscitaretur, respondent illi, se nullam legem habere, quæ expresse hoc concedat, sed aliam se legem invenisse, quod liceat Persarum

Regi facere, quicquid velit: Valet enim apud illos hoc Regum effatum. Quod Principi placuit, legis habet vigorem, Item, Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Sed hæc non Regum sed Tyrannorum vox est & sententia.

12 Ira Principis crudelis & temeraria, odium illi subditorum irreconciliabile parit. *De Cambyse occidente 12. Persas & filium Prexaspis.*

E. Vnitæ provinciæ Belgicæ, à Philippo Rege Hispaniarum propter immanem illius crudelitatem & tyrannidem desciverunt, illumque hostem patriæ declararunt.

Crudelis commodus Imper. Romanus Pop. Romanum ludos in circo spectantem uno & eodem momento occidi jubens, omnes ad cædem destinatos, tabulis conscripserat, quas cum Martia concubina casu reperisset, seque eo nomine comprehensam intelligeret, tyrannum occidi curavit.

Henricus Rex Suecorum civis cujusdam rogatione contumeliose repudiata, crudelissime eum occidi jubens regno exutus est, substituto fratre juniore, & populo ut sceptra capesseret.

13 Magnatum vel plures, vel adeo unus qui inter eos potentior est, à principe temere læsus ac irritatus, facile cæteros ad conspirandum impellit. *De Prexaspe læso à Cambyse: de Smerdi occiso ab eodem Cambyse.*

E. Exemplum experientiæ est Franciscus I. Galliæ Rex, qui obstinato animo, ut perderet Genuam, cujus ut & totius Liguriæ tunc temporis erat Dominus, Savonam extollere voluit & à Genuensibus abalienare, transferendo eo Salis mercaturam. Genuenses supplicando nihil à Rege obtinentes, confugiunt ad Andream

Doriam

Doriam Thalassiarchum regium, qui pro patria & civibus regem monens & persuadere volens, ne deprimendo Genuam, Savonamque elevando, utramque perdat, non fuit benigne auditus: imo rex missis Genuam triremibus illum inde captivum abduci jussit. Doria pervenit fuga, abdicans se à rege, iterfecit ad Carolum V. Imperator. in Hispaniam, qui inde Genuam adductus rempublicam in libertatem posuit, repudiato Francisco Gall. rege, qui sero sapere didicit, temere offendere potentiorem in republica, & eo ipso rempub. perdere.

14 Iracundo principi consilium vix, ac ne vix quidem, tuto dari potest. *De Cambyse irascente in Crœsum.*

E. Demonax, sciscitanti cuidam, cui Imper. ingentem exercitum commiserat, quomodo posset delegatam provinciam quam optime gerere. Si, inquit, ira vacaris, & quam minimum loquens, plura audieris. Athenodorus philosophus valedicens AVGVSTO Imperat. hæc verba protulit, Cum irasceris, AVGVSTE, nihil ante dixeris vel feceris, quam prius tecum Alphabetum Græcum seu viginti quatuor orationis elementa repetieris. Plutarch. in Apophth. Itaque imitandi sunt PYTHAGORÆI, qui si quando per iracundiam ad maledicta prorupissent, ante Solis occasum datis dexteris, & salutatione facta, gratiam redintegrabant. Plutarch. de fraterno amore. Aristoteles Alexandrum Magnum Macedoniæ Regem excandescentem ira, placare & sedare volens, hæc ad eum scripsit, Excandescentia & ira non in pares, sed meliores exerceri & existere solet, tibi vero nemo par est. Ælian l. 12. histor.

15 Stolidissimus est, minimeque prudenter

suę auctoritati consulit is princeps, aut Resp. quæ leges ipsa suas irridet & manifestissime aspernatur: cæteris enim ad idem faciendum præbet viam & exemplum. De *Cambyse leges suas irridente.*

E. Solon Areopagitas legum custodes statuam auream sui ponderis dependere voluit, si leges violassent.

Recte Empedocles Agrigentinus dixit; Cives non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro mœnibus.

16 Mos sive bonus, sive malus, si modo jã receptus, usuq; validus, Rex est, & bonis consiliis capiẽdis, & cœptis perficiendis obstat, quũ quid aggredimur illis moribus cõtrariũ. Itaq; boni mores mature inolescãt, & desuescant mali. *Herodotus ex Pindaro.*

E. Habemus leges hodie punientes fures & homicidas, sed nõ luxuriosos, voluptuarios, heluones, rabulas, ebriosos, qui sua dissoluta vita scandalũ dãt reip. nihilque sibi acquirũt quã extreme miserã vitã, nihilq; reip. relinquũt quã depravatos mores nũquã in politia tolerandos. Rom. distinguebãt crimina & vitia, furi pœnã corporis, luxurioso pœnã ignominię cũ pudore imponentes. Gentiles erant, habebantque suos censores, sed nos, qui Christiani sumus, superant severitate morum, & civilitate.

17 Tyrãnorũ est, fratres suos, qui ad partẽ regni sũt admittẽdi, vi, aut veneno tollere. *De Polycrat.*

E. Hic mos observatur truculẽta facie à Turcis. At vero nec suaserim bono Principi, ut fratrem vel insigni aliqua injuria eat oppressũ, ne idẽ experiri habeat cum Petro Castel. rege, cui regnum & vitam ademit frater Henricus ob injuriam à fratre acceptam.

18 Magis gratificatur is, qui ea, quę nobis abstulit,

lit, benigne reddit; quam qui nihil abstulit, ac propterea nihil reddit. *Polycratis γνώμη.*

19 Sūmis negatū stare diu. Itaque regna & resp. quibus res ex animi voto succedunt, diu sic felices perstare nō possunt: sed vel à Deo propter abusū felicitatis immediate summis calamitatibus vel ab hominib. magnis bellis, sive ex invidia, sive ex metu statim affliguntur. *De Polycrat. regno.*

E. Lips. lib. 2. monit. Polit. c. 14. Iam & fati alia genera miseranda *Polycratem* in cruce mori video, *Bajazetem* in cavea. *Dionysium* in schola, *Boleslaum* Poloniæ Regem in culina. Quid *Antiochum* Syriæ Regem nonne à latronibus occisum? *Pyrrhum* à fœmina, *Henricum* nuper Galliæ Regem à Monacho?

Addiderim *Vnionem Germanorum Principum*, propter abusum felicium successuum quæ vix decennium perstitit.

Addamus exemplum Romanum. *Carolus Caraffa* à Paulo IV. Pontifice designatus Cardinalis fuit: ejus frater Ioan. Montorii comes, & dux Paliani factus. Omnia isti apud Pontif. quæ vellent, poterāt: & plus quā æquū decorūque erat, volebāt. Mansit aura secunda, quamdiu sidus illud luxit: post ejus occasum PIVS IV. in pontificatum assumtus, idque opera & gratia (notabile est) Caraffarū maxime. Sed iste inter primas fere public. actiones habuit Caraffas evertere: fecitque initiū 6. Eid. Iun. ipso die, quo Carol. pilei honore donatus fuerat, in carcerem eo conjecto. Additus dux Paliani, frater, Comes Allif. aliiq; propinqui eorū aut cliētes. Novē mēses in arce S. Angeli habiti, non nisi crimina & mortes audierūt, et hāc denique sentētia Pontificia subierūt. Card. nocte, carnificis manu strangulatus, dux capite truncatus, una cum Allifano Comite, & cadavera in publi-

publicum spectaculum exposita. An non hi vilium reorum ignominia perierunt, qui dignitate culmina ante fuerant Romæ?

20 Miseriis & publicis cladibus, vel perseverantibus vel crescentibus, est inutilis, imo stolida in proposito priori resistendi pertinacia. *Filia Periandri.*

E. Quæ non ferocia hoc sæculo nostro Germaniæ Principes occupat, ut potius quam minima injuriæ macula existimationem suam inuri patiantur, vitam fortunasque suas & omnem suam familiam in extremum conjicere periculum non dubitent?

21 Suppositii Principes & nothi, & falsi, æque atque legitimi & veri, populum sæpe trahunt ad se, pro Principibus habentur, & difficile deteguntur, ac de sede semel occupata dejiciuntur. Ac proinde absente vel mortuo Principe, alius qui se eum esse jactet, non temere admittendus, sed prius bene explorandus. *De Smerdi Mago, & Otane eum per filium explorante.*

E. Fuit in Macedonia ANDRISCVS quidam, homo ultimæ sortis, diurna mercede vitam tolerare solitus: qui Philippum se subito, Persei regis filium dixit. Et oris similitudo ad avum inclinabat. Ipse dixit, alii credunt aut credere simulant: Macedones et Thraces maximel, tædio Romani Imperii, quod novitate et asperitate displicebat. Itaque ingentes mox copiæ, et Prętorem Romanum fudit: donec à Metello idem victus, et in catenis Romam ductus triumphatusque est.

In Germania exstitit PSEVDO FREDERICVS, tempore *Rudolfi Habspurgensis* Imp. qui verum se *Fredericum* diceret, mortuũ ante plures annos. Obsidebat tum Rudolfus Colmariam:

riam: ſed haut vane territus, quod impoſtor ille in Germania inferiore, magnas ſibi vires, nobiles, urbeſque adjungeret; ſoluta obſidione, Rheno prono deſcendit, et quaſi veneraturus veterem Auguſtum acceſſit. Sed ejus compos, interrogatum quis, unde, quare ſic eſſet, igne in opido VVitzlaria combuſſit.

Anno 1601. inſignis quidam impoſtor, qui ſeſe Sebaſtianum Portugalliæ regem eſſe dicebat, qui anno 1578, à copiis Abdelmelecci Regis Feſſani in Africa fuſus fuerat, ad triremes damnatus eſt. Fingebat vero tanto artificio Sebaſtianum, ut multi Portugallenſes eum ipſum eſſe crederent.

22 Novo Principi magnam ſubditorum benevolentiam conciliat liberalitas in eos, tributorum remiſſio, onerum imminutio, privilegiorum conceſſio. *De Smerdi Mago hæc concedente.*

E. Marcus Aurelius Imper. dicere ſolebat, Oportet Principem qui bene vult imperare, hæc memoria tenere: Ne nimium ſit avarus in exigendis tributis; neve ſuperbus ſit in promulgandis edictis, non ingratus erga ſervitia præſtantes, denique aures non obturet ad preces pauperum.

23 Conjurationes in tyrannos primum paucis communicandæ, et quamprimum exequendæ. D*arii ſententia ad ſex Perſarum principes.*

E. Illuſtris hiſtoria de Medicæorum origine refert, Alexandrum Medic. I. Florentiæ Ducem, natum matre Mauritana, id tyrannidis faſtigium conſcendiſſe, ut inimicus patriæ factus ſit: eapropter Laurentius Medices conjurationem cum ſervo Scoroconcolo contra illum nulli detexit, sed inter ſeſe communicato conſilio nocte media tyrannum aggreſſi vita exemerunt.

24 Magnæ publicæque utilitatis gratia, licere Principi mendacium dicere, putant homines profani: *uti Darius hic: & in libro de Repub. Plato. Christiani vero negant, & merito.*

E Nam mendacium dicere est vitium servile. Igitur princeps qui promissorum datorũ immemor contraria facit, servilem assumit naturam. Hinc Sapiens Prov. 17, 7, dicit, labium mendacii non convenit Principi. Contra Menno Thessalus ad ea quæ vellet efficienda viã maxime compẽdiariã arbitrabatur, pejerare, mentiri, fallere. Simplicitatẽ & cãdorẽ pro stupore habebat. perjuros injustos, sui similes, ut iisdem artibus munitos verebatur: justos bonosque contemnebat.

Persarum & Medorum lege cavetur, ut si quis ter mendacio abusus fuisset, illi per omnem vitam silentium indiceretur, nulloque magistratu aut honore dignus haberetur. Artarxerxes adeo mendacium aversatus fuit, ut mendacis hominis linguam triplici clavo affigi jusserit. Augustinus in epistol. ait: Mentiri non licet, ne quidem pro Dei laude.

Iesuitæ monachi hodie persuadent summis Capitibus, licere fidem datam fallere, & contra scripta contra juramenta agere.

25 Simulare tamen & dissimulare, item tacere quædam, publicæ utilitatis causa, licet principi & privatis. *Ex utrorumque, id est Christianorum, & profanorum sententia.*

E. Ludovicus XI. Rex Galliæ, filium suum regem Carolum VIII. noluit plus Latini sermonis discere, quã V. hæc verba: *Qui nescit simulare, nescit regnare.* Guicciard. in hist. Italica refert de Alexandri VI. Pontificis, & filii ejus Cæsaris Borgiæ simulatione hoc proverbium fuisse usurpatum in curia Romana: Pontificem nunquam dicere

cere quod faceret, Cæsarem vero Borgiam nunquam facere quod diceret.

Lipsius in epist. scribit de denato Rege M. Britanniæ Iacobo: Illud bonis auctoribus habeo, IACOBVM, Regem Britanniæ summum esse artificem simulandi & dissimulandi, si quisquam unquam fuit.

26 Suspicio de illegitimo Imperio, vel Imperatore quamprimum de populi animo tollenda, ne rebelliones aut conjurationes statim sequantur in suspectum. *De Magis Prexaspem sibi conciliantibus.*

27 Ad tyrannorũ arces & præsidia occupãda, & penetrãda, prodest unũ quépiã ex illorũ familiarib. vel in conjuratione esse, vel saltẽ iter & viã ad tyrannum patefacere, ac primum præsidio & custodibus occurrere. *De septem Persis in Smerdis Magi cubiculum ingredientibus.*

E. Turcæ nunquam arma sumunt contra aliquem è sanguine Ottomannico, nisi aliquem ex eadem familia prius habeant exercitus sui Ducẽ.

28 Monarchiam tria maxime reddunt hominibus odiosam: Ingenita omnibus cupido libertatis & juris cum cæteris civibus æqualis: Ipsa monarchiæ potentia, cui facile invident alii: Ipsorum denique Monarcharum ex præsentibus bonis insolentia in alios, & præsertim subditos. *In oratione Ottanis contra Monarchiam.*

29 Ex omnibus Reip. formis etiam bonis optima est Monarchia. *Darii sententia.*

E. Dio lib. 44. Equidem Populi in Republic. principatus speciosum nomen habetur, videturque ex legum æqualitate non plus uniquam alteri tribuere, verum reipsa comprobatur, nihil ei cum sua appellatione convenire. Contra

monarchiæ nomen auditu difficile, penes unum tamen summam Reipub. esse conducibile omnium maxime est. Facilius enim unus quispiam vir bonus, quam multi, reperitur, quando probos multos esse consentaneum non est. Ac si quis etiam vitiosus solus imperium teneat, tamen pluribus sui similibus anteferendus venit. Cujus rei fidem facere possunt res gestæ Græcorum & Romanorum. Nam & præstantiora longe & plura sub Regibus, quam sub populari imperio, urbes ac privati cives beneficia adepti fuere, & adversa minus in dominatum unius, quam in plebeia cadunt imperia.

Accommodate præstantissimus Græcorum poeta cecinit. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω. Multos imperitate malum, Rex unicus esto.

30 In paucorum etiam bonorum imperio sunt omnia plena simultatibus & odiis mutuis: unde cædes & seditiones.

31 In populi imperio mali dominantur, & rerum imperiti judicant; unde magna rerum confusio & perturbatio sequatur necesse est. *Darii sententia.*

32 Ex tribus bonis Reipub. formis pessima est Democratia. *Megabysi oratio.*

33 Regna raro justa ratione, id est absque fraude vel vi aperta, vel conjunctim absque utraque homines novi primum consequuntur, tanta est regnandi libido. *De modo quo factus est Darius rex Persarum.*

E. Sigismundus Imperator non inconvenienter dixit; Mirum esse, cur omnes recusent exercere artes, quas non didicerunt, cur imperare nemo recuset, quæ ars sit omnium difficillima. Regnum Bohemiæ vi aperta invasum, Austriaci sibi

ſibi acquiſiverunt. Adolphus Egmondanus, qui patrem Arnoldum Geldriæ Ducem, carceri tætro incluſum ſex annos detinuit, ut ipſe imperaret, inquiens: quid malum? pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit. Æquum eſt, ut noſtræ quoque jam vices ſint: nec aliud admiſero, quam de penſione trium millium, ſic quoque ut pater tota Geldria cedat, atque adeo excedat, nec unquam pedem ineam referat. At miſer juvenis Gandavenſibus militans, interficitur in obſidione à Tornacenſibus.

34 Ad conſervandam procerum ejuſdem Reipublicæ concordiam inter ſe, operæprecium eſt, ut alii mutuo in aliorum familiis etiam ex edicto publico conjugia quærant. *Lex inter ſex primos principes Perſidis.*

E. Venetorum ſtatuta, quæ CIↃ CC. jam annos florentem Rempub. in libertate conſervant, nulla inter patricios & plebejas matrimoniorum commercia concedunt, niſi forte ampla dos natalium vilitati ſubveniat. Hinc cum antiquo patrum decreto, patriciæ dos mille ſexcentis aureis definita ſit, plebeam ſi Nobili jungatur bis mille conferre neceſſe eſt. Accedit alia ratio, ne ariſtocraticum illud imperium plebeis affinitatum vinculis mutetur in democraticum: Et ne promiſcua ſanguinis confuſio mores quoque confundat.

35 In Regnis vel Repuſpublicis bene conſtitutis debet eſſe certum & ordinum ſententia conſtitutum tributum, non autem arbitrarium, quod ab unaquaque illius regni provincia Rex vel Reſpublica exigat, ut lubentius ſolvatur, ſitque certior redituum publicorum ratio. *Darii de eare conſtitutio.*

36 Moderatum autem eſſe debet pro cujuſque

regionis opibus vel egestate, ut populus tondeatur, non deglubatur.

E. Tiberius inauditæ alioqui crudelitatis tyrannus Ægypti præfectum acerbe increpabat, quod graviora tributa, quam jussus erat, exegisset: Tonderi meas oves inquit, non deglubi volo. & Alexander Magnus dicere solebat, se eos holitores odisse, qui radicitus stirpes exscinderent. Pessime audiverunt Romani magistratus, quod Iulio Cæsare interfecto cum arma sumta pro libertate essent, singuli cives vigesimam quintam omnium bonorum partem dependere jussi sint, & hoc amplius Senatorii ordinis omnes in singulas suarum ædium tegulas, sex asses. Octavius Augustus Cæsar ratione sui nominis habita, octavam omnium bonorum partem à libertis tributi nomine exegit & accepit. Lipſ. lib. 2. de constant cap. 23. Dio refert, Tiberio Imperatori roganti, quare Illyrii ab imperio suo defecissent, recte responsum esse: Quia ad subditos vestros, non canes, aut pastores, sed lupos mittitis. Prudenter Imperat. Tiberius dicere solitus est, adulterinum esse aurum quod ex subditorum lachrymis provenit, quod subditi exhausti injustis exactionibus lachrymantes pendere coguntur. De Eduardo Angliæ rege Pol. Virgil. in hist. Angli. refert, cum ingentem auri vim ex tributis redactam ad se afferri jussisset, vidisse malum dæmonem fœdissima specie pecuniis insidentem: eoque spectaculo territum pium regem præcepisse, suum cuique reddi. Vere enim contra naturæ rationem inhumanitate ista, ne quid sinistrius dixerim, peccatur: nec absunt aliquando pœnæ ab exactoribus. In Gallia Carolo VI. rege, rerum venalium vicesima indicta erat.

id onus urbes detrectabant, contra regii ministri nitebantur. Cum igitur Parisiis in foro olitorio fœmina quædam nasturtium vænum exposuisset, coactor regius obulum postulat; muliercula ad astantium virorum auxilium provocat: concursu facto exactor à turba oppressus, obtritusque est. Inermis plebs ad ædes publicas impetu fertur, dejectis foribus arma telaque corripiunt: exactores, redemptoresque quoscunque urbem pervagati deprehendere poterant, plumbeis malleis confecerunt. (*P. Æmil. IX.*)

37 Thesaurus publicus, quodque in eo aurum & argentum ad publicas necessitates reservari debet, melius in fidelias, vel laminas contusum, aut conditum, aut liquefactum asservatur, quam in moneta jam cusa: nam tunc minus facile patet furibus, vel expenditur. *Ea fuit ratio asservandi regii thesauri in Perside.*

38 Limitaneæ Regni, ulli Reip. regiones non sunt tam gravi tributo quã meditullianæ, onerãdæ, quãtũvis opulẽtæ, ne fatigatæ rebellẽt & desciscãt. *De iis populis quos etiã Darius minime tributarios fecit, quoniam erant limitanei, uti Colchi & Æthiopes.*

E. Gotricus Daniæ Rex. (Gothofredum Germani & Itali vocant) cum Frisios oppressa libertate, fortunis cunctis ablatis in turpem miseramque fortunã adegisset, tributum quoque annuũ injunxit: quod maxime fecit, ut servitus illa diuturna non esset. Ædificium, cujus longitudo erat CCXL. pedum, XII. paribus spaciis maceria diremptis distinctum struxit, ad cujus caput quæstor cum tributum pendendum erat, considere jussus est. Ad finem vero clypeus concavus ex ære locatus, in quem singuli Frisiorum tributum solu-

soluturi numum conjiciebant: cujus cadentis sonum si quæstor ex longo intervallo exaudiret, in solutum cedebat, sin minus; regio quidem fisco ille accrescebat, sed qui jecerat alium atque alium majoris ponderis eodem conjicere cogebatur, donec tinnitus quæstoris aures feriret. Addunt alii, auri & argenti usu omni in corporis cultu vetito ad vimineos torques, similiaque servitutis extremæ argumenta eos lata lege redegisse; præfectum dedisse, qui in servili obsequio & operis miseros detineret; ostium in ædibus ad Septentrionem unum habere jussisse, humilius quam pro statura corporum: cum, ut jugum quotidie turpiter subire, tum ut exituri inflexo toto corpore regem Danum serviliter venerari viderentur. Quis ex novæ sapientiæ Doctoribus non diceret, bene provisum ne animos tollerent Frisii, omnia ad infringendos spiritus instituta erant. Sed iidem erectis talibus injuriis ad libertaté animis, cũ arma raptim undiquaq; collegissent, Danorum pręsidia passim oppresserunt, aut finibus suis eiecerunt *(Vbb. Emm. V. histor. Fris.)*

39 Cavendum bene constitutæ Reip. ne propter beneficia in publicum à se collata quisquam scelerum impunitatem consequatur, aut habeat. *De Intapherne qui à Dario punitus est.*

40 Ambitio, auri cupido, vel Venerea libido sæpe impellunt principes, ut extra sui territorii fines periculosas insidiosasque ad alios tanquam amicos, verum hostes & insidiatores, profectiones temere inconsulteque suscipiant. *De Polycrate proficiscente ad Oræten.*

E. Cleopatra modum neque rei Venereæ, neque avaritiæ statuere noverat, multa per ambitionem prodigalitate, multa etiam superbia utens, regnum Ægyptium amore paraverat, ac eadem

eadem arte Romanum quoque adipisci intendens, & hoc non est consecuta, & suum insuper perdidit: cumque duos viros Romanorum suo tempore maximos sub se redegisset, propter tertium necem sibi ipsa conscivit. Dio lib. 51.

CHAN Tartatorum princeps, cum Stephanus rex Poloniæ obiisset, in comitiis de Rege creando ipse quoq; per legatos intervenit, (proponens ista) potentem se esse, & posse myriadas aliquot equitum ducere è suis terris, Poloniæ tuendæ vel augendæ. Item frugalem se ac continentem esse, sine ullis ciborum deliciis sola carne equina in fame contentum. Tertio quod ad religionem, de qua disputari audiebat, Tuus inquit, Pontifex, meus Pontifex esto; Tuus Lutherus meus Lutherus esto.

Si risu excepta Legatio fuerit, nemo quærat, effuso max. & ecce hominē paratū omnia sacra & deos deserere regnādi causa. *Lip. l 2. mon. pol. c. 5.*

41 A novo Principe et nondum satis confirmato nihil in quempiam è Proceribus gratiosum populo, aut potentiorem quantumvis meritum, vi aperta adhuc tentandum est acerbius, sed multa ad tempus illi sunt condonanda. *Darius parcens ad tempus Orœti.*

42 Princeps, qui nascenti vel crescēti imp. nihil addit, pro ignavo habetur. A*ttos. uxoris Dar. vox.*

43 Legati exterarum regionum ubique sacrosancti esse debent et inviolabiles. *De Persis ab Aristophilide dimißis.*

E. Perfide Philippus II. Hispaniæ Rex Florentium Mommorancium, Dominum de Montigny, fratrem Comitis Hornani legatum ab Ordinibus Belgii ad se missum capite truncari jusset, et Marchionem de Bergis similiter legationis officio fungentem, veneno tolli.

Ani-

Animo generoso quodnam vulnus gravius ignominia? Legati Davidis ab Ammone ludibrio habiti, & ut per summã contumeliam remitterétur, medium cujusq; mentum nudatum est barba, vestes accisæ usque ad nates. At vindice Deo, hostes victi, in manus Davidis venerunt, urbs Rabba, caput gentis, capta, furori militum relicta est. *In lib. Regum.* Helena Russorum regina à Prutenorum præside victa, carceris & tributorum contumeliam sustinuit, illa vindictam quærens, legatos à præside missos, ut amicitiam fœdusque æternum per nuptias offerrent, vivos & valentes omnes sepulchro condidit, utque diutius morerentur, inedia confecit. Hoc flagitio nondum divulgato ipsa respondit, priores quidem apud se hospites adhuc hæsuros, velle tamé se per plures potentioresque super re tanti ponderis conveniri. Dumque eo quinquaginta insuper illustres viri advenissent, omnes clam cremari jussit. Hæ erant scilicet faces nuptiales. Mox firmatis sponsalibus, matrimonioque decreto, eorumdem hostium quinque millia pronubis velut eduliis in tristissimam hilaritatem pellexit, & vino occupatos immeritæ neci dedit. Monita vero à proceribus regni, non mollior sed insanior facta mulier; agere, inquit, juvat, quæ nemo hactenus egit: exemplum dabo, non accipiam. misera facta, miserum non puto mori, modo prius insigni ultione animum satiarim. Ego non consilio vestro, sed meo facinore evadam. Helena cum Helena consultatura est. Protinusque sine morbo, ut quasi esset quædam in vindicta loetitia, in fœdam cloacam insiliens, seipsam suffocavit.

44 Intempestiva libertatis affectatio, aut in tyrannidem nondum prorsus sublatam contumeliá,

melia, & libertati recuperandæ & tyrannidi reliquæ tollendæ obſtant. *De Meandrio offenſo à Samio Teleſarcho,*

45 Tyrannus ab hoſte præſertim extraneo impetitus ab omnibus ſuis & quidem ſtatim deſeri ſolet. *De Lycareto deſerto à ſuis.*

46 Qui novo armiſque recens conquiſito imperio potitur, facile tum ipſe quavis injuria in victos propter ſuſpicionem rebellionis irritatur; tum illi quoque recens ſubacti populi in eum, ſi qua datur occaſio, conſpirant, ut eum ejiciant. Itaque utrique & modeſtiſſime & ex pactis legibus ſeſe gerere debent. *De Olane Perſa irritato à Samiis.*

47 Transfugis non temere credendum, aut quidquam in bello committendum, etiam fidem juſtæ ſuæ ex partibus fugæ facientibus, & ſeſe ſtrenuos adverſus partes deſertas præſtantibus. *De Babyloniis proditis à Zopyro.*

E. Hujus rei exemplum accidit in Hiſpanis Sichemi in Brabantia tumultuantibus, & ad Ordines fœderatos ſe deficere velle ſimulantibus, ſed non temere illis fides eſt habita.

48 Maximum ad res hoſtium prodendas & perdendas ſtrategema eſt, ſi quempiam honoratum è noſtris ducibus apud hoſtem illi gratioſum habeamus fidum nobis & transfugam, qui nobiſcum colludens ſerio agere tamen credatur, quive vel toti exercitui, vel alicui hoſtilium copiarum parti, vel præſidio præficiatur. *De Zopyro transfugam ſe à Dario ſimulante.*

EX LIBRO QVARTO.

Longior Principum à ſuis regnis abſentia, eorum inter ſubditos oblivionem & contéptum

parit

parit, aut difficiles ad pristinam auctoritatem recuperandam aditus præbet. *De Scythis per 28. annos absentibus.*

E. Philippus II. Rex Hispaniæ, ex formula juramenti quolibet septennio tenebatur Belgii provincias invisere, querelas & preces subditorum cognoscere & audire, iisque remedium adferre, sed tamen cum nunquam id quoad imperio Belgicarum provinciarum præfuit, re ipsa præstiterit hoc nomine summum odium, invidiam, & contemtum sibi apud subditos conciliavit.

2 In bello injuste suscepto sæpe terrores Panici à Deo immittuntur, quibus perculsus exercitus fugit absque manifesta tamen causa. *De Scytharum servis fugientibus.*

E. Perusiæ olim duæ factiones erant in Oddos & Balionos divisæ; hi superiores, illi exules. Sed cum (quæ civilium dissensionum vicissitudo est) una nocte quorumdam conjuratione Oddi in urbem recepti essent, & in ipsorum manu esse victoria videretur; una vox eam illis eripuit. Obtinebat illorum temporum mos, ut publicæ civitatum viæ catenis noctu clauderentur. Præmiserant igitur exules quendam è suis, qui clava ferrea obices claustraque perfringeret. Qui cum insequentium seseque mutuo prementium impetum non ferret, & multitudine pene obrueretur, ut retrocederent exclamavit. Vox ista cum ad proximos initio, inde ad extremum quoque agmen pervenisset, ita omnium animos fregit, ut ab hostibus pelli primos rati, seque ad fugiendum moneri, effusissima fuga, qua, venerant, abirent.

3 Propter mutatam à principe vel publice vel privatim religionem patriam, & ob peregrinam

nam susceptam, populus sæpe à Principe desciscit. *De Scyle Rege Scitharum propterea abjecto.*

E. Hoc accidit in Marchione Badensi à reformata religione ad pontificiam deficiente: & in regno Suetiæ, cum Sigismundus III. Rex Poloniæ & Suetiæ, repudiata reformata religione, conaretur Pontificiam religionem in Suetiam introducere quo conatu è regno Suetiæ & Livonia est expulsus. In Anglia, cum Maria Regina Angliæ, profligata orthodoxa religione, per crudelissimam tyrannidem Papatum stabilire vellet, magni motus & tumultus subditorum sunt secuti; regno Angliæ antea florentissimo multis calamitatibus & damnis exposito, multi pii homines carceribus, exiliis, flammis & ferro crudeliter sunt trucidati; diversæque pulcherrimæ Ecclesiæ, piis & eruditis ministris ad rogos & sævissimæ supplicia raptis, in varios ac diversos mundi angulos disiectæ & dissipatæ sunt.

4 Inutiliter bellum suscipitur adversus eum populum cui vel nullæ sunt opes vel exiguæ. *Artabanis ad Darium consilium, & Cœxis qui Erxandri filius fuit.*

5 Princeps in alienam regionem irrumpens tutum reditum sibi servet. *De ponte quem Darius servavit.*

6 Ne quis sese in societatem injusti belli quacunque occasione demittat. *Responsum Scytharum quorundam ad Getas.*

E. Divus Mauricius cum vocaretur ab Imp. Diocletiano, ad bellum contra Christianos gerendum, detrectavit militiam, & noluit tyranni edicto obtemperare, sed ei jussit renuntiari: Cæsari se debere militiam, Christo innocentiam, & oportere Deo magis obedire quam hominibus.

7 Prin-

7 Princeps is maxime tutandus est sub cujus tutela reliqui vicini pacifice vivunt & proteguntur. *Histiai Milesii consilium de Dario conservando.*

8 Post cladem insignem plebs facile à principe suo desciscit, quoniam tunc eum contémnit.

E. Exemplū calidum adhuc est in Bohemia, quæ insigniter vapulat à renunciatione Friderici Elect. Palat. *De Api victo & ejecto ab Ægyptiis.*

9 A Principe vel Republica sacra iam recepta mutata, seditionem etiam adversus principem ipsum movent. *De Arcesilao Batti Claudi filio.*

E. Non ad antiqua Romanorum exempla eamus, quæ legi possunt apud Livium, Dionem & Tacit. præ foribus habemus exemplum novissimum in *Scotia*, quæ nondum composita à tumultibus, quos causata est liturgia Anglicana, à Rege eo missa & observari jussa: Res ad seditionem publicam delata, mox ad arma itum & conjurationes pro antiquis sacris. Nam religio cum sit res divina, nullum admittit Principis respectum vel alterius hominis: ideoque cum Deus innovatione talium sacrorum offendatur, ne quæramus rationem, cur Princeps populum inde habeat seditiosum.

10 Invidiam & exitium sibi parit is qui quantumvis egregius & strenuus, tamen se principis sui æmulum seque illi parem ostendit. *De Aryande præfecto Ægypti qui à Dario occisus est.*

11 Auxilii ferendi prætextu sæpe alienas regiones invadendi & scrutandi consilium tegitur. *De Pœnis hac oratione ab Aryande tentatis. Lib. 5. de Aristagora.*

E. Sic Saxones navibus aliquot acciti ad ferendum præsidium Anglis, tandem Angliam vi occupa-

ceparunt, cum post partam victoriam sibi stipendia non solvi quiritarentur. Anno à nato Christo 447.

12 Est sapientis exercitus Ducis nihil præter mandatum ab imperatore suo aggredi, etsi rei bene gerendæ occasio præter mitti videtur. *De Amasi Ægyptio Cyrenen intercipere recusante.*

E. Avidus Cassius Imp. jussit in crucem tolli Centuriones, qui cum pauca manu eo inscio tria millia Sarmatarum in Danubii ripa negligentius excubias agentium, occidissent dicens evenire posse, ut laterent insidiæ ac periret Romani imperii reverentia, ut ait Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio.

Posthumus dictator Aulum Posthumum filium, quia non suo jussu, sed sua sponte egressus hostes fuderat, victorem securi feriri jussit, ut scribunt Livius lib. 4. Gellius lib. 7. noct. Attic. c. ult. Valer. Max. lib. 2. c 7.

13 Exercitui longinquum & remotum à finibus iter conficienti maxime ab insidiis incolarum, & rusticorum imprimis cavendum est. *De Ægyptiorum exercitu necato à rusticis* Pœnus.

14 Vindicta etiam à Principe victore crudelius facta punitur à Deo severe. *De Pheretima, quæ post crudelitatem in Barcæos computruit vermibus.*

EX LIBRO QVINTO.

CAvendum ne cuiquam, quantumvis bene de Repubica merito, tale quidpiam tribuatur, quod Reipublicæ pacem turbare vel in præsens vel in posterum possit. *De dono quod Darius Histiæo de Myrcino ædificando contulit, revocato.*

E. Vene-

E. Venetiis olim inter nautas & populũ periculosissima orta cũ esset seditio, quæ neq; perlictores neq; magistratus sedari potuisset, eã tandẽ interventu *P. Lauredani*, qui anno superiori Imperator bello maritimo fuerat, illico conquievisse. Verum hanc nautarum obediẽtiam adeo suspectam Senatui fuisse, ut Lauredanum carceri inclusum mori coegerit. *Annales Veneti.*

Ferdinandus Consalvus, ille qui magnus Capitaneus vulgo usurpatur, pro Neapolitano regno Regi suo subjecto eam retulit gratiam, ut rex ademptis illi exercitibus & munitis locis, eum in Hispaniam abduxerit, ubi inglorius obiit. *Guicciard.*

2 Qui ob potentiam inter populares suam suspecti sunt, debent inde honorum ut legationum publicarum honesto prætextu abduci. *De Histiæo quem Darius secum abduxit Susas.*

E. Apud Athenienses & Ephesios lexerat: *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio loco & apud alios sit.*

Nimiam potentiam subvertere, est convellere fundamenta, quibus illa nititur, & velut subtractis alimentis ignem ambitiosum extinguere. Illi igitur, cujus privatum modum egressæ sunt divitiæ, dignitates, curationes, legationes conferantur damnosæ, sumptuosæ, & quæ sine rei familiaris dispendio obiri nequeant. *Forstn.*

Constantius Cæsar Vrsicinum in Oriente equitum magistrum sibi suspectum ad se venire summo cum honore mandavit; ea specie, ut pro rerum tunc urgentium captu disponeretur concordi consilio, quibus virium incrementis Parthicarum gentium arma minantium consilia frangerentur. *Am. Marcell.*

Mucianus, quia propalam Primus Antonius oppri-

opprimi nequibat, multis in Senatu laudibus cumulatum, secretis promissis oneravit, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluvi Rufi vacuam: simul amicis ejus tribunatus præfecturasque largitus est. dein, postquam inanem animum spe & cupidine impleverat, vires abolet, dimissa in hyberna legione septima, cujus flagrantissimus in Antonium amor. *Tacit. 4. hist.*

3 Concussio à judice facta punienda est.

E. Cambyses injusti Iudicis Sisamnis pellem de corpore detractam, sellæ tribunalis intendi, in eaque filium eius iudicaturum considere iussit. Qua atroci pœna, ne quis postea judex corrumpi posset, providit.

4 E privata domo bene constituta potest fieri judicium de prudentia & industria patrisfamilias, ut ad publica gubernacula admittatur. *De Milesiis agros excolentibus.*

5 Perniciosa omnino est duorum Ducum in eodem exercitu inter se contentio & rixa implacabilis. *De Megabate & Aristagora. De Demarato & Cleomene regibus Lacedæmoniis.*

6 Deprehensa magistratus fraus & astus sæpe seditionem movet. *De Histiæo animadvertente Darii fraudem.*

7 Deficere à tyranno volentibus plebs est aliqua libertatis ostentatione aut concessione delinienda, & ad partes traducenda. *De Milesia plebe quam delinivit Aristagoras.*

8 Deficere à tyranno potente cupientibus primum societas aliqua, & ipsa potens quærenda est. *De Aristagora Lacedæmonios petente.*

E. Illustres ordines Belgicarum provinciarum priusquam Hispaniæ Regem abjurarent, cum Francisco duce Alenzonio, & Elizabetha Regina Angliæ fœdus societatemque inierunt, pro defen-

fensione veræ religionis, & libertatis patriæ, contra tyrannidem Hispanicam.

9 Colonia in alienam regionem non est temere, sed prudenter deducenda, quæ se tueri possit adversus indigenas. *De Dorico eam temere condente in Africa.*

10 Facilius spes certa vel apparens lucri proposita quum facilis apparet, rerum post illatarum executio alios in nostram societatem pellicit, quam causæ nostræ æquitas. *Aristagoras versans Spartæ sic persuadebat,*

11 Quum quis magni jam apud populum nominis est deprimendus & dejiciendus, maxime debet vel religionis prætextu, vel alterius jam commendati notique viri oppositis laudibus, & cooptatione (ut absque seditione aut murmure id fiat) sensim excuti ac dimoveri. *Clisthenes Sicyonius sic Adractum Sicyone dejecit. Sic Alcmæonidæ Athenis ejecti.*

12 Ejus Principis aut familiæ quam de Republica exterminari oportet, omnia egregia monumenta, præsertim publica, sunt vel prorsus tollenda, vel commutato nomine aliis tribuenda. *Sic Adrastus apud Sicyonios periit.*

E. Iniquum exemplum reliquit *Wallensteinius* in Ducatu Megapolitano, quem donatum à Ferdinando II. Imperat. deturpare insano more aggressus, Principum illorum antiquissima monumenta dejicere, infringere, planeque tollere laudi sibi duxit.

Non aliud *Moguntinus* archiepiscopus tentavit in tractu montano, via qua itur Heidelbergam, dejectis Archipalatini insignibus & monumentis, quæ portis opidanis magno ære affixa erant.

Præ cæteris *Bavarus Maximilianus* rem strenue

Que scilicet gessisse videtur, dum, ut Palatinæ genti nihil non damni inferret, universam Palatinam Bibliothecam, quæ Vaticanæ non cessit, iniquis manibus auferri, & partem eius cum ruina totius Germaniæ Romam transportari, Papæque tribui jusserit.

Philippus II. Rex Hisp. cum hostis publice declaratus esset, Belgæ Castella & propugnacula ejus dejecerunt Antverpiæ, Vltrajecti, Gandavi, Leouardiæ, Groningæ & alibi: Item in nummis inscriptiones & effigies ejus interdictæ, denique Prætores, Consules, Scabini et Satrapæ aliique magistratus non amplius nomine Regis, sed auctoritate supremi magistratus edicta sua proposuerunt.

13 In Republica et Democratia cives sunt magis strenui propugnatores libertatis & Reipublicæ amantes (quoniam inter eos est æqualitas juris) quam in Monarchia seu Regno.

14 Tyrannorum ars hæc maxima est, nempe potentissimum & optimum quemque è Republica tollere, prius falsis criminibus accusatum, vel aliis de causis aliove modo necare. *Consilium Thrasybuli ad Periandrum.*

E. Hæc fuit techna crudelissimi tyranni Hispanici Ducis Albani, cum Comité Hornanum, Egmondanum, item Barones de Batenborch, & alios præcipuos Belgii nobiles è medio tolleret. Vnde dux Albanus hoc dicterium solitus est usurpare: In ranunculis capiendis inutilem operam impendi, salmonum ac majorum piscium capturæ esse incumbendum. Thuanus libro histor. 37.

Sex. Tarquinius unum è suis sciscitatum Roma ad patrem misit, quidnam se facere vellet, quandoquidem ipse unus omnia Gabiis posset. Huic

nuncio nihil responsum est: Rex deliberabundus in hortum ædium transiit, sequente nuncio filii: Ibi inambulans tacitus summa papaverum capita decussit. Nuncius rediens ad Gabios, quæ viderit refert, nullam eum vocem emisisse. Sexto ubi quid vellet pater, tacitis ambagibus patuit, primores civitatis interemit, quosdã in exilium egit, atque interemtorum bona divisa sunt.

15 Clades initio belli accepta, quum est maxima sæpe socios à nobis avertit. *De Atheniensibus qui Iones deseruerant.*

16 Felix rerum incœptarum initium multos socios nobis conciliat. *De Caribus & Cypriis qui Ionibus accesserunt.*

E. Mauricius Nassovius cum Anno 97. spacio trium mensium armis occupasset novem munitissimas urbes, puta Berkam Alpenam, Morsam, Grollam, Brevordam, Oldensalium, Othmarsium, Enschedam, & Lingam, & plus minus quam 50. signa & vexilla hostium debellasset, venerunt ad eum multi Principes Duces & Comites Germani in castris ante Lingam, puta dux Luneburgensis, Comes Benthemensis, Lippiensis, Svvartzeburgensis & VValdanus, denique Legati diœceseos Coloniensis, Monasteriensis & Osnaburgensis, & de tam præclaris & insignibus victoriis ei honorifice sunt gratulati.

17 Principibus, Monarchis, ac potentioribus factæ à Repub, vel Principe tenuiore injuriæ alte in animis insidunt, nec nisi prius vindicatæ omittuntur vel oblivioni traduntur. *De Dario acceptas ab Atheniensibus injurias ad animum quotidie revocante.*

E. Thuanus lib. 71. scribit: iram regis mortis nuntium esse, raroque ac fere nunquam accidere, ut præpotentes illatam à subditis injuriam inul-

inultam relinquant ; dissimulare eos nonnunquam, nunquam injuriæ sensum deponere. Id exemplo Christierni Daniæ regis probari potest, qui ob tyrannidem regno pulsus, & certis conditionibus restitutus, regnum aliquanto tempore mansuete administravit, postea occasione captata proceres regni ad convivium vocatos, inter sacra mensæ oppressos manu carnificis obtruncari, trimos etiam quadrimosque infantes crudelissime enecari jussit. Novum exemplum est læsio domus *Austriacæ*, per ejectos fenestra aliquot regios ministros Pragæ : illa non potuit sopiri ullo modo quam vindictæ loco 27 proceres & nobiles lictori colla prius dederent; aliis, virgis cæsis, aliis in exilium profligatis, aliis perpetuis carceribus & malis mansionibus addictis. factum id anno 1621. die supplicii adparentibus ante horam quintam matutinã duabus in cœlo Iridibus divaricatim positis.

18 Sociis belli à nobis ascitis optio loci in acie honestius conceditur quam locus præscribatur. *De Cypriis qui hanc optionem dederunt Ionibus.*

19 Tutissimum adversus equites equosve quantumvis feroces in prœlio remedium est, si aliqui pedites summittantur, qui equos ipsos in certamine concidant, aut vulnerent. *De Onesito equum Artybii per satellitem occidente.*

20 Inter dimicandum proditio, transfugium vel aliud quidpiam in favorem hostium à quibusdam è nostris tentatum totum exercitum nostrum perterrefacit & profligat, & in fugam vertit: item si quod auxilium hostibus adventare vel cernatur vel credatur. *De proditione facta à Stesenore Cyprio.*

21 Victis vel laborantibus auxilium superveniens in prœlium, eos ad prœlium animat, illisque

que animos addit. De *Caribus animos resumentibus propter auxilium Milesiorum.*

E. Subjicimus novum exemplum *de prælio Lipsiensi, è Ioh. Battista Burgo*, narrante: victoria per duas horas anceps pependit; hinc primi Saxones quos Tyllius cum peditatu adortus fuerat, sua ignavia, & hostium virtute superati, cedebāt. Iāq; in apertam fugam se dederant, cum Rex Suetię Gustavus, qui equitatū Cęsareum post levem pugnā in turpem fugam conjecerat, subsidio vacillantibus astitit; tunc reparatis ordinibus, fixoque pede, victores jam Cæsareos cohibuit, præliumque renovavit. Acriter utrinque dimicatum, donec vergente ad vesperam die, Cæsariani paulatim retrocedere cæperunt Lipsiam versus, victoriam hosti relinquentes: Sueci gnaviter sequentes ad internecionem Cæsareos delevissent, ni à supervenientibus tenebris detenti essent.

Thuan. l.65. de intuitu *Sebastiani* in Africa scribit: bis mille ex hostibus in primo conflictu perierunt, & si quidem primum illum successum nostri ursissent, et qui in media acie erant, primę laboranti in tépore succurrissent, quod contrariū imperiū causati minime fecere, multorū opinio fuit, longe diversū pugnæ exitū secuturū fuisse.

22 Exercitui etiam timido spes omnis fugæ erepta facit ut strenue pugnet. *Pixodoræ consilium Caribus datum.*

23 Quoties in exercitu plures aliquot strenui magnique duces convenere, nisi hostium vires eos simul arma conjungere et esse cogant, commodius, et ad pacem inter se tuendam, et ad hostem fatigandum, copias dividunt et in diversa loca abducunt; ubi eorum quisque rem per se et bellum gerat; quā simul et una retinétur. *De ducibus Darii in diversas regiones se dividentibus.*

E. Im-

E. Impigre observant hoc monitum *Sueci duces* qui dum uni regno militant, diversos exercitus in hostiles campos educunt, concordi tamen animo, ut hostium vires fatigando hinc inde quisque, quod è re reipub. visum, per se bellum gerere videatur.

EX LIBRO SEXTO.

HOstilis exercitus per homines illi notos per, litteras occultas immissas, per honesta et æqua cum parte hostium fœdera, per metum periculi et minarum, terrendus, dividendus, vel ad defectionem sollicitandus. *Sic Duces Persarum agunt adversus Ionum exercitum.*

E *Margarita Parmensis* animadvertens evulgato creditoque adventu Philippi Regis, aliquos ab Vnitis proceribus BelgI timidius agere; adjuvandam artificio hanc partem existimavit: missisque ad eos litteris benevolentiæ ac fiduciæ plenis, promissa quoq; per certos nuncios clã adjecit: ad aliquos etiã, quos scilicet religioni Romanę non offensos, epistolas dedit ex earũ numero, quas illa apud se babebat Regis nomine subscriptas, ceterum vacuas, quas verbis composuit tẽpori accommodatis. Has vero ita singulis tradẽdas curavit, ut alios nullo invitatu præteritus id non omnino lateret; quo inter eos suspicio, atq; abalienatio suboriretur. Quo effecit, ut multi partim *metu*, ne à proceribus desererentur, quorum nutare consilium animadvertebant; partim *spe*, cujus pleni erant, quod se à Rege appellatos, honoratosque videbant; partim *offensione* aliorum, quibus se suspectos atque invisos facile rebantur, omissis fœderatorum cætibus, aut domos suas reviserint

privata curaturi, aut transgressi Gubernaticis in partes, gratiam Principis promereri, quam indignationem experiri maluerint. *Strada lib.* 5.

2 Vbi ij quorum maxime interest dimicare, pericula subire recusant, occasionem aliis ac præsertim sociis, ad fugam vel defectionem & justam & facilem præbent. *Sic evenit Ionibus non parentibus Dionysio, & munia militiæ recusantibus.*

3 Sæpe qui extranei ad partem duntaxat regionis possidendam invitantur, fiunt insidiose tandem illius totius domini *De Samiis Zanclam occupa tibus.*

E. *Thebani* advocantes Philippum Maced. Regem, armis ejus manserunt oppressi. *Imperatores Constantinopolitani* accersentes in auxilium Turcos omne dominium & se deleverunt. *Crucigeri* pro Borussia ad Christianismum convertenda invocati, ab expugnatione regionis, omnem sibi terram cum gente subjecerunt.

4 Magnas vel toti genti vel civitati calamitates venturas plerunque præcedunt aliqua extraordinaria signa vel portenta. *De Chiis ab Histiæo victis & eversis.*

E. *Cometes* anno 1577. & seqq. adeo ferali effulsit aspectu, ut nullum eo minaciorem ad illud usque tempus illuxisse differerent Mathematici; belli signum in cœlo elatum, Sebastianum Lusitania perdita, in Africa funditus deletum iri prædixit.

Næ! non singulorum hominum mortes tantum, quæ cottidie eveniunt, sed potius universorum regnorum ac familiarum regiarum excidia & conversiones, cometas semper portendere rerum prudentiores existimaverunt. *Thuan.* Meminimus adhuc *Cometa* anno 1618. quem insequutum

quutum quid sit nemo non novit: Bohemia & universa Germania subversa, regia Palatina domus pene excisa & quæ non alia? Anno 1568. futurarum clamitatum in Belgio prænuncius fuit *puer* Leodii natus *biceps, quadrupes, quadrimanus:* quo portento ostensum, fœdus Belgii diversorum populorum viribus brevi conflatum iri, quod & factum.

Antequam Carolus V. Imp. contra Sax. & fœderatos Principes, bellum gereret, natus est infans in pago quodam Francorum, cui exemto ex aluô matris, culter jacuit in ventre, eminens cuspide extra ventrem, qui & paulatim facta suppuratione extractus est. Omnes judicarunt bellum civile significari, quod etiam secutum est. Phil. Melant. in Chron.

Antequam prælium illud funestum committeretur, inter Mauricium ducem Saxoniæ, & Albertum Marchionem Brandeburgensem, in quo licet Mauricius perierit, tamen fuit à parte ejus victoria, multa prodigia antetecesserunt: passim sanguineæ guttæ in Germania, Argentinæ, & alibi super herbas, frondes arborum, tegulas atque saxa deciderunt, Sleid. lib. xv.

5 Fraudes tandem minime recte cedunt cuiquam. *Vita Histiæi id docet, perfidi* Dario.

E. *Rodolphus Imperator* cuidam ad se venienti, & promittenti, se Ottocarum Bohem. regem, si præmium addiceret, occisurum; indignabundus respondit: Etsi noster hostis est Ottocarus, non tamen efficiet, ut prætergrediar fines justitiæ atque moderationis.

6 Victoriæ recentis terror facile in victoris, modo cursum felicem victoriæ persequatur, manum quæ supersunt ex hoste victo tradit. *De Persis & Phœnicibus post Miletum & insulas vicinas*

vinas captas Hellespontem capientibus.

E. *Gustavus Suecia* rex à prælio Lipsiensi, relicta hosti Lipsia mox Merspurgum castra movit, ubi profugos centenos aliquot Cæsareos delevit inde Halam profectus civitatem cum arce vi cepit: mox occupata Erfordia in Franconiam contendit, ut hostium reliquias deleret. Expugnavit Konigshoviam, Svvainfurtum, Herbipolin: Hanovia, Francofurto aliis aliisque opidis & civitatibus ad Mœnum & Rhenum sitis potitus est. *Iohan. Batt. Burgus.*

7 Hosti transfugæ non temere aut cito fidendum. *De Stesagora.*

F. Turci temere & cito crediderunt *Ivoniæ transfugæ* qui è Polonia in Valachiam veniens, defecit ad Turcos, ut Valachia potiretur; qua potitus, Turcorū beneficio, eorundē jugū excutere animū induxit: at Christianā religionē professus, ipse Turcis suspectus esse cepit, ideoque cum fides ejus tanquā transfugę indubiū vocaretur, movit bellum Turco, advocatis in auxilium Cosacis; iis vero secum in angustias redactis dedere sese coactus est & coram Selimo se sistere; eo ubi pergeret, in castris quatuor horarum colloquium habuit: ibi Capucius occasione ex superbo Ivoniæ responso capta, stricto gladio ventrem faciémque dedititii discidit, moxque captivum prætoriani corripiunt, et semivivo caput à trunco dividūt; deinde corpus pedibus duorū camelorū alligatū belluis in diversum concitatis discerpendum objiciunt: caput hastę infixū, cadaver in frusta cōcisum, cujus ex cruore certatim milites gladios perungebant, sanguinē etiā equis potandū porrigētes. Magnum inconstantię rerum humanarū et divinæ ultionis exemplum. *Thuan. lib.* 58.

8 Periculosum est Reipub. in ejus quem ipsa offen-

offendit, aut qui ab ea se offensum eredit, manus & imperium devenire. *De Miltiade & Chersonesiis ab eo vinctis.*

9 Tyrannus est animal timidissimum, ubi vis illi intentatur, & magna, & manifesta. *De Miltiade Cimonis filio sæpius fugiente.*

E. Malus enim est custos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis ad perpetuitatem. Quo enim timoris cruciatu censemus angi solitum Dionysium tyrannum, Regem Siciliæ, qui metuens cultros tonsorios, carbone ardente adurebat sibi barbam, & capillos. Cicero lib. 2. Offic.

Mauricius Imper. à præfecto suo Phoca jugulatus, de eo horrenda somnia habuerat, & cum quæsivisset de eo qualis esset, responsum est hominem meticulosum esse, & minime metuendum. Subjecit Mauricius. Si est timidus, est homicidia, vel latro.

Ælianus suibus similes tyrannos esse dicebat, quas si quis tetigit, protinus clamare incipiunt, mortem scilicet somniantes, cum nec vellera habeant, nec lac, nec lanam, nec aliud quicquam præter carnes: Sic tyranni omnia suspicantur & metuunt, scientes nimirum, quod sicut sues, ita & ipsi omnibus vitam debeant.

10 Optima vectigalis indicendi ratio, ut tota regio prius dividatur in certas partes, cuique parti certum tributum indicatur. *De Atapherne sic Iones dividente.*

11 Qui fit à potente Principe novus belli apparatus, debet omnibus vicinis esse suspectus. *De Dario Mardonium cum novo exercitu mittente in Græciam.*

12 Ex metalli fodinis reditus solent esse amplissimi. *De Thasiis.*

13 Magnam novo Principi conciliat populi benevolentiam, si vetera debita & tributa remittat civitatibus. *Lex Persarum.*

E. Ordines Hollandiæ immunitatem tributorum Veteraquinatibus aliquot annis concesserunt, quod civitas eorum ab Hispanis incensa, cives misere trucidati, bona eorum asportata, magnoque Lytro plurimi vitam suam redimere sint coacti. Angliæ opidum Covventria nobis sit pro exemplo, cujus Dominus Comes Leofricus uxorem habebat Goodvvinam; hæc instanter pro subditis maritum rogabat, ut tributa, gabellas & quidquid impositionum esset, iis remitteret. Annuit maritus addens conditionem, si uxor comes, omnis nuda opidum pleno die equo penetrare vellet: illa non renuit, dum ei liberum esset, tempus & horam actui destinare; constituta meridie, illa publica voce edici curat, ut omnes opidani januas & fenestras claudant. Illa dum obequitat, equus cui insidebat, hinnit, civium aliquis incivilior audiens hinnitum vel curiosior ut videret novum equitandi modum, aperit fenestram, inque plateam prospectat, unde factum, ut, sive in causa fuerit ruditas agrestis opidani, aut hinnitus equi, Covventrienses immunitatem acceperint non solventes vectigal aut tributum pro ulla merce, exceptis equis & jumentis: Id quod continuo observatum ab anno 1044. Iohan. *Bernhard in discurs. Anglic.*

14 Artificia & munera quædam publica sunt apud nonnullos populos in familiis hæreditaria. *De coquis & præconibus apud Ægyptios.*

15 Subditi potentes à Rege & summo Principe contumelia affecti, sæpe sese acerrime, etiam cum totius patriæ & ipsius regni jactura, ulci-

ulciſcuntur & vindicant. *De Demarato Lacedæmonio.*

16 Omnis poteſtas ſumma eſt impatiens conſortis, nec facile inter duos ejuſdem Reipublicæ Reges convenit. *De Cleomene & Demarato regibus Lacedæmoniis.*

E. Cum Alexander Magnus ingenti exercitu Darium Regem Perſarum invaderet, & Rex obtuliſſet illi filiam ſuam in matrimonium, cum dimidia regni ſui parte, ille repudiata hac conditione fortiter & animoſe reſpondit. Sicut mundus non poteſt ferre duos ſoles, ita nec unum regnum duos reges ferre poteſt.

Anno 78. cum ſumma poteſtas exercitus Ordinum Belgii ducendi uno eodemque tempore Duci Alenzonio, & Caſimiro Comiti Palatino commiſſa eſſet, propter diſſenſiones enim horum Ducũ, ſtatus Belgii valde dilapſus & turbatus fuit. Non ita multi ſunt anni cum uni eidẽq; exercitui præeſſent *Mansfeldius* & *Chriſtianus Dux Brunſvicenſis*: hic cum iſti cedere nollet, nec prudentioribus monitis aurem præbere, fuſus eſt ad Hochſtam, ubi Rheno hauſtus eſt non exiguus militum manipulus.

17 De Principum qui ſucceſſores futuri ſunt legitima genitura conſtare inter populum intereſt plurimum ad eorum ſecurum imperium. *De Demarato Rege propterea ejecto è regno.*

18 Fraudes Regum à Deo vindicantur. *De Leutychide Rege Lacedæmonio & Cleomene.*

19 Qui quum ſint ejuſdem Regni aut ſocietatis pars, tamen ſoli cum hoſte communi fœdus faciunt, merito à reliquis puniuntur. *De Æginetis fœdus cum Perſis ineuntibus.*

E. Cum Sigiſmundus Poloniæ Rex patrocinium Livonienſium contra regem Moſchovitarum

rum suscepisset, fœdere tamen cum Rege Moscovitarum percusso, clientes turpiter non tam deseruisse, quam hosti prodidisse dicitur, Bodin. de Rep. lib. 5. c. ult.

20 Impietatem Regum Deus ulciscitur. *De Cleomene & ejus mortis caussis.*

21 E pluribus fratribus Regiis fere primogenitus succedere solet in Regno. *Sic Spartæ.*

22 Qui Dux inferiorve magistratus absque superioris Principis aut Reipublicæ consensu aliquid hostibus vel sociis spopondit, aut damnum intulit, pro noxa iisdem est dedendus. *De Leutychide Rege Lacedæmonio dedito.*

23 Ob depositum fideliter non redditum, Respublicæ & familiæ à Deo punitæ. *De Glauco Spartano.*

24 Impietas in Deum ab ipso vindicatur. *De Æginetis abstrahẽtibus ex adytis Cereris fugitivũ.*

E. Berlini Monachus, qui pro concione D. Paulum Apostolum mendacii arguerat, subito in suggestu apoplexia extinctus est, die Stephani Bucholz: in Chronolog.

25 Apud Reges sollicitanda assidue etiam æqua, quæ impetrata volumus. *De iis qui Darium sollicitabant ad bellum Atheniensibus inferendum.*

E. Agesilaus Lacedæmon. rex, cum eum quidam importune promissi moneret, respondit. Si honestum est, & cum utriusque dignitate conjunctum, quod efflagitas promisi: sin minus, non promisi. Atqui improbus efflagitator sentiens spem suam delusam, inquit, Oportet Regem quę vel capite annuit præstare, cujus orationis indignitatem, retorquens rex, inquit. At honesta à regibus sunt petenda, ne illi majoribus rebus occupati imprudenter concedant, quod honeste im-

impetrari non potuit. Ferdinandus II. Imper. sollicitabatur multum à *Iesuitis*, de donatione *Brinnensi in Moravia*, at quia non æqua erat petitio, licet promissa, nihil patres obtinuere. amplius hæc ut dicamus ne velint societatis interpretes.

26 In vicini populi, & qui facile & cito auxiliũ nobis ferre potest, potissimũ tutelã committere nos debemus. *De Lacedæm. Platæens. recusantib.*

27 Crudelitas patrum in filios, & maritorum in uxores, etiam publice à Deo vindicata. D*e Pelasgis* L*emniis in filios suos crudelibus.*

E. Exemplum in Turcarum Imp. Mahometo, qui cum veniret ad imperium, XIX. fratres, ut fertur, laqueo strangulavit, & matres aliquot eorum, qui filios occultare conabantur, in aquis suffocavit, crudelis & sanguinarius Imp: Vnde & crudelitas ejus tandé a Deo punita per defectionem Sigismundi ducis Transsilvaniæ, & amissionem munitissimorum opidorum & propugnaculorum Hungariæ, Strigonii, et Raabæ.

Aliud in Solimanno. Huic liberi quatuor erãt, Natu maximus Mustapha victoria potitus contra Persas domum redibat, Byzantini multo honore eum excipiunt. In communi gaudio solus pater offenditur, factum id minuandæ majestatis vocat, filium strãgulari jubet, et cadaver in oculis exercitus abjici cũ hoc superdicto præconis *Vnus in cœlis* Deus, *unus in terris Imp. Solimanus.* Forte in omnium attonito stupore fuit, ut non vinceret animum frater junior, et spectante patre fratri illachrymavit, infelix pietas biduo post veneno pœnas dedit. Tertius metu confugerat ad Persas, per legatos dedi jussus, et palam securi percussus. Solus Zelymus restabat, et ille homo esse desierat, nisi hominem exuisset.

EX LIBRO SEPTIMO.

Soli fertilitas peregrinis nimium prædicata vel ostensa, eos tandem ad illud occupandum invitat. *Sic Mardonius Xerxem movit ad Græciam occupandam.*

E. Sic Livius: Gentem Gallorum, traditur fama, dulcedinis frugum, maximeque vini nova tum voluptate captam Alpes transiisse, & invexisse in Galliam vinum gentis illiciendæ causa.

2 Princeps prudens novo & longinquo bello temere sese nequaquam implicet. *Xerxis exemplum.*

3 Bella quantumvis justa ex causa, tamen non nisi ex consensu & consilio Principum, sunt à summo magistratu suscipienda, ut eos ad ea paratiores habeat. *Xerxis exemplum de bello Græcis inferendo deliberantis.*

E. Plato lege sanxit lib. 12. de legib. Si quis privatim sine publico scito pacem bellumve fecerit, capital esto.

4 Summus princeps, aut qui concilio præest, æquo animo ferre debet, ut contrariæ sententiæ dicantur; imo ut consiliarii vel plures vel unus, ipsimet contradicant & adversentur. *Xerxis Exemplum.*

E. Plinius de Domitiano Imperatore scribit; Videmus curiam elinguem, in qua quod dicere velles, periculosum, quod nolles, miserum esset, quia unus solus censebat, quod omnes sequerentur. Trajanus vero Imperat. in eo maxime laudatur, quod eo rogante libere sententias dicere liceret, vinceretque sententia non prima, sed melior. *Priscus Helvidius*, ad quem cum Imp. Vespasianus misisset, ne in Senatum veniret, respondit: Penes te est, ne me Senatorem esse patiaris

tiaris

tiaris; quamdiu autem me loco non moves, est in curiam mihi veniendum. Age, inquit Imper. at ingressus taceto. Helvid. respondit: ne me roga, & tacebo. Imp. at est mihi rogandum: resp. alter, & mihi dicendum quod verum putavero. Vespasianus ad hæc: Verum si dixeris, occidam te. respondit Helvid. quando ego tibi dixi me immortalem esse? Tu tuum facies, ego meum: tuum est occidere, meum mori non trementum. *Arrian. in Epict. lib. 1. cap. 2.*

5 Bene ac diu de re semel suscipienda deliberare maximum est tum lucrum, tum rei exequendæ adjumentum. *Herodoti sententia in oratione Artabani.*

6 Regum & regnorum insolentem superbiam, & aliis vel vicinis vel extraneis vel subditis injuriosam, Deus tandem dejicit & punit. *Artabanus in oratione.*

E. Philippus II. Rex Hispaniæ propter intolerandum suum fastum & immanem crudelitatem, eodem modo quo Rex Herodes, pediculari scilicet morbo est extinctus Anno 1598. Qui turrim Babylonicam ad cœlum extollere conabantur eorum conatus Deus confusione linguarum, & familiis per universum urbem disjectis dissipavit. Genes. 11. Sic cum Nabuchodonosor diceret: In cœlum ascendam, & super astra exaltabo solium meum, mox audivit: Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Esa. 14. Item cum princeps Tyri diceret in corde suo, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedeo, statim audit. Adducam super te robustissimas gentium, & nudabunt gladios suos, & detrahent te.

7 In cunctando multa sæpe bona insunt, præsertim ubi de bello in exteros suscipiendo agitur. *In oratione Artabani.* E. Fa-

E. Fabius Maximus lente ad pugnam progressus, cunctando totum Annibalis exercitum enervavit, indeque appellatus est FABIVS CVNCTATOR, De quo hi versus ab Ennio sunt conscripti.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
Non ponebat enim rumores ante salutem.

8 In deliberatione de bello suscipiendo non iis temere credendum, qui vires hostium per contemptum diminuunt. *In Oratione Artabani.*

9 Vindictæ libido, sæpe consilia bellaque temeraria suadet Principibus. *Xerxes sic ultionis cupiditate Græcis temere bellum intulit.*

10 Est prudentis & clementis principis, si quos etiam ex subditis vel solo verbo offendit, eosdem lenire & apud eos suam ipsius culpam agnoscere. *Xerxis exemplum veniam ab Artabano deprecantis.*

E. Arrianus lib. 7. hist. laudat Alexandrum Magnum, quod sicut interdum præceps ad delinquendum erat, ita statim eum hujus pœnitebat. Cæterum, inquit, delicti pœnitentia duci, id ipsi soli inter veteres reges, tanquam eximium quiddam adscribo. Plerique enim tametsi alicujus delicti conscii sunt, tuentes tanquam recte factum, culpam suam obtegere putant, inique statuentes: Vnicam enim peccati medicinam esse censeo, peccati agnitionem & confessionem, manifestumque pœnitentiæ documentum edere. Nam qui injuriam accepit, non ita graviter se læsum putat, si is qui læsit, perperam se fecisse fatetur, & bona alicui spes sit, se non amplius injuria affectum iri, si is quis fecit, pœnitentiam facti sui præ se ferat.

11 Sæpe regnis & rebuspublicis clades divinitus immittuntur, vel fataliter inevitabiles imminent.

minent, & omnino sunt subeundæ, quidquid contra sani consilii capiatur, fiat & opponatur. *Sic clades Græcis à Xerxe divinitus immissa est.*

E. Cum urgentibus fatis *Roma à Gallis* capienda esset, primam bello causam tres Fabii dederunt, qui cum de pace inter Clusinos & Gallos acturi à Senatu missi essent, contra jus gentium pro Clusinis contra Gallos prœlio decertarunt. Porro, quo minus impedimenti Gallis objiceretur, jam ante Furium Camillum, tantum Imperatorem populus Romanus fatali furore in exilium Ardeam depulerat. Advenientibus Gallis civitas, quæ sœpius adversus Fidenatem & Vejentem, minores hostes, Dictatorem creaverat, extremis id urgentibus periculis id neglexit. Fabii, quorũ temeritate bellum contractũ erat, summæ rerũ præerant: qui tumultuario exercitu raptim ducto, ad undecimum lapidẽ hosti occurrẽtes, non loco castris capto, non præmunito vallo, non Deorum saltem memores, auspicato instruunt aciem: & ut summatim dicã, nec milites nec imperat. faciebant, quæ ex disciplina Romana essent. Cum pugnandũ esset, pene prius fugerunt, quam vidissent hostem integri intactique. Maxima pars ex fuga Vejos pervenere: unde ne nunciũ quidẽ cladis Romam misere. Qui Romam elapsi sunt, ne quidẽ clausis urbis portis in arcẽ refugerunt. Quis non miretur nunc, populum Romanum optimis legibus, & acerrima militari disciplina institutum tã turpiter sui oblitũ? Concludo locum ex *Ammiano: Manũ injectãtib. fatis solent hebetari sensus hominum & obtundi.*

12 Nemo subditus honeste detrectat militiam in qua princeps ipse versatur, atque proficiscitur cum aliis. *Xerxis responsum ad Pythium.*

13 Non major parandus tum terrestris tum

nava-

navalis exercitus, quam cui alendo & conservando terra & portus commeatum præbere & perfugium possit. *Artabani ad Xerxem oratio in colloquio.*

14 Qui omnia pericula timet, nihil aggreditur: qui nulla, facillime perditur. Præstat tamen alacriter aggredientem sibi quædam pericula proponere, quam in re qualibet metuentem nihil periculi in re ulla suscipienda velle subire & pati. *Xerxes ad Artabanum in colloquio.*

15 Magna cœpta cum magnis periculis sunt conjuncta: Nec statim rerum totus eventus aut exitus perspici potest. *Xerxes ad Artabanum.*

16 In magnis imperiis certum numerum militum conscriptum ali necesse est; qui semper ad quosvis impetus hostium excipiendos parati sint & expediti. *De decem millibus Persarum qui Immortales dicebantur.*

17 Superbia Regum quantùmvis potentum & opulentor à Deo punitur. *Exemplum in Xerxe à Græcis victo, cujus superbia apparet in ipsius colloquio cum* Demarato.

E. Herodes rex Iudæorum cum in die solemni veste regia indutus pro tribunali consedisset, ac de sublimi concionaretur ad populum, cumque Populus acclamaret ei, Dei voces, & non hominum: statim percussit eum Angelus Dei, eo quod non dederit gloriam Deo, & scatens vermibus expiravit. Act. 12.

Ozias rex Iudæ initio pius & fœlix, vicit Philistæos & Arabes: postea cum officio sacerdotis fungi vellet, & per sese sacrificaturus esset, Deus iram suam publica pœna declaràvit, Regem enim subita lepra percussit, quæ postea hæsit in eo in longa senecta.

Apryes rex Ægypti tanta superbia inflatus fuit, ut

ut dixerit adeo firmum esse regnum suum, ut à nemine Deorum vel hominum eripi posset. Huic tyranno nominatim pœnas minatur Ieremias c. 44. Herodotus autem expresse narrat eum a præfecto suo Amasi strangulatum esse. Nabuchodonosor cum supra modum se extulisset, ex summa gloria in sortem abjectissimam brutorum dejectus & una cum jumentis humi reptans, herbis & stirpibus agrorum vesci coactus est. Daniel 4.

18 Qui populi & pauperes & custodes severi disciplinæ sunt, iidem & strenui & virtutis alumni esse solent. *Demaratus de Græcis.*

E. Respublica *Genevensis* licet tenues habeat facultates, tamen quia observantissima custos est severæ & sanctæ disciplinæ, potentissimi Ducis Allobrogum impetum sustinere, & fortiter repellere potuit. Respub. Romana suppeditat multa exempla: *Valerius Publicola* ter consulatu functus cum applausu populi, moritur gloriosus, sed adeo pauper, ut ex ærario publico sepulturam habuerit. *Menenius Agrippa,* Publicolæ gloria non inferior, dum Senatum plebi reconciliavit, egestate par, eandem habuit sepulturam. *Attilius Calatinus*, & *Quintius Cincinnatus*, ubi consulatum & dictaturam obierunt immortali prudentia & authoritate, à dignitate ad aratrum paupertate redacti, facti sunt bubulci. O ingratum sæculum!

19 Legati violari absque scelere nefario, quod tandem à Deo punitur, non possunt. *De legatis Persarum qui à Lacedæmoniis fuerant violati.*

E. Perpetuum infamiæ stigma inustum *Atheniensibus* est, ob scelus in legatos Darii commissum. Terram illi & aquam, communi exigendæ deditionis formula, petierant: & ecce in barathrum

thrum præcipites dati sunt , illinc abunde accepturi eorum quę peterent. Sed quæ ruina deinde urbem maris potentem, quæ vastatio agrorum deformavit? Exutæ prope elementis Athenæ.

Livoni anno 1549. non exiguas dedere pœnas ob detentionem Moscovitici alicujus Agentis Lubecæ, cui permissum, consentiente Imperatore , emere arma & conducere aliquot fabros & artifices Germanos in Moscoviam , ut operas ferrarias exercerent ; Moscovita illos non solum bello invasit , sed ustionibus , deprædationibus vastare illorum regionem aggressus est.

Augustus Imp. Antiochum Comagenum ad se excivit, quod fratris sui, cum quo litem habebat, missum Romam legatum dolo occidisset, eumque Antiochum in Senatum adductum, dãnatumque interfecit. Dio. l. 52. Si quid enim inter gentium statuta præstans est , illud præstantissimum est, conservare legatos inviolabiles: sunt enim internuntii, quibus utrinque ad pacta venire, & redemtiones captivorum , mortuorum sepulturæ commodius expediri possunt: quos si violari patiantur hostes, futurum est, ut immortalis & ferina ira , & calamitas perpetuo inter homines perseveret.

20 Pecuniæ publicæ quæ viritim sunt absque ulla necessitate civibus dividendæ , commodius in publici alicujus operis ædificationem & usum convertuntur , quam viritim singulis civibus non egenis distribuantur. *De pecunia Atheniensium quæ ex consilio Themistoclis in naves conversa est.*

21 Quando bellum commune sociis & toti corpori Reipublicæ imminet, membrorum inter se simultates, odia & contẽtiones sunt omittendæ

tendæ & conciliandæ. *Atheniensium consilium quum Xerxes adventaret.*

E. *Hispani*, à Francisco Galliæ rege in suis finibus lacessiti, confestim rebellionem sævissimam: animosque suo Regi infensos posuere. *Guicciard.* 14.

De *Gallis* Christophorus Morus homo civili prudentia quam maxime insignis dicere solebat; illos perpetuo inter se digladiari, seseque mutuis vulneribus conficere: verum cum viderint, Hispanos inde occasiones captare, suisque commodis intentos, statim in commune contra externum hostem conspirare. *Petrus Matth.*

Contrarium in Arteliis & Hannoniensibus accedit qui post pacem Gandavensem primi ab Ordinibus fœderatarum provinciarum defecerũt, & vicinas provincias gravi bello afflixerũt. Hæc separata reconciliatio harum duarum provinciarum cum Rege inita, & à reliquis discessio facta est. Ann. 79. 29. Iunii, & à Duce Parmensi confirmata in obsidione Trajectensi.

At in Aristide publicæ salutis ac patriæ amor præcipue eluxit, qui cum Themistoclis opera paulo ante ejectus esset, tamen omnes injurias patriæ condonans, in hoc communi totius Greciæ periculo sponte ad Themistoclen sibi ante injurium accedit, & inter cætera his verbis utitur. Nos certare omni tempore oportet non privatis simultatibus, & odiis, sed uter nostrum melius de patria mereri, & plura in eam beneficia conferre possit.

22 Gravi bello imminente veteres societates renovandæ, & novæ conciliandæ. *Athenienses & Græci in Siciliam, Cretam, Argos mittunt.*

E. Imminente bello Germanico Principes protestantes, puta, Iohannes Fredericus Saxo-

niæ

niæ dux, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Philippus Lantgravius Hassiæ, Georgius Brandeburgicus, item civitates Argentina, Vlma, Noriberga, Heilbrunum, Rutelinga, Constantia, Memminga, Campodunum, Lindavia, Smalcaldiæ fœdus inierunt religionis reformatæ defendendæ gratia, & eam omnes se velle servare professæ sunt & si periculum aliquod hoc nomine illis intentetur, se mutuo velle sibi subvenire promiserunt. Sleid. lib. 7. comment. Idem ob periculum anno 1631. *Lipsiæ* habitus fuit conventus à Principibus Germaniæ. at cui bono?

23 Exploratores in exercitu deprehensi non semper necandi: sed si & copiosus & recte instructus est exercitus, per eum sunt circumducendi, ac dimittendi, qui famam rei terroremque suis augeant. *De Xerxe exploratores Atheniensium dimittente.*

24 Maxime civitatem amplificat hominum frequentia in eam ex aliis oppidis captis vel eversis facta. *Sic Syracusæ à Gelone facta magnæ.*

E. Eversio Flandriæ, Hannoniæ, Artesiæ, & Brabantiæ ab Hispanis facta, vel defectio earum à relisquis fœderatis provinciis, præcipuas Hollandię & Zelandiæ urbes, puta, Amsterodamum, Harlemum, Delphos, Leydam, Roterodamum, & Middelburgum admodum amplificavit & locupletavit, & incolarum frequentia, opibus commerciisque eas urbes fœlices, & florentes effecit. Quocirca vere & prudenter olim rescripsit Imperat. Hadrianus in l. ult. ff. de bon. damnat. Malo imperium potius ampliari adjectione hominum, quam pecuniarum & divitiarum copia.

25 Rei ex consilio gestæ lætus plerunque est exitus. *Sententia legatorum Græcia ad Gelonem.*

26 Ex-

26 Externi auxilii & exercitus dux ne affectato esse indigenæ exercitus recusantis imperator. *De Gelone affectante imperium Græciæ.*

27 Nimia indigenarum ambitio in imperio ac tota auctoritate penes se retinenda, eos plerunque externorum auxiliorum bono privat: sunt enim auxiliares copiæ gradu & loco honesto semper habendæ. *Græcia sic privata auxilio Gelonis propter imperium retentum.*

28 Non temere summum exercitus imperium extraneo duci, quum inter indigenas ipsos ad imperandum sunt aliqui apti, est committendum, ne vel contumelia indigenis proceribus facta videatur, vel dux iste extraneus alienam Rempublicam facile prodat. *Græci sic retinuerunt imperium exercitus adversus Xerxem.*

E. Exemplum est urbs Daventria, quæ Gubernatore Anglico VVilhelmo Stanlejo, præfecto Anglorum & Hibernorum ab illo hosti Hispano prodita est. 29 Ianuarii, anno 1587.

Vsu enim compertum est externa consilia fere esse infausta. Non enim affectus fidus exterorum aut fides syncera in Rempub. Alexander male audire cœpit, cum Persas adiit, Romani labi, cum Græcos & exteros; Carolus Audax, cui ruinam suam nisi Campobacchio debet? Effatum hoc habe: Vt in quam domum vespillones veniunt, signum est funeris, sic Reipub. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini quod tamen velim intelligi, si multi: nam ut unus interdum aut alter, fide & virtute ingenioque cognitus, haut pertinaciter damnem. Lips. lib. 3. Polit. c. 4. in notis.

Dio lib. 52. Ad consulatum, præturam, aliosque magistratus solos Romanos eligendos censeo, partim propter institutorum patriæ memoriam,

moriam, partim ne protinus immutare Reip. statum videaris. Non absimile est *Pontificum Roman.* statutum, quod omnibus aliis extraneis Cardinalibus exclusis, Italicis tantum Ecclesiæ Romanæ, ut indigenis, imperium hodie vult concedi. In causa fuit *Hadrianus* VI. Italicarum rerum scilicet, quia Belga erat, imperitus; quo denato omnino decretum est, hominem aliquem Italum aut saltem in Italia educatum ad culmen pontificium evehi debere anno 1523. *Franciscus Episc. Herford. in annal. Angl.*

29 Quietæ florentesque Respublicæ & regna sese in periculosi belli societatem debent ægre ac lente demittere. *De Corcyrais, Cretensibus & aliis consultantibus, utrum Græcis auxilia ferrent.*

E. Archiepiscopus Coloniensis Gebhardus Truchesius, & Adolphus Comes Morsensis, implicarunt se bello inter Philippum Regem Hispaniæ, & Ordines Belgii suscepto. Quo facto illorum provinciæ misere ab hostibus sunt afflictæ & devastatæ.

30 Nulla fortior necessitas vel excusatio verior est, quam imbecillitatis virium. *Thessalorum responsum ad Græcos.*

31 Deserti in communi bello & causa socii justam ad hostes desciscendi & transeundi causam habent. *De Thessalis ad Persas transeuntibus.*

32 Vt totius regionis incolumitati consulatur, hostis est primo illius aditu, quantum fieri potest, terra marique arcendus. *De Thermopylis & Euripo à Græcis contra Xerxem insesso.*

33 In Pylis & angustiis locorum est parvo exercitui cum magno confligendum, non in æqua planitie & patenti loco, ne minor exercitus

tus à majori circumveniatur. *De Graecis Thermopylas occupantibus.*

34 In periculis & bellis suscipiendis Deus est prius invocandus. *Exemplum Atheniensium & Graecorum* Delphos *mittentium.*

35 Accepta in bello clade Deus est extraordinarie invocandus. *De Magis* Persarum *placantibus Tethim.*

E. Vbi Deus ardenter invocatur, victoria stat à bona causa. Exemplum est in Theodosio Imp. qui cum pugnaturus esset contra Eugenium, & Arbogasten, qui exitium minabantur Christianę religioni, hic Imper. Theodosius tota nocte ad Deum supplicans, ubi est inquit Theodosii Deus? mane iterum aciem instruit, ubi in ipsa pugna vehemens ventorum procella hostium tela & jacula non solum impediit, sed & in ipsos hostes retorsit, & Theodosius victoria potitus est. Eugenius victus ad Imper. pedes procidens à satellitibus trucidatus est. Arbogastus sibi ipsi manus intulit. Socrates. Ammianus Marcellinus. De hoc prœlio ita Claudianus cecinit.

O nimium dilecte Deo, *cui militat æther,*
Et conjurati veniunt ad classica venti.

36 Qui in communi periculo sunt cæterorum ac sociorum duces electi, debent ipsi tum primi ad exercitum convenire, tum fortius pugnare, tum, ut gradum suum diu retineant, constantia & virtute aliis prælucere. *Sic Lacedæmonii in exercitu Graecorum ad Thermopylas.*

37 In primo certamine & conflictu cum hoste parta victoria, vel opinio virtutis, magnũ ad terrendũ hostem, & ad totum reliquum bellum conficiendum, illiusq; victoriam postea momẽtum habet & affert. *De Spartanis fortiter in primo certamine pugnantibus contra* Persas.

38 Bella ut plurimum fama constant: & timetur ille potissimum & fere qui sibi jam opinionem virtutis ac strenuitatis comparavit. *Eodem exemplo.*

39 Proditor patriæ est proscribendus, & in ejus caput præmium constituendum. Nam & à Deo ipso tandem idem punitur. *De Ephialta prodente tramitem Thermopylarum.*

E. Venetiis anno 1542. ob proditionem de *Nauplio* & *Epidauro* Turcis tradendis, Decemvirũ decreto *Nicol. Cavacius, August. Abundius* & *Ioh. Franciscus Valerius* geminas inter columnas meritæ necis pœnas laqueo suspensi dedere; *Maphæus Leonius*, & *Constantinus Cavacius* absentes totius Imperii cum terrestris tum maritimi perpetuo exilio damnati, ut mille aurei in singulorum capita percussoribus ex ære publico penderentur, decretum: *Leonii* liberis, posterisque patricius ordo, ac nobilitatis jura adempta bona in publicum redacta. *Maurocen. libr.* VI. *hist. Ven.*

Cum præsidiarii milites fœderatarum provinciarum Gertrudebergam prodidissent, Anno 89. x. April, merito & juste tanquam proditores ab Ordinibus unitarum provinciarum proscripti, & ad furcam damnati sunt: concesso præmio 50 aureorum, ei qui aliquem ex proditoribus deprehenderit, & centum aureorum in quoscunque rebellium præfectos captos, constituto.

40 Plurimum ad victoriam conducit locum ab hoste non observatum antecapere, vel eum qui ad hostem fert, ab eoque non observatur sed tutus & invius censetur, per duces viarum pervium facere & superare. *De tramite Thermopylarum indicato: quod Græcos evertit.*

E. *Heidelberga* anno 1622. post discessum Friderici

derici Elect. Palat. & comitis Mansfeldii, omnem externi auxilii fiduciam ignorabat, præsidiis intus non satis instructa, foris ambita periculis & exercitu Bavarico, quem Tillius, urbis potiundæ cupidus, per montes, qui invii censebantur, admovebat. Opidani antequam certi esse poterant, ipsis moveri bellum, jam armatum hostem conspiciebant in monte dextro ad Nicrum, quem olim *Abrinsberg*, hodie *den heyligen berg*, vocant: ex hoc monte Bavari secessionem fecere in oppositum montem *den Geysberg*, trans Nicrum, et ex cacumine hujus montis caprarii viam ad expugnandum opidum et arcem invenerunt.

41 Vbi sic est perterrita exercitus pars aliqua, ut neque verbis neque exemplo aliorum retineri confirmarive in castris possit, est tanquam ex venia abeundi illi concessa dimittenda; tum ne hostes eam trepidationem animadvertant; tum etiam ne reliqua pars exercitus constans et ipsa perterreatur, aut se desertam existimet. *De sociis à rege Leonide dimissis in Thermopylis.*

42 Contra desperatum hostem, et tamen obstinatum, pugna solet esse difficillima ac periculosissima. *Exemplum Lacedæmoniorum, post patefactum transitum Thermopylarum.*

E. In prœlio Pictaviensi *Ioannes* Rex Galliæ non modo se ipsum, vitamque suam ac decus nobilitatis, totiusque imperii fortunas ancipiti prœlio commisit, nec hostibus pacem petentibus, modo impune regni finibus excedere liceret, indulgendum putavit. Quid? decem circiter millia desperatorum hominum quadraginta quinque millia fugarunt, ac regem captivum abduxerunt. Bodin. lib. 5. de Repub. c. 5.

43 Fortibus et strenuis viris pro patria et com-

communi salute occisis virtutis monumenta ad posteritatem sunt relinquenda. *Epigrammata Leonidæ & Lacedæmoniis ab Amphictyonibus posita.*

E. Venetiis in templo Ioannis & Pauli, (cænobium est Dominicanorum) statuam *Bragadini*, tenentis in vase lapideo pellem detractam, videmus cum inscriptione:

D.O.M. *Marci Antonii Bragadini, dum pro fide, & patria bello Cyprio Salaminæ contra Turcas constanter, fortiterque curam principem sustineret, longa obsidione à perfida hostis manu, ipso vivo ac intrepide sufferente detracta pellis Anno Sal.* M D L X X I. x v. *Kalend. Septemb. Antonii fratris opera & impensa Bizantio huc advecta, atque hic Marco, Hermolao, Antonioque filiis pientissimis ad summi Dei, patriæ, paternique nominis gloriam sempiternam apposita.* Anno Sal. M D X C V I. *vixit annos* X L V I.

Delphis in Hollandia extat illustre monumẽtum G*uilielmi*, Principis Arausion. qui pro patria strenue rem faciens, à sicario *Balthasaro Gerardi*, à duce Parmensi submisso, proditorie ibi interfectus & sepultus est. A*mstelodami*, si lubido est, H*emskerckium* ad fretum Gaditanum occumbentem, monumento donatum, superesse ad posteros, videre potis es:

44 Res hostium ex fidis exploratoribus vel transfugis notæ, facillima nobis ad deliberandum & exequendum consilia & momenta præbent. *Xerxes interrogans Demaratum.*

45 Periculum domi quantum possumus præcipue creandum est iis qui inter ipsos hostes vel eorum auxiliares plurimum apparent strenui, & fortes; suntque cæterorum in prœlio duces, ut

ut ad ſua tutanda revocentur, & alii deſerantur. *Conſilium Demarati ad Xerxem.*

E. *Chriſtianus* Senior Princeps Anhaltinus, ſummus in prælio Pragenſi Dux à partibus regis Frederici, revocatus ad patrimonium tutandum, deſeruit bellum & Fredericum, ſupplex factus Cæſari.

46 Sæpe conducit ad hoſtium reliquos duces terrendos, quoſdam ex iis captos quantumvis ſtrenuos dura & ignominioſa pœna publice coram toto exercitu afficere. *Sic Xerxes Leonidam regem Spartanorum affecit.*

E. Non ita alienum eſt exemplum, quod anno 1632. nupere Gallia dedit notandum in *Henrico Duce Momorancio*, qui ſtrenuiſſime licet, regi Ludovico ad Rupellam militaverat ante, poſt tamen ut rex (IVSTI cui nomen Galli dederunt) ſeverum juſtitiæ ad terrendos alios exemplum ſtatueret, Tholoſa in urbe, à qua non longe in confflictu à regiis captus, criminis læſæ majeſtatis damnatus, collum lictori ſubdere publice coactus eſt.

EX LIBRO OCTAVO.

SEditio longe deterior eſt in civitate bello quod concorditer geritur. *De Athenienſibus cedentibus.*

E. *Piſani* floruerunt olim rebus navalibus, res magnas in Syria gerentes: eoque opulenti facti, ut C illuſtriores familiæ totidem roſtratas naves privatis ſumtibus exſtructas, inſtructaſque in bellũ Liguſticũ eduxerint: deinde, ut in nimia opulentia, imperiiſq; potentiorib. uſu venit, inteſtinis ſeditionib. agitati, attritiq; relicta peregrina mercatura, ne ſua quidẽ tueri potuerũt: Appianis tyrãnis, mox illis vẽdẽtibus Galeatio, deinde

Gabrieli Mariæ ejus notho servierunt donec tandem à Florentinis subacti, & hi à Medicæis in hunc statum pervenerint. *Bellicar. lib. 5. Hist. Gall.*

2 In communi periculo non modo sunt inutiles, verum etiam noxiæ & magnorum malorum causæ, civium vel sociorum inter se contentiones de primatu: itaque omittendæ. *Athenienses sic cesserunt Lacedæmoniis.*

E. Veneti, ut primatum inter cives suos subverterent præsertim in re bellica, accivere externos duces ad militiam terrestrem; Idque hodie adhuc, quia salutare Reipub. esse animadvertunt, observant, hac adducti ratione, quod cum illi pacem inter cives, concordiamque & æqualitatem semper summo studio aluerint, quieti publicæ perperam consultum putent, civibus tantum auctoritatis impertiri, exercitus subjicere, summæ rerum præficere; ne dominandi assuetudine capti, clientelis atque amicitiis nixi, & populari aura inflati, opibus ac imperio in publicam olim perniciem abuterentur, *Ioh. Boter. lib. II. de repub. Ven.*

3 In sociorum exercitu aut concilio Ducis ex una sociorum gente electi superbia & fastus facit tandem ut ipsi genti ex qua est, imperium in socios abrogetur. *Propter Pausaniam Lacedæmonii imperio in socios privati.*

4 Etiam quæ utilia sunt, sæpe sunt muneribus & donis honestis etiam ipsis ducibus persuadenda. *Sic Themistoles Eurybatem & Adimantum persuasit ut manerent.*

5 Magnum ad victoriam momentum nobis affert consilii ab hoste de nobis clam invadendis ab eo occulte & secreto capti cognitio. *De Scillia urinatore Græcos admonente.*

6 Atto-

6 Attonitis jam hostium metu hominum animis, quidquid supervenit, sive ordinario sive extraordinario naturæ cursu, id omne attonitis pavorem auget. *De Persis expavefactis propter imbres & tonitrua.*

7 Ab exercitu hostium optimi & maxime strenui eorum socii vel precibus vel muneribus vel bellis domi illis conflatis sunt abducendi. *Themistocles abduxit Iones & Cares ab exercitu Persarum.*

8 Inusitata exercitus hostilis facies & color sæpe nos terret & fugat. De *Phocensibus gypsatis & eo pacto fugantibus Thessalos.*

9 Ante Barbarorum quibus propter multitudinem occurrere nolis vel non possis, adventum, & priusquam illi rerum potiantur, mature uxores & liberi & suppellex est ab iis qui cedere coguntur, transportanda, & quidem publico edicto, non hosti relinquenda. *Sic Athenienses uxores transportarunt Trœzenem.*

E. Cum Archidux Albertus Ostendam potentissimo exercitu cingeret, Gubernator Dominus van der Noot jussit, ut uxores omnes urbe discederent, ne aliis terrorem suis lamentationibus & querelis incuterent. Anno 1601. mése Iul. Barbari Croatæ antequam Heidelbergam appropinquarent transportanda erat Palatina Bibliotheca, quod commode anno 1620. fieri poterat Rheno secundo in Belgium, nam induciæ duodecennales nondum exspirarant, at quo errantes oves irent custode remoto? Princeps abierat, Academia dissipata & lacerata erat, bibliothecarius, Gruterus relicto tanto thesauro ibi, fuga vitam servare volens mortem habuit in oppido Bretta. Sic serio sapiunt Phryges: exportata est fluxa res vestimentaria & supellex argen-

tea, at thesaurus cum damno omnis Germaniæ ibi insuper habitus hosti relictus est. Vbi nunc *Parnassus* ille?

10 In periculo imminenti & magna rerum perturbatione non committendum, ut pro communi salute conscriptus communis exercitus ibi constituatur, unde propter loci vicinitatem vel suæ regionis præsentem cladem una istius exercitus pars ad sua tutanda dilabi possit & conetur, sed vires tum maxime conjunctæ retineri, & contra hostem certare debent. *De cōsilio Themistoclis ut apud Salaminem pugnaretur.*

11 Hosti quam minima & paucissima, & quidem illa etiam sensim & non nisi post ærumnas illi factas, sunt è nostra regione & opidis cedenda. *Themistoclis consilium de conservanda Salamina, Megara &c.*

12 Desperatis, & jam extrema quæque optantibus & sperantibus, nequaquam certamen aut prœlium est offerendum, sed mora tantum & impedimenta objicienda, ne amissa recipere, vel denuo sese erigere possint: statim enim diffluent & dilabentur. Ar*temisiæ consilium.*

E. Cum Galli *Henricum* V. Anglorum regem ad Dagincuriam inclusum, ad prælium cogerent, nihilque certius quam victoriam sibi jam polliciti essent: Angli pauci collatis signis, Gallorum ad decem millia cæciderunt, non paucioribus captis, cum è suis vix centum (alii quingentos, alii sexcentos ponunt,) post prælium desiderassent. *Polyd lib.22.*

13 Specie benevolentiæ desperanti vel desperato hosti sæpe illud quod nos juvat consilium recte dandum, ut nostris consiliis tanquam tutis & ab amico profectis acquiescens, in insidias adduci possit, vel ut ea consilia sequatur. *Themisto-*

mistocles sic persuasit Medis ut in Salamine pugnarent.

14 Reipublicæ causa sunt deponendæ privatę inimicitiæ quantumvis justæ. *Exemplum Aristidis & Themistoclis ante Salaminicam pugnam cum Persis.*

E. Romæ publice redire cogebantur in gratiam, qui eosdem magistratus eodem tempore vel anno erant gesturi.

15 Consilium fugæ etiam ab exercitu & duce victo prudenter tegendum, & hostes celandum. De *Xerxe hoc faciente.*

16 Celerrimorum equorum constitutio & usus, quas Postas vocant, in magnis regnis, & Rebuspublicis est utilissimus. *De nuntiis Persarum & Angariis.*

17 Cladis acceptæ nuntium est ab ipsomet victo suæ Reipublicæ mature, ne rumor vel hostis omnia augeat, mittendum. *Sic Xerxes in Persidem misit nuntios suæ cladis.*

18 E magna clade & fuga, si modo princeps ipse cũ parte exercitus licet exigua salvus evaserit, totũ regnũ à seditione & novarũ rerũ motu ac interitu servat incolume, quantũvis duces alii perierint. *Artemisiæ consilium ad Xerxem.*

19 Turpissima minimeque in regno bene morato toleranda est ars & mercatura hominum lenonum, qui vel mares exsecant, vel mulieres à se emptas prostituunt. *Panionius punitus,*

E. Hic ratio status, quam Itali in ore semper habent, non valet, etiamsi princeps ex tributariis meretricibus ditior fieri possit, non tamen legibus divinis contraire debet. Imp. Iustinianus No. 14. Ne quo in loco per Imp. Romanum fiant lenones, jussit lenones urbe Constantinopolitana excedere, tanquam homines perniciosos, &

& publicæ castitatis corruptores. Præterea sancivit, si quis patiatur aliquem in suis ædibus lenocinium facere, ac non protinus re ad se delata & cognita ex ædibus eum expulerit, quod decem librarum auri pœnam subibit, & præterea de ipsis ædibus veniet in periculum. Huic severo et justo Imperatoris mandato contraiverunt Pontifices Romani, nec hodie adhuc cessant. Concilium Toletanum sub Leone I. habitum permittit pellices *can.* 17. *is qui non hab. uxor.* Bellarminus propugnat Lupanaria *lib.* 2. *de stat. pec c.* 18. *Stanislaus Orichentus Ruth. de lege Cælibat.* asserit, Scorta & communia prostibula Romę numerata fuisse XLCIↃ. *Hieron. Marius in Eusebio captivo*, tempore Pauli III. anno 1542. Romæ numerat XLVCIↃ scorta, quæ Pontifici annuatim XXXCIↃ aureos pro lupanari & lactis vestigali solverunt. Hodie res & fiscus papalis auctior fit non ex numero sed è statu meretricum; hæ ubi corpore mereri volunt, prius status sui cognitionem profiteri & nomen inscribi tenentur apud ministros Lupanarios, ne impostorio statu fisco papali illudant, si id ex falso faciunt, detectæ publice virgis cæduntur, eque Romano territorio abiguntur. Exemplum sub hoc Papa non illepidum Romæ exhibitum est.

20 Magna ad pecuniam à populo & subditis exigendam sunt numina & adiumenta Suadela & Necessitas. *Themistocles ad Andrios.*

E. Dion. lib. 46. Ac quoniam multa pecunia opus erat ad bellum gerendum, unusquisque vigesimam bonorum suorum partem; in commune contulit, Senatores præterea quaternos obolos in singulas tegulas ædium persolverunt.

21 Magna rerum agendarum, imprimisque pecuniæ à subditis obtinendę impedimenta sunt

sedi-

seditio & inopia seu impossibilitas. *Responsum Andriorum.*

22 Invidiosum & tanquam patriæ proditæ crimen impingitur Imperatori, qui cæteris ejusdem exercitus ducibus nescientibus & celatis pecunias à communibus hostibus clam accipit vel exigit. *De Themistocle pecunias ab iis qui oppugnabantur insulanis clam exigente.*

E. Cominæus lib. 8. Hastingius Eduardi Regis Angliæ Cancellarius, accepta à rege Galliæ Ludovico XI. dono annua duorum millium aureorum pensione, recusavit ejus quæstori chirographum dare, quo fateretur se eam pecuniam à Rege dono accepisse, sed dixit, Si vis ut eam pecuniam accipiam, in vestem mihi ipse imponas, testimonium autem nullum, aut literas à me habebis. Non enim committam, ut chirographum meum inter quæstores rationum ærarii regis reperiatur, ne forte apud Regem meum in suspicionem alicuius perfidiæ ac proditionis adduci possim.

23 Ægrotus exercitus est per vicinas civitates edicto, cuique certo numero assignato publice distribuendus, in quibus curetur ac reficiatur. Alioqui enim eum misere perire vel ignominiose ac inutiliter dissipari oportet. *Sic Xerxes revertens in Hellespontum mandat suum exercitum excipi & curari.*

E. In Hollandia saucii & ægroti milites Ordinum, qui ex bello saucii & ægroti domum redeunt, passim in Xenodochiis benigne foventur et curantur.

24 Parta victoria pars spoliorum in sacrum et pauperum usum reservanda est; pars in præmia, quæ sunt strenuis danda, pars cuique pro suo jure tribuenda. *Sic Græci post partam ad Salaminam victoriam.*

E. Livius lib. 4. Spolia in æde Iovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ prima in ea ætate spolia opima appellata erant, cum solemni dedicatione fixit.

Vice Thalassiarchus Ordinum fœderatarum provinciarum Petrus Verdoesius cum ex classe Hispanica navem prætoriam armis subegisset, insigne & splendidum vexillum è navi ereptum, templo Petrino Leydæ dedicavit. Anno 1588. Quod ibi in laqueari chori suspensum adhuc visitur, cui hoc symbolum est inscriptum, Exurge Christe, & judica causam tuam; sed verissime DEUS contra vota Hispanorum causam suam tutatus est, & ecclesias urbesque Belgii à crudeli & tyrannico jugo hostium in libertatem vindicavit, hostibus fere omnibus in classe Hispanica fusis, cæsis, dissipatis, & in mari submersis, ita ut fere quælibet Christiani orbis regna fœdum & tragicum ejus classis interitum oculis suis conspexerint.

25 Barbaris populis vel extraneis & inhumanis irruentibus non fidendum neque credendũ. *Lacedæmoniorum ad Athenienses sententia.*

26 Ad tollendam ex sociorum aut populi animis omnem proditionis aut arcanæ cum hoste communicationis nostræ suspicionem, curandum est, ut nihil hostis nobiscum agat, neque nos vicissim cum eo, nisi iis ipsis præsentibus & consciis, qui suspicari quidpiam de nobis possent vel vellent. *De Atheniensibus admittentibus legatos Lacedæmoniorum, ut audirent Mardonii Persæ legatos & mandata ad se.*

E. Paratis Lacedæmoniis & Argivis ad pugnam, duo ex Argivis progressi privato consilio, & sine jussu populi, cum Agide qui erat Lacedæmoniorũ dux, colloqui cæperunt, eiq; hortato-

res

res fuerunt, ne dimicaret: paratos enim Argivos esse, æquo judicio se sistere, & satisfacere Lacedæmoniis, si quid haberet, quod eis crimini daret, et in posterũ icto fœdere pacẽ amplecti. Hos sermones cũ probaret Agis, in quatuor mẽses inducias fecit, utraq; parte indignãte, occasionẽ profligãdi hostẽ sibi ademptam esse. Vnus etiã ex pacificatorib. Argivis Thrasyllus, qui ex quinq; ducib. erat, pene lapidib. obrutus fuisset, nisi ad arã profugisset: domus tamen & bona ejus publicata fuerunt.

EX LIBRO NONO.

QVi populi vel civitates conjunctæ vinci non possunt, sunt factionibus excitatis inter sese committendæ. *Thebanorum consilium ad Mardonium.*

E. Romanis hoc in usu fuit, quando gentem quandam suo imperio subjicere cogitabant, civili eam dissidio dividebant, alterius factionis partes ad tempus defendentes, donec utrosque simul opprimerent. Nec *Hispano* hoc est infrequens, cum nuperis annis per *Arminianismi* sectam Vnitos ordines disrumpere conaretur; erat eo usque perventum, ut factiones excitatæ nisi consilio Mauritii sopitæ fuissent, de libertate Belgica esset actitatum. Eleganti forma cupiebatur pax, ostendebatur libertas; at sub imagine pacis libertas opprimi debebat, qua oppressã, nihil amplius sperandum, nam hic errare bis non licet; maneat igitur:

Belgium eris victrix bello, sed pace peribis:
Hispanus pacem suadet, & Arminius.

Quo tempore capta fuit urbs Byzantium, Anno scilicet 1453. seditionibus omnis Italia redundabat, dum hi Guelphi, illi vero Gibelli-

belliui dicerentur, Pontificiæ & Cæsareæ factionis nomina.

Esaias cum prædicere vellet casum regni Iudaici, prædicebat intestina fore dissidia. Esa. 3. Ante omnimodam illam urbis Ierosolymæ destructionem præcesserunt maxima intestina dissidia, divisa enim erat urbs contra se ipsam tribus exitialibus sectis, quorum capita fuisse feruntur Simon, Iohannes, & Eleazar. Iosephus lib. 6. c. 1. & 3. Dissidio duorum Imp. Constantinopolitanorum via facta est Imperio Turcico, & labefactationi imperii Romani.

2 Optima & expeditissima factionum inter concordes antea respublicas vel cives serendarum via, *pecunia*, qua potentiores inter eos expugnentur: item *favor* & *prærogativa* quæ unis duntaxat eorum à nobis detur ac concedatur. *Ibidem, & postea Artabazi consilium.*

3 Intempestivum est imminenti certo præsenteque periculo ludicra solemnia exercere, vel nolle prætermittere, ut periculo obviam eatur. *Sic Lacedæmonii exercentes Hiacynthia, reprehensi ab Atheniensibus.*

E. *Galienus* de omnibus partibus mundi, cum eas amitteret, quasi detrimentis vilium ministeriorum videretur affici, jocabatur. *Trebel. Pol.* Non multo secius agebat *Carolus Emmanuel* Dux Sabaud: susque deque habens nuncium sibi allatum de Henrico IV. Gall. Rege, qui jam cum copiis Camerinum advolasset, idque expugnasset: imo illo ipso tempore choreis, quibus aderat, festivis abire nolebat, nisi prius ad finem perductis. *P. Matth. in hist. Gall.*

4 Maxime cavendum est, ne per fastum nostrum, vel negligentiam, vel perfidiam sociis, & præsertim fidis & strenuis, paciscandi cum hoste occa-

occasionem demus, & sibi desertis consulendi. *Chilei consilium ad Ephoros.*

5 Præstat singulis & adhuc coeuntibus hostibus, quam totis & jam collectis, occurrere. *Mardonii consilium in profligandis Lacedamoniis.*

6 Qui plurimum in Repub. sapit, eum administrationi non præfici est iniquissimum, & ipsi Reipublicæ detrimentosum. *Persa sententia ad Thersandrum.*

7 Suspectorum aut timidorum militum fidelitas vel virtus est aliquo periculo illis objecto exploranda, priusquam tuto eorum opera uti possis. *De Phocensibus à Mardonio probatis*

E. Cum legio VVallonum ab Hispanis ad fœderatos Ordines Belgii dedito propugnaculo Santandreano defecisset, Illustris & Generosus Mauricius Comes Nassovius in pugna Neoportana, virtutis & fidei explorandæ gratia in prima acie eos collocavit, in quo conflictu se tam strenue gesserunt, ut inter fideles, & animosos præcipuosque Ordinum milites merito habiti sint.

8 Ad extraneos hostes irrumpentes & inundantes (quantumvis illi sint fortes & strenui) debellandos ac expellendos, nihil est efficacius quam totius regionis mutuus inter se consensus & syncretismus; & sublata ex indigenarum animis suspicione proditionis, vires conjunctæ, et urbes, et exercitus in idem conspirantes. *Sic se tutati sunt Graei adversus Mardonium.*

E. Anno 76. 9. Ianuarii. Generales Ordines Belgii, item Nobiles et civitates singularum provinciarum, firmum et fidele fœdus contraxerunt Bruxellis, quod unionem vocant, pro communi salute et defen sione patriæ, ad depellendam

dam tyrannidem & oppressionem Hispanicam.

9 Pedestris exercitus licet validus, plurimum tamen terreri solet equitatu exiguo, sed firmo, ab eoque infestari & affligi. *Sic Mardonius Græcos vexavit in Citharone: Sic in Platæensi certamine.*

E. Syracusanis & Atheniensibus instructa ácie pugnâtibus, victoria *Nicias*, Atheniensium dux, potitus est, in qua 260 ceciderunt ex Syracusanis: desideratis apud Athenienses 50. Nam hostium majori stragi edendæ, equitum incursus obstitit. *Thucyd. lib. 6. Rex Hispaniæ* cum classem contra Turcam exstrueret, anno 1601 animadvertens peditatum sine equitatu non satis validum, duo millia circiter indumenta ferrea pro equis armandis coemi jussit, ut necessitate urgente peditatus equitatu adjuvaretur. *P. Matth. in histor. Gall.*

10 In prœlio laboranti parti mature & confestim succurrendum est. *Sic Pausanias Megarensibus.*

11 Contentiones in exercitu, quamvis de virtute & loco susceptæ, sunt statim omniū exercitus ducum judicio tollēdæ & definiendæ: tādē enim longius serpunt, suntque periculosæ. *Sic contentio inter Tegeatas & Athenienses sedata.*

12 Vnicuique gravis armaturæ tum pediti tum equiti sunt aliqui vel famuli, vel leviter armati, circumponendi, qui eum in prœlio labentem vel pugnantem juvent. *Sic Lacedæmoniorum unusquisque habebat septem circa se servos.*

13 In acie est fortissimo hostium exercitus robori robur quoque nostri exercitus opponendum, & ii maxime qui cum hujusmodi hostibus sunt depugnare assueti. *Sic Mardonius Lacedæmoniis opposuit Persas robur exercitus sui. Sic*

Pau-

Pausanias Athenienses Medis opposuit.

14 Peregrini viri strenui jure civitatis quo alliciantur sunt plerumque à nobis donandi, honoris ergo, non pretio. *De Tisamene civitate à Lacedamoniis donato.*

15 In exercitu perterrito claudenda castra, & viæ, ne qui ex eo transfugiant ad hostes, occupandæ. *Sic Mardonius non pulcre litans Cithæronis aditus cepit.*

16 Non servati in prœlio committendo ordines, magna cladis & internecionis exercitus causa sunt. *Sic victi Persæ in Plataensi pugna.*

E. Averus, qui in expeditione Africana cum Sebastiano faciebat, superveniente recenti Maurorum equitatu, latus obliquat, in suos impulsus Germanorum proximorum ordines solvit, & incumbentibus hostibus, dum receptum quęrit, aperto & calcato peditatu cuncta ab ea parte permiscuit. Mox ubi undique circumventi nostri quasi totidem pecudes à Mauris miserando prorsus spectaculo inter carros, equos, suorum occursus, æstu labore & ictibus pereuntes promiscuę cædebantur, ex tanto spatio, quod initio uterque ordinatus exercitus complectebatur, quasi in globum contractis universis copiis. Tandem Duces confossi, Sebastianus rex Lusit. captus & interfectus est; hic fuit confusionis exitus *Thuan ad an.* 78.

17 Magnum ad victoriam momentum affert, nos de hostium consiliis, de inopia & infortunio, de inauspicato eorum cœpto admonitos certo esse. *Alexander Macedonum rex sic profuit Græcis ad Plataam.*

18 Hosti victo ac perterrito, ut plena sit victoria nostra, insistendum: fugiensque acriter persequendus est ac trucidandus, non servandus.

De

De Græcis Persas victos sic persequentibus.

E. Exitiosa victoria est post victoriam securitas & negligentia, quæ frequenter novæ cladis causa esse solet, dum ex eo hostis, cui jam victo redit ni præcordia virtus; occasionem rei bene gerendæ accipere valeat. *Thuanus lib.* 58. *histor.* Ivonia Dux Valachiæ cum in subsidium hosti XVICIↃ auxiliares Turcos adventare didicisset, statim Suiercevium cum Cosacis suis, additis VIIICIↃ Valachorum in eos mittit, qui inopinata celeritate incedentes & de via fessos aggressus, nec spatio ad colligendum spiritum dato ad unum omnes cædit, præter CIↃ equites, qui fuga elapsi ipso Suiercevio insequente huc illuc palantes disjecti sunt. qui periculum evasere ad arcem Teinensem Turcicæ ditionis receptum habuere. Ivonia à Suiercevio post successum monitus, pronam & in manibus de Turcis victoriam esse, modo ne cunctetur, Brailoviæ arcis obsidionem solvit, & ad ipsum continuo cum omnibus copiis accurrit, & reliquias Turcici exercitus cædit; ad Teinense dein opidum ducit, quod & citra certamen expugnat, opidanis omnis ætatis & sexus crudeliter occisis.

19 Victi hostes non prius relinquendi, quam castris quoque, quantum maxime fieri potest, fuerint exuti: nec illis spatium respirandi, seque in iis confirmandi & colligendi, dandum est. *Sic Græci Persas ejiciunt è muro ligneo.*

20 Victoria parta, illi qui strenue se in prœlio gesserunt, sunt tum laudandi, tum præmiis afficiendi & decorandi. *Sic Græci fecerunt post Salaminicam pugnam & Plataensem.*

E. Martino Schenckio, Ducis exercitus Belgici ab Illustri Comite Lycestrio aurea catena mille aureorum est dono data, & eques creatus est,

quod

quod opidum VVestphaliæ VVerlam suis copiis militaribus invaserat, occupaverat & diripuerat. Anno 1586.

21 Hostes fugientes raro tuto extra nostrum territorium persequimur. *Damnati Mantinei qui Persas fugientes persequuti sunt in Thessaliam usque.*

22 Spolia ex hostibus demum post eos fusos partamque plene victoriam sunt legenda, idque ne prius fiat, severe est in exercitu interdicendum. *Sic Græci post pugnam Plataensem.*

E. Vtinam hoc observatum esset cum strategemate captum esset ab Ordinibus Belgi *Buscoducum*, non tam facile victoria adepta frustrati essent: capta item *Lira* Brabantiæ opido, miles noster victor ad prædam discurrens, neglecta quæ in potestate hostium adhuc erat opidi porta, intromissis per eam auxiliis & victoriam & vitam fœde amisit.

23 Spolia ne contentiones & rixas pariant, à viris ex toto exercitu delectis & fidis sunt colligenda, & ad ducem summum exercitus bona fide omnia afferenda. *Sic Pausanias jussit.*

24 Spolia ex hostibus sunt juste & fideliter pro ratione pacti vel æqualiter pro numero pugnantium inter victores partienda.

25 Ex spoliis hostium præmia quædam præter sortem strenuissimis & optimis militibus ac ducibus qui omnium judicio bonam operam in certamine navarunt, sunt danda. *Sic Græci.*

E. *Ivonia* Valachiæ Princeps ad Moldavam fluvium, ubi cum Moldavi equos ad pascua à se abactos ad manum non haberent, et nusquam fugæ locus esset, instantibus Cosacis, amplius L hominum CIↃ internecioni dedit. horrendo prorsus spectaculo, per patentes campos sagittis, pilis,

pilis, scutis, gladiis horrentes, & jacentium cruore passim undāte solo. castris hostes exuti, & prçda omnis Ivoniæ cessit, quam ille tépestiva maxime ac laudabili liberalitate inter milites divisit, potiore parte Cosacis erogata. *Th. ad an. 74.*

Petrus Doeza Vice-Thalassiarchus Hollandiæ, cum partem classis Hispanicæ subegisset, anno 88. erepta hosti nave prætoria, insigni aureo torque fuit donatus ab Illustribus Ordinibus Belgii.

26 Ex spoliis hostium etiam pars quædam Deo, id est, pauperibus & piis causis consecranda. *Sic Græci.*

27 Post pugnam sunt ex nostris cæsi tumulo condendi: Honorifice vero tum milites, tum duces, qui strenui fuerunt. *Sic Græci.*

E. Marcus Antonius Bragadinus Venetus, defendēs Fama-Augustam in Cypro, post excoriatus ab impio Mustafa, summo belli duce Selimi Imp. Turci, an. 1570, hoc honorificum sepulchrū reliquit in abbatia S. Gregorii Venetiis in Dorsoduro:

Marci Ant. *Bragadini præfecti insignis Reliquiæ: qui Othomanorum potentia acerbe deçessit, & Ioh. Aloysii ac Andreæ fratrum Senatorum, qui integerrimorum ossa in hoc familiæ suæ sepulchro sita sunt:* Antonius *vero pientiss. illis, sibique viventi fecit* MDLXXVI.

28 Fugientis & victi exercitus clades, quantum fieri potest, eos celanda est, per quorum agros iter est illi exercitui faciendum. *Sic Artabazus celavit Thessalos.*

29 Victo exercitui quam celerrime iter est faciendum ac maturandum, etiā ægris & infirmis, nisi cōmode vehi possint, relictis. *Sic* A*rtabazus.*

30 Demum post partam victoriam rebellionis

aut

aut belli auctores tuto poscuntur, quæruntur ac puniuntur: & qui sese ad nostram societatem optant adjungere, admittendi benigne. *Sic Pausanias & Leutychides fecere.*

31 Suspecti milites sunt honestis de causis à prœlio excusandi, vel dimittendi; minimeque permittendum ut intersint pugnæ. *Sic Samii & Milesii dimissi à Persis.*

E. *Thuan.lib.65.Melicus* anno 1578. per exercitum edici jubet, ut qui minus bene erga se affecti essent, iis liberum esset ad Mahametem (qui erat à partibus Sebastiani in Africa pugnaturi) continuo transire. quod non tam contẽptu hostis faciebat, quam quod vereretur, ne periculosiore tẽpore in pugna ipsa deficientes victoriam, quã virtutis fiducia fretus sperabat, sibi eriperẽt, eoque consilio IIICIↃ equitum, ex iis quos suspectos habebat, seligit, & præ currere in hostem jubet, commoditate iis concessa, ut si vellent, tuto ad hostem transfugerent &c.

32 Incestus Principum à Deo, etiam magnis familiæ eorum cladibus & pœnis, punitur. *Sic Deus Xerxis incestum in nurum puniit.*

E. Exemplum vidimus et adhuc videbimus in interitu familiæ *Philippi* II. Regis Hispaniæ, qui spretis divinis et humanis legibus cum sororis suæ filia incestuosum conjugium contraxit. Vnde et meritas incestus pœnas sensit, cum eodem mortis genere, quo Herodes rex Iudeæ, morbo scilicet pediculari extinctus est, ita ut in illius morte triumpharint pediculi. Anno 1598. 13. die Septembris. Nec filius *Philippus* II. ex incestu genitus senium vidit. Noviter *Maximilianus Bavarus* sororis suæ *Mariæ* (quæ fuit prima Ferdinãdi II. conjux) filiam *Mariã-Annã* duxit, dispẽsante Papa. Eodem promittẽte, *Ioh. comes Ritbergicus*

gicus cum fratris sui Ennonis filia incestum iniit conjugium. At nemo Dei longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget: quanto longiorem ante judicium patientiam prorogavit: nam quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat, dicit *Gregor. in homil. 13. in Euang.*

33 Principum feminarum summa solet esse in suas pellices, id est in suorum maritorum scorta, crudelitas: Itaque caveant mulieres, ne cum principibus conjugibus scortentur. De *Ameßri uxore Xerxis: & ejus savitia in Masista uxorem.*

E. Odii hujus ratio in promtu est, nam accidit sœpe, ut succubarum harum suasu Principes legitimas uxores, in veri amoris erga eas testimonium odio habeant, & repudient: exemplum est in *Frederico* II. *Imper.* qui ducta I*olante* secunda uxore, filia Regis Hierosolomitani, insuper stuprabat virginem reginæ agnatam, quam secum Hierosolima in aulam duxerat: quo facto rex nunquam deinde amplexus reginę expetivit, imo tanto odio habere eam cepit, ut injectis verberibus carceri eam inclus erit, unde mors non longe post ei accelerata est. *Villani in histor. Flor.*

Exemplum moniti hujus politici habemus in *Francisco Sfortia*, qui Picenum Eugenio IV. Pont. ademerat. Illę capitur amore puellæ, quæ inter virgines conjugi suæ serviebat; *Perpetua* vocata, apud Novarienses honestis parentibus orta, forma egregia & ingenuis moribus, nisi potentis Domini decepta blanditiis, virginitatem cum adulterio permutasset. Hæc cum jam paulatim intumesceret uterus, ad tegendum facinus quæsito qui eam duceret viro despondetur.

tur. Constituta nuptiarum die, sponsus in opido (quod à Francisci curia non longe inhabitabat) lætus adventum novæ nuptæ præstolabatur. Ducitur illa multis comitata nobilibus: Sed ingressa opidum , cum descendere in domum sponsi crederetur, jussa ulterius pergere, in arcem rapta est, nec ulterius infelici viro videndæ sponsæ copia fuit. Quod cum *Blanca*, Francisci conjux, Philippi Mariæ Insubrum Ducis filia cognovisset , submissis percussoribus, puellam interfecit. Franciscus licet commotus , uxoris tamen justo dolori ignovit: *Æneas Sylv. cap. 59. Europ.*

Contrarium placet adjicere exemplum: *Ericus* rex Daniæ, multis virtutibus & præsertim comitate ornatus, plurimas habuit pellices, quas etiam uxor ejus *Batilda*, ex diversis locis arcessitas, suis manibus comsit & ornavit, ut quum sua specie non poterat , aliena saltem marito placeret. Insigne nœ! muliebris patientiæ exemplum *Saxo lib.12, Cranc.lib.5. Daniæ.*

34 Ex eodem solo eademque regione raro solent admirandæ fruges , & strenui bello viri nasci. *Cyri dictum.*

E. Sibaritas in mediis convallibus positos , frugumque copia ac regionum amœnitate affluentes, delitiarum ac voluptatum infamia laborasse, Athenæus scribit, qui nec Solem orientem, nec occidentem unquam viderunt.

Livius de Macedonibus scriptum reliquit: Frigida hæc omnis duraque cultu & aspera plaga est, cultorum quoque ingenia terræ similia habet , ferociores eos & accolæ barbari faciunt , nunc bello exercentes , nunc in pace miscentes ritus suos. Contrarium affirmare quis dubitet, si *Italiam* & *Hispaniam* lustrare velimus? ubertas ibi

ibi rariorum frugum, fructuum, florum, herbarum; nec ulla virorum imbellia, ignaviave militum. *Italia*, ut malis aureis, punicis, diversa ficuum stirpe et olivis abundat, ita frumento à Sicilia, ex Oriente, et à Belgicis navibus, quod Gedano, Hamburgo habent, advecto vivit. *Hispania (tale est elogium Archiepisc. Toletani Roderici l.3. rer. Hispan.)* quasi paradisus Domini, vere principalibus fluminibus navigatur, Ibero, Doria, Tago, Ana et Bæti; montanis inter quælibet interjectis: mediæque valles sui latitudine deserviunt ubertati, et humore fluminum fæcundantur, et pro magna parte rivis et fontibus irrigantur. Sed et puteorum suffragia raro desunt. Fæcunda frugibus, amœna fructibus, deliciosa piscibus, sapida lacticiniis, clamosa venationibus, gulosa armentis et gregibus, superba equis, commoda mulis, privilegiata castris, curiosa vino, deses pane, dives metallis, gloriosa sericis, dulcis melle, copiosa eleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prælio, agilis exercitio, fidelis Domino, facilis studio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, frequens habitatorib. scribente *Botero*: nam olim Rex Granatensis contra Ferdinandum et Isabellam in aciem eduxit CCIↃ equitum. *Ælius Anton. Nebrissensis in decadibus* testatur, ex sola urbe Granata XXICIↃ pedites per septem portas effundi solitos. Sterilitatis hodie hominum in Hispania duas lubet dare rationes: altera est, bellum inter Mauros et Hispanos per aliquot sæcula gestum, quo sopito, insequuta sunt bella Africana, Neapolitana, Mediolanensia, Indica, Batava; quid hæc omnia non sanguinis hausere? Altera ratio est, quod Ferdinandi Catholici et Emanuelis Lusitaniæ regis edictis plus quam octingenties mille Hebræi ex regnis

regnis illis exacti, & in Turcarum oras deportati sunt.

35 Principum sacrilegia tandem à Deo puniuntur. *De Xerxe & Artyacta.*

E. Exemplum est in *Petro de Vineis*, qui cum esset à secretioribus Frederico II. Imperatori, suasit & author ipsi fuit destituto pecunia pro bello continnando, dum esset Pisis, ut templa thesauris opulenta exueret & spoliaret suis vasis aureis & argenteis, indeque æs fieri mandaret; consilio annuit Imperator sacris rebus manus admovens, templa nudavit suis donis. Hoc sacrilegum consilium auxit Petrus proditione in eundem suum herum, quem depravatus ab Innocentio Papa, ut fama erat, per Medicum tollere veneno volebat. Detecto autem scelere, quum instaret ægro Imperatori, potionemque suaderet sumere toxicatam, prægustare eam jussus Medicus effudit in terram medicamen. Petrus effossis ob id oculis circumductus, ne Pisanorum moreretur arbitrio, allisum columnæ cerebrum excussit. En divinam sacrilegii & proditionis pœnam!

EX LIBRO SALLUSTII DE REPUBLICA *Ordinanda.*

Seneca. lib. IX. Decl.

Cum sit præcipua in Thucydide virtus, hac eum Sallustius *vicit, & in suis illum castris cecidis. Item ex* Sallustii *senteutia nihil demi sine sensus detrimento potest.*

Quintil. lib. X. c. 1.

Sallustiana *brevitate nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius.*

Lipsius dedic. Taciti.

Sallustius *unus ex Triumviris (Cæsarem putat, Livium & Sallustium) illis est, qui feliciter consequutus videtur hac tria, ut adposite ad delectationem, oratione ad fidem, philosophice ad vitam dicat: & quem, si mei arbitrii res sit, in hoc lustro principem Senatus historici legere non dubitem.*



ÆPE prava, quam bona consilia facilius executioni mandantur quidem: nunquam tamen feliciter tandé succedunt.

2 Nobilitatis factio mature semper disturbanda, ad eamque rem efficiendam libertas populo proponenda.

3 Vectigalia, sumptus publici, & judicia forensia maxime moderanda.

E. Anastasius Imper. sustulit Chrysargyrum qui volebat, ut omnes fœminæ, pueri, servi, liberi nummum argenteum, nomine stercoris & urinæ fisco darent. Idem muli, equi, asini, boves, & canes penderent. Caligula ex capturis prostitutarum vectigal instituit, quantum quæque uno concubitu mereret. Lips. lib. 2. admir. cap. 3.

Illustres Ordines Hollandiæ temerarie litigãtibus depositam aliquam certam pecuniæ summam, & fisco commissã imponunt; quod & in curis Electorum Germaniæ observatur.

Rex Roboam consilia juniorum secutus, cum majora tributa subditis imperasset, & crudeliorem se patre futurum propalam minatus esset, decem tribus ab eo defecerunt, novo Rege creato. Vectigalia vero, si modo necessaria sunt probanda, quæ in omnes ordines pro singulorum facultatibus exæquantur, ut salis, vini, cerevisię & quæ sunt ejusdem generis: earum vero rerum quæ minutatim væneunt, vectigalia prohiberi oportet, ne mancipes plebem ad seditiones incendere possint. Bodin. lib. 6. de Repub. c. 1.

4 Plebs oppressa, & spoliata, se, & Rempub. facile venalem habet.

5 Malum facinus in se committit, qui incommodo Reipublicæ sibi gratiam conciliat.

6 Pecuniæ studium imminutum multas turbas imminuit.

7 Iudices & Magistratus a paucis eligi & probari est regium: eosdem autem ex pecuniæ censu legi, est inhonestum. *Rhodi pauper & dives æque judicat.*

E. Theodosius & Valentinianus Imper. recte

sanxerunt, ad provincias regendas hujusmodi accedere oportere, qui ad honoris insignia non ambitione vel pretio, sed gratis & probatæ vitæ, & amplitudinis præsidis provinciæ eliguntur testimonio, qui gravitate morum antecellunt, & habent peritiam rerum publicarum. *L. sançimus* C. *ad leg. Iul. repet.*

8 Vsque eo prosperum est imperium, dum in eo vera consilia valent. Vbi gratia, timor, voluptas, avaritia illud corrupere, primum imminuuntur illius opes; deinde etiam ipsummet imperium adimitur ac perit.

E. Hieronymus de *Roma* scriptum reliquit. Vrbs potens, urbs domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum: *Roma* aut fortitudinis nomen apud Græcos est, aut sublimitatis apud Hebræos. Serva quod es: virtus te sublimem fecit, voluptas humilem. Ammianus. *Roma* ut augeretur sublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ convenit virtus atque fortuna, quarum si altera defuisset: ad perfectam non venisset summitatem. Florus. Ad constituendum Romanum imperium virtus & fortuna contendisse videntur. Livius lib. I. Romana Republica, nulla unquam Respub. major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam sero luxuria, avaritiaque immigrarunt, nec ubi tantus ac tamdiu parcimoniæ ac paupertati honor habitus fuit. *Iugurta* cum corruptorum Senatorum copia Vrbem Romanam aliquando abundantem vidisset, exclamando dixisse fertur: *O venalem urbem, & cito perituram, si invenerit emptorem!* Recte *Epaminondas*, qui cum ei rex Persarum tria Daricorum millia misisset, acerbe Diometontem objurgavit, quod tantam navigationem ipsius

cor-

corrumpendi gratia confecisset, Regique renuntiari jussit: Se ei gratis amicum fore, Thebanorum commodo studenti: in commoda autem eorum meditanti, hostem.

9 Imperium & consiliis fortibus, & prœliis felicibus] retinetur.

10 In tyrannide ita bonum, malumque publicum existimatur, ut eorum, qui dominantur, simultas, libido, & arrogantia fert.

11 Bellicoso populo quies diuturnior nocet: justa tamen bella semper esse oportet, quæ suscipiantur.

E. Romani quanquam Faliscorum obsidionem rem longi temporis & immensi laboris esse haut ignorabant: tamen ne domi resides tribunitiis concionibus ad res novas impellerentur, quibus nulla ex honesto spes, & omne in turbido consilium: implicari quamvis difficili bello populum satius duxerunt, & hoc remedio plerumque utebantur ad motus turbulentos ex civitate ejiciendos, *ut Plutarch. notat in* Camillo.

Dionysius Syracusarum tyrannus, grave otium regno suo ratus, copias in Italiam trajecit. *Iust.* 20. *Scipio Nasica* Romanis dissuasisse videtur excidium Carthaginis, quod conjiciebat ROMAM ad belli tantum munia institutam & factam, in pace ocioque ruituram.

Scipio Carthaginem delere noluit, cum prospiceret aut futura bella civilia, aut Romanorum inertiam, cum hostes quibus cum de virtute certaret, Carthag. deleta, nullos esset habituri.

Itaque Q. Metelli alta & gravis in Senatu Romano fuit sententia, qui devicta Carthagine, nescire se boni ne plus an mali Reipublic. illa victoria attulisset, asseveravit. Nam ut pacem restituendo profuisset, ita Annibalem submo-

vendo nonnihil nocuisset, transitu enim ejus in Italiam dormientis Pop. Rom. virtutem excitatam, metuique debere, ne acri æmulo liberata, in eundem somnum relaberetur. Vnde Lipsius: Romanis plus nocuit Carthago eversa, quam adversa. Hinc recte cum *Forstn.* concludo: non in militia modo & castris salutaris cautio est, labore subigere militem: sed in universum inter singulares publicæ tranquillitatis tuendæ modos & hic traditur, expeditionibus bellicis occupatos tenere subjectos populos, ne in alia facinora ociosus ardor erumpat.

EX TITI LIVII DECADIS PRIMÆ

Libro primo.

Titi Livii *ossa anno Christi* CIↃ CCCC XIII *Patavii in plumbea capsula ad D. Iustinæ ædem fuerunt reperta, & insigni pompa in forum judiciorum ad occidentalem partem reposita, cum effigie & inscriptione* IV. *Imp. Cæsaris anno vita excessit, ætatis suæ* LXXVI. Merula par. 2. Cosmog. lib. 4.

Pontanus.

Ut nullus post M. Tullium extitit, qui impievit aures audientium, in foro, in Senatu in Populo, Orator, actorque causarum. Sic inventus post Livium *nedum est ullus, ex cujus ore in rebus bellicis terribilem sonitum dederit tuba, nec ut vaticinor, ex alicujus ore datura est, post multa etiam sæcula.*

Casaub. in præfat. Polybii. *Magnus auctor* Livius. *Lactea quadam ubertate dictionis divinitus facundus, amans virtutum, osor vitiorum, rerum togæ, rerum sagi, & si non ex usu, neque experientia, egregie tamen peritus, denique si quid judicio, hoc solum ingenio (de histor. loquor) Pop. Romanus par suo imperio habuit.*

Laxioris licet styli, egregiæ tamen eloquentiæ & frustra Patavinitatem sapere creditus Historicus. Dempsterus.
Lipſ. lib. I. Polit. monit. c. ult. *Alphonſus Rex Neapolitanus legit aſſidue:* Livium & Cæſarem *maxime, nec dies fuit, ut familiares tradiderunt, quin his inverſaretur.*



MAGNORUM Imperiorum initia, quanquam ſæpe fuerunt exigua, atque hominum judicio ipſa ex ſeſe contemptibilia, ſemper tamen aliquam extraordinariam, & peculiarem Dei de primis illorum imperiorum conditoribus, & generalem ejuſdem Dei de genere ipſo humano curam & providentiam oſtendunt, certiſſimaque utriuſque teſtimonia continent. *Sic Romani Imperii initia & ſordida & inſperata, & generalis & peculiaris providentiæ Dei de genere humano argumenta habent.*

E. VENETÆ Reipub. initium incidit in ea tempora, quibus Roma indomitarum nationum impetu, quæ quaſi Orbis ſua ſpolia inde repetitum venerant, de ſuæ opulentiæ & dominii faſtigio dejecta eſt: qua tamen gravi procella nihil calamitatis novæ iſti civitati affuſum eſt. Vbi Attila vaſtitatem Italiæ faciebat tum hi ſedibus ſuis exuti, primi intimos iſtos Hadriatici maris ſinus, paludeſque occuparunt. mirabilis urbs non dominationis, ſed ſalutis defendendæ ergo condita: cives arma quæ fugerant, procul habendo, animum ex ſitu loci ad mercaturam & navigationes, ut divi-

divitias cumularent, applicuere. Vnde factum, ut DEI providentia hoc Optimatum imperium sanctis moribus eo excreverit, ut huic Reipub. post mille ducentos annos non illapsa fuerint mala, quibus perturbata atque eversa est ROMA. Scit siquidem *Veneta Respublica*, civilibus & militaribus legibus florens, sumere & ponere arma: scit perfectissimis suis constitutionibus pacem non arma; quietis conservationem, non imperii amplificationem esse fundamenta Reipub. duraturæ.

2 Florentium Imperiorum ruinis Deus utitur ad alia Imperia, & præsertim magna, in orbe excitanda; ac proinde hæc fere non exoriuntur, quin illa priora ruant & evertantur. *Sic ex Trojanorum Imperio everso* Deus *multa alia ædificavit.*

E. Ruina regni Lusitaniæ fuit accretio Hispaniæ, cujus potentia hodie tam magna & omnibus suspecta, ut vix rex Hisp. se moveat, quin universus orbis, omnesque gentes arma induat.

3 Nulla fides regni sociis: itaque semper infida est duorum in eodem imperio eodem tempore Principum pax, & concordia. *Sic Romulus Remum fratrem occidit. Idem Romulus Tatium Sabinorum regem.*

E. Cum Crœsus Lydis imperaret, & fratrem in consortium imperii assumsisset, quidam accedens ex Lydis dixit, Omnium in terra bonorum author est Sol, neque quicquam extaret in terra Sole non illustrante; at si gemini Soles forent periculum immineret, ne omnia conflagrando pessum irent.

Alexander Mag. Darii Legatis respondit, cum peteret ab eo admitti in dimidietatem regni; Mundum duobus Solibus non posse regi,

nec regna duos reges saluto terrarum statu posse habere.

4 Rudes ac feroces populi prius meliusque Religione, quam legum metu cicurantur, & in mutua societate, officioque suo continentur: verum proximum est post religionem inter eos constitutam jura quoque & leges iisdem æquissimas scribere. *Sic Romulus primum sacra, deinde jura condidit collectæ à se multitudini.*

E. *Ochus* Artaxerxis filius, percunctante filio natu maximo, qua industria, quibusque artibus regnum per tot annos tutatus esset, ut ejus rei sciens factus domesticum exemplum imitaretur *Pietate dixit in Deum, justitia erga homines.*

Pop. Romanus omnes quidem virtutes, sed omnium maxime justitiam atque fidem colendo, tam publice, quam privatim ad tantam dignitatem pervenit. Itaque Virgilius cum alias artes, aliis gentibus concedat, Romanis Reipub. regendæ scientiam tribuit dum ita scribit:

Tu regere imperio Populos Romane *memento,*
Parcere subjectis, & debellare superbos,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem.

Plutarchus in vita Romuli: Romulus Iulium Proculum virum inter primæ nobilitatis patricios, ire jussit ad Romanos, ut iis diceret, fore si fortitudinem, temperantiam justitiamque coluerint, at omnes mortales potentia superaturi sint.

5 Vt novis Regibus veneratio, & augusta dignitas apud populus illi subditos, præsertim agrestes adhuc et feros, accedat, est Regibus aliquis externus decor ex vestitu, satellitio, comitatu circumponendus, ac maxime qualis in vi-

cinis

cinis aliisve regionibus & Regibus esse solet, quorum majestas babetur sacrosancta. *Sic Romulus Apparitores, id est, XII. Lictores, sellam curulem, togam prætextam sumpsit ab Hetruscis.*

E. *Henrico* Polonorum regi Lutetiam intranti, jubet *Carolus* IX. Gall. rex, festivissimi ut aulicorum civiumque occursent. est omnis juvenum elegantia in apparatu. aureo hic panno fulvescit, argentio ille inalbescit, serico alii varie induuntur. cuncti fulgent, unquento madent; referuntur ista Valesio: armatus, inquit, intrare volo decente victorem cultu: (veniebat Rupella redux sed ea non expugnata) censebitur ista mollities in manubiis triumphi plerique vero, ut nuper moscho, sic toti nunc pudore suffusi, sericum ferro mutant. Valesias in ferro Lutetiam intrat. O quam reverenter Poloni regem suum exosculantur! quis principem in armis assiduum non vereatur inermis & nudus?

Sossius in vita Henrici III. Sed egregie fefellit gentem istam opinio, dum Equum è stragulis & phaleris æstimarunt.

Germanicus apud Tacitum laudatus libr. 2. annal. quod visu & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam et arrogantiam effugeret.

6 Quæ regni Metropolis in novis Regnis et Imperiis designatur, est ampla condenda, et conditi munitionibus firmanda: et ne illa urbis amplitudo vana sit, adjicienda multitudo, vel ex victorum populorum multitudine, vel proceribus in eam translatis: vel vicinis ad eandem ex multa benignitate, et privilegiorum prærogativa invitatis. *Sic Romulus Romam auxit.*

7 Collecta multitudine promiscua, ut corpus

pus illius confusum ordine inter se coalescat et cohæreat, vivatque tum inter se concors et tranquillum, tum adversus extraneos hostes tutum, est ex ea multitudine primum Senatus deligendus, qui pacem domi tueatur: Deinde milites qui bellis vacent, describendi. *Sic Romulus & Senatum, & Centurias equitum conscripsit.*

E. Vnde Senatores apud Romanos veluti præsides & custodes justitiæ tantæ auctoritatis fuere, ut si Populus regem aut magistratum quempiam elegisset, id sic ratum esset, ac si Senatus auctor fierut. Leges quoque à Populo latæ haud aliter ratæ fuerunt, quam si Patrum consensu approbarentur. Alexander ab Alexandr. libro I V. genial. dier. cap. 8.

Theopompus Rex Lacedæmoniorum, cum Ephoris imperium daret, & Senatus auctoritatem foveret, uxori quærenti, cur suas opes à Senatu imminui pateretur? respondit: Ista quidem ratione stabiliores & magis diuturnas fore imperii vires.

Simile præceptum legitur in vita M. Aurelii Imperatores dum inquit. Nulla re magis gloriari animosos & generosos Principes decet, quam quod viros strenuos & militares, finium propugnatores, viros insuper egregie prudentes, Reipublicæ consiliarios & gubernatores habeat.

8 Magna Imperia non nisi ex vicinorum ruinis primum crescunt: quibus in suam potestatem subactis, aliorum populorum etjam remotiorum ruinæ sequuntur, & ab iisdem imperiis fiunt; Ac proinde & vici-

ni

ni & remotiores populi debent conjunctis viribus emergenti illi potentiæ & futuro terrori mature sese opponere. *Sic Roma crevit.*

E. *Mamaluchi* Ægyptum & Syriam trecentos annos tenuerunt, magna scientiæ militaris fama, & vicinorum populorum terrore. Quippe domesticum militem legebant à prima pueritia, ac pene infantia raptum ad arma, atque educatum multa victus abstinentia, tolerantiaque laborum & militarium operum ex actione eo rigidiore, quia & ipsi duces ante tolleraverant. In demortuorum locum succedebant non filii, aut sanguine propiores, sed quos indoles & corporis animique robur bellicæ fortitudini idoneos fecerat. Hi, quorum numerus 18000 non excedebat, invicta bello manus, vicinas nationes domuerunt, Arabes fregerunt, in prœliis cum Turcis aut raro aut nunquam succubuerunt, donec anno 1518 à Selymo Turco & militia & nomen Mamaluchorum extinctum est. *Iovius in Selym. Guicciard.* 13. *hist.*

Turci, publica orbis lues, solis armis & militia in tot regnorum excidia evaluerunt. CXLCIƆ equitum, quos *Spahos* vocant, perpetuo alunt; quorum LXXXCIƆ in Europæ finibus, LXCIƆ in Asia continentur. Iis agri (Timaros dicunt) assignantur, ex quorum proventu equos in bellum expeditos sustentare queant; nec ob id quidquam regiis thesauris decedit. Reliquis, qui XVCIƆ censentur, ære publico stipendia persolvuntur. Pedestrium copiarum robur in prætorianis, qui *Ianizari* vocantur, situm est. Hoc robore invictum hactenus Turcorum imperiũ stetit. Vtinã! Vtinam

Vtinam essent vigilantiores Germaniæ principes, quibus illud imperium ereptum est, ut quod intestinis suis dissidiis & nimia militum licentia jam ad ruinam propendet imperium, conjunctis viribus irent principatum. At quæ consilia? cum jam Hannibal est ante portam, tunc vix ferrum nedum aurum adest, quo barbarus miles averti posset. Norunt hoc Turci. Cum *Mahumetes* vereretur, ne Occidentis Principes Constantinopoli à se obsessæ auxilia submitterent, *Sogam-Bassa* ei his verbis metum dempsisse dicitur: Nosti, Domine, Italorum Principum polyarchiam facere, ut anarchi sint, nec concordes esse possint. Multa quidem illi ratiocinantur, consultant, decernunt, sed horum nihil aut parum exsequuntur; & quod hodie volunt, ejus cras pœnitet. *Georg. Phranzes Protovest.* III. *hist. Constant.*

9 Magna Imperia armis potius & bellis in vicinos, quam pacis artibus & concordia cum vicinis firma et immota crescunt: Itaque illa solent maxime rei militari se suosque cives addicere, eamque artem exercere. *Sic Romana res crevit.*

E. *Roma* urbs super arma fundata, armis provecta, armis stetit. Ex facili hoc fuit, nam primis suis initiis Assyriorum & post Persarum Macedonumque arma procul habuit: contra cum Italia in plures populos, quorum quisque sui juris erat, divisa esset, facile ei fuit, quosdam armis alios fœdere et societate continere, ne incipienti, & deinde adolescenti potentiæ intercederent. Hoc pacto crevit ROMA, tantamque gloriam à re militari adepta est: verum si florente militia scivisset è re sua fore non negligere civilia instituta, haut dubie fuisset via non ad interitum sed

ad

ad conservationem Reipub. Eapropter *à solis armis magna sed brevis potentia: à pacis studio parvum sed fidum & diuturnum est imperium.*

10 Vana est sine viribus ira. Itaque quantumvis injuria sit imbecilliori populo facta, illa tamen ab imbecilliore est vel dissimulanda: vel demum vicinorum viribus adjunctis (ut pares esse possint potentiori) ulciscenda. *Sic Caeninenses praecipites à Romulo victi.*

E. Cum anno 1534. Clemens Papa sententiam tulisset contra Henricum VIII. Regem Angliae, quod male divortium fecisset cum Catharina Regina, quae matertera erat Caroli V. Imperat. eo quod illa prius fratri Arturo desponsata fuerat ducta Anna Bolenia. Rex continuo decretum fecit, quo se per Angliam ecclesiarum caput proximum à Christo pronuntiavit, & capitis poenam constituit, si quis Episcopo Romano supremam potestatem ecclesiarum adscriberet, tributum etiam annum (Petri nummum vocant) Romani Pont. quaestori solitum dari denegavit, sacrorumque templorum bona Episcopatus Canonicatus, abbatias & alia beneficia ecclesiastica partim sibi vendicavit, partim inter proceres et nobiles regni sui distribuit. *Belgium* nostrum, nec auditis querelis, imo de capitatis proceribus, tulit injuriam Hispani: at dissimulatis ante-actis, adscitis ex Anglia & Palatinatu auxiliis, egregie se ultum ivit in Regem Hispan.

11 Novi Reges & strenuum quidpiam praesertim in bello gerere debent, quo se novis subditis commendent: & rerum à se strenue gestarum magnificam laudem et monumenta relinquere. *Sic Romulus spolia ducis Caeninensium Iovi suspendit, & pro victoria parta templum aedificat.*

E. Novum

E. Novum exemplum habemus in Victorioso Roge Pol. Vladislao; primissimo regni aditu Moscovitas ad scabella habuit. Lectori offero historiam rei à nobiliss. Petricio descriptam, à qua non nisi cum augmento doctrinæ abibit.

12 Qui populi per se & singuli sunt vicino hoste imbecilliores, pessime sibi consulunt, & exitium suum accersunt, dum singuli & seorsum adversus eum bella suscipiunt & gerunt. Iidem autem conjuncti & collecti facile eum vincunt. Itaque societas, & unio illis omnino servanda est, si modo salvi esse velint. *Sic Anciates, sic Crustuminii, sic Ceninenses victi. Sic Latini à Tarquinio Prisco singuli domiti.*

E. Græci sejuncti sic deleti. Nostro sæculo *Vniones* Germaniæ disunitæ exitio sibi fuere: nupere, *Lipsienses* conjunctiones, dum seorsim contra pacta in exercitus iverunt, suæ ruinæ fuere auctores. Contra, *Belgium* pro aris & focis, LXX annos & amplius unitum militans, Hispanum viribus longe superiorem subvertit; & hoc vigilanti *Auriaci* Principis oculo:

13 Merito proditor patriæ etiam ab hoste ipso, cui eam prodit, necatur. *Sic Tarpeia occisa à Sabinis.*

14 In medio certamine, laborante acie, vota legitima Deo pro victoria concepta postea à victore sunt Deo reddenda. *Sic Romulus Iovi Statori votum persolvit.*

15 Mulierum utrique aciei notarum & dilectarum interventu sæpe bella gravissima sopiuntur. *Sic Sabinæ conciliant Romanos & Sabinos.*

16 Legati jure gentium sacrosancti. Itaque propter eos violatos juste bellum suscipitur. *Sic Tatius occisus à Laviniis.*

E. Livius.

Livius libro 40. ait : Violatur jus gentium, violatione legatorum, & violatione induciarū.

17 Celeriter vicinorum populorum contra nos motibus, incursibus, bellis & injuriis est occurrendum. *Sic Romulus Fidenatibus & Vejis.* Alioquin enim in contemptum apud eos adducimur, & illi audentiores fiunt. *Sic Tullus Sabinos praeoccupat.*

E. Notandum contra *piratas Dunkerckanos*, qui oberrando à Gadibus in Hellespontum fere Danicum, quas non faciunt incursiones deprædando naves, quas non injurias regibus & populis maritimis inferunt ? celeriter tamen his erat resistendum & primę vires in cineres redigendę : modo illi audentiores facti à periculis, & potentiores à nostris spoliis, nostris gladiis nos jugulant, nostris navibus nos infestant; nec tantum inde contemtus, sed extrema Reipubl. nostræ imminet ruina.

18 Victi populi vel in regiones nostras sunt transportandi & dividendi : vel agri sui parte multandi : vel firmis coloniis in eos deductis continendi. His enim modis tribus fit maxime, ne illi facile rebellare possint. *Sic Romani egerunt.*

E. Addiderim *quartum modum*: nim; *vel plane patrio solo sunt ejiciendi.* Hunc modum observat *Hispanus*, trajiciendo Mauros & Iudæos è Lusitania in Africam. *Ferdinandus* II. Imperat. victos Bohemos exuit terris, & in exilium abegit, eorum loco ex Italia & Hispania colonias reponens.

19 Novis & dominationis insolitis populis ac ferocibus, eorumque præsertim Proceribus, fere intolerabilis est primorum Regum suorum fastus, superbia, & comitatus, si quem habent ter-

terribilem subditis. Itaque ab illis propterea occiduntur Reges. *Sic Romulus occisus ob trecentos armatos quos ad custodiam corporis, & formidinem populi sibi circumposuerat in pace & bello.*

E. Dexterius exemplum non invenio præ *Henrico* III Gall. incarcerari & curavit; utque terribilis esset in conatibus suis tyrannicis, adscripsit satellitio suo XLV crudeles percussores, (quos appellabat *Coupps-jarretes*, id-est, poplitum amputatores.) Horum opera usus est in trucidandis binis *Guisiis*, ut habent Ephemerides: Deinde iidem ubi intelligerent quendam non adprobare regis facta, clam eum abscisso capite è medio tollerent, pro capite præmium constitutum erat, corpore in flumen abjecto. Vnde Ligeris & Sequara fluvii visi sunt abundãtes sæpe multis nudis hominibus, qui capite truncati non dignosci poterant: quilibet vero ex suis aliquem perdens facile hoc martyrio sublatum obiicere poterat; metu tamen similis martyrii tacere necesse habebat. His actis odium populi & tandem monarchi lethales manus experto est.

20 In novo Regno seu Principatu caveant Proceres, ne plebem impotenti fastu, aut sævitia, aut inhumanitate perterreant, vexent, aut irritent. Facile enim tunc seditiones, & quidem periculosissimæ, nascuntur. *Sic Senatus populo defert jus eligendi Regem.*

E. Factus & sævities *Albani* non solum seditiones conciere in Belgio, sed ipsius Domini, Hispan. regis ab dicationem & ejurationem, Contra mansuetudo animi, oris dulcedo, morumque suavitas Illustris D*omus Nassavicæ*, quæ universa fere jam in Belgio felices sedes habet, populum Belgicum ad se traxit, & indies trahit adhuc

adhuc, ut gens hæc meritis Principis Frederici-Henrici mota, filium Guilielmum successorem Patri, quem Deus florentem & triumphantem longes annos velit, nominarit & designarit. Anno 1631. M. Aprili.

Timoleon laudatus dux, qui Dionysio Sicilia ejecto in illustri gloria vixit, de quo ita Probus. Nihil unquam neque insolens neque gloriosum ex ore ejus exiit. Qui quidem cum suas laudes prædicari audiret, nihil aliud dixit, quam se maximas in ea re Diis gratias agere, quod cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent.

Fastuosos vero principes Plutarchus taxat in commentario ad Principem indoctum. Qui mentem non habent principes, inquit, imperitos statuarios imitantur, qui existimant colossos suos magnos & venustos futuros, si tibiis quam maxime diductis & inflatos & hiantes fecerint, sic isti et gravitate vocis, et torvitate aspectus, & morum asperitate, et insociabili quadam vita, dignitatem et majestatem imperantium evprimere se censent.

21 Regum electio fit Senatus et populi communibus suffragiis et consensu, invocato Dei nomine. *Sic Reges Romani electi.*

E. Veneti hoc nomine laudandi, quod, nunquam, nisi auspicio precum publicarum, aliorumque piorum operum deliberent de Principe eligendo, aut aliis de rebus magni momenti.

22 In Regno electivo ij sunt sive ex indigenis, sive extraneis in reges eligendi, qui optime ipsi regno prospicere possunt; ac proinde qui et piëtissimi, et justissimi inter omnes mortales audiunt. *Sic Numa, sic Ancus Martius: sic Tarquinius Priscus electi Romæ.*

23 Magnas

23 Magnas victorias magna & diuturna pax sequi solet. *Sic 40. totos annos pax Romæ post Romulum bellatorem etiam mortuum.*

E. Modo pax post victoriam quæratur, alioquin contrarium sequi potest, quod apparet ex Hannonis consilio: Magone enim Cannensis pugnæ exitum Senatui Carthaginensium nuntiante, inque tanti successus fidem aureos annulos trium modiorum mensuram explentes, fundente, qui interfectis civibus Romanis detracti erant: quæsivit an aliquis sociorum post tantam cladem à Romanis defecisset, atque ut audivit neminem ad Annibalem transiisse, suasit ut protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur, cujus sententia si valuisset, noque tertio Carthago deleta fuisset. Quid hodie de victoriis in Germania ultro citroque exspectemus? quot victorias obtinuit domus Austriaca? quot Principes cōtra? ubi vero pax? neutra pars eā quærit: metuēdū ne intēperantia armorū, artiumque pacis seu ignoratione, seu neglectu, tandē amissa omni libertate fiamus præda Turcis.

24 Non est permittendum, in novo præsertim Principatu, ut cives seu subditi nimium diu armis & bellis assuescant: nam ferociores fiunt, ac proinde dominantur, ac parent postea difficilius. *Sic Numa Romanos ab armorum tractatione revocavit.*

25 Est boni Principis religionem primum omnium constituere, præsertim pace sibi ab hostibus pacta. *Sic Numa.*

E. Laudandum est institutum Imp. Caroli V. qui anno 1555. in Comitiis Augustanis in omnibus imperii regionibus, urbibus & locis liberam permisit Augustanæ confessionis religionem, & decrevit, ut omnes ejus religionis socii bonis, facul-

facultatibus, possessionibus, vectigalibus, privilegiis, atque juribus libere & pacate possint uti frui. Sleid.lib. ult.comment.Hoc placitum Imp. Caroli V.vulgo indigitatur *Der religions frieden:* quia vero Passavii renovatum est, vocatur *Der Passavvische vertrag.*

26 Regis pietas plurimum valet ad inserendam subditorum animis pietatem. *Sic Romani sub Numa.*

E. Eduardus sextus Angliæ rex cum in reformata religione recte institutus esset, ipse hanc Euangelii sanam doctrinam in regno suo propagavit, protexit, & tutatus est, & doctis & piis ministris Euangelii gratia exulantibus hospitium & patrocinium præbuit evocatis ex Germania Theologis, Martino Bucero, Petro Martyre, Fagio & aliis, ut ecclesiæ & Academiis præessent. an. 1553

27 Magna imperia facile nimio pacis otio labascunt; vel in mutuas seditiones excitantur, si hostis externus omnis abest. Itaque prudentes Principes curant, ut justæ bellorum causæ suis non desint, quas non cunctanter accipiunt. *Sic Ancus Martius post Numæ mortem.*

E. Regni *Hispaniæ* arcanum est, quod Hispani & natura sua & arte Regum, quibus otium sibi periculosum amovere, & externa arma continuis bellis procul Hispania tenere curæ est, assueti sunt odisse otium, tractare arma, & perpetuo militiam sequi. *Gallis* vero, teste Colinio, hoc insitum, ut cum hostem extra fines non habeant, in commilitones ac concives suos sæviant, & omnis pacis artes perosi scelerata mente viatores hostiliter aggrediantur. *Thuan. lib.* 51.

28 Iustum est bellum quod propter res nobis captas, repetitas, & non restitutas suscipitur. *Sic Romani adversus Albanos.*

E. Helve-

E. Helvetii gravissimum, bellum susceperunt adversus Carolum Audacem Burgundionum ducem, quod non aliter quam ipsius Ducis occasu finem accepit, quia Helvetiis currus pellium ab eo per vim ablatus erat.

29 Cum semper periculose, tum vero sæpe inutiliter summa rerum duorum vel plurium duello in bello committitur. Nam victi fidem non servant: neque magnam propterea plagam accipiunt. *Sic Metius Suffetius non servat fidem Tullo.*

E. Recte *Guicciard. in hypomn. Polit.* 186. Controversias singulari certamine derimere, turmales magis equites, quam Principes decet.

30 Nemini, quantumvis egregio viro, licere debet impune leges violare. Neque enim benefacta sceleribus sunt compensanda. *Sic Horatius victor à Romanis damnatus.*

31 Strategema est, quæ in certamine à transfugis nostris perfide fiunt, ea dicere fieri nostro jussu. *Sic Tullus Albanorum defectionem irritam fecit.*

32 Æmula nostro imperio urbs diruenda ubi capta est: nec superestes relinquenda, ut tuti potentesque vivamus. *Sic Alba diruta à Romanis.*

E. RUPELLA non æmula imperio sed libertatis amans, qua tamen nunquam gavisa est nisi indultu Regum suorum, à quibus & privilegiis & juiribus affatim munita stetit, floruit, non potuit, ubi anno CIↃ IↃXXIX à rege non vi sed fame caperetur, maleferiatorum quorundam consilio amplius stare, sed dejecto quidquid fortalitii fuit, ex asylo reformatorum, hodie pagus manet sine muris, sine portis, at nescio num res Gallicæ futuræ sint in tuto destructo hoc munimento,

mento, quod erat frænum Hispano. *Corporis sui viscera lacerare est furiosi hominis.*

33 Bella ante res per justos feciales seu legatos repetitas juste non suscipiuntur. *Sic Romani repetere soliti.*

34 Bella justa ex totius Senatus seu Reip. ordine decreto, non autem ex unius Regis arbitratu suscipiantur. *Sic Ancus Martius suscipit.*

E. Hinc Principes qui alienis consiliis neglectis, proprio judicio freti, res magnas sunt aggressi, nunquam vel rarissime potiti sunt gloria sperata. Perdidit hoc *Carolum Burgundum*, uno atque altero prospero successu elatum atque inflatum. Culpatur idem in ejus æmulo *Ludovico* IX. rege Galliæ. Hocque sacrastice satis illi exprobravit quidam, dicens; Regem totumque consilium parvo equo vehi.

35 Feroces populi carcerum & pœnarum ob scelera statutarum metu domantur, & in officio continentur. *Sic Ancus carcerem extruxit Romæ.*

E. Maximilianus I. Imper. cum esset Norimbergæ, rogavit unum ex Senatoribus, quomodo tantam multitudinem tam fœliciter regerent; respondit ille, Serenissime Rex, blandis verbis, & severis pœnis. Fuit sapientissimum responsum hominis ingeniosi. Sic enim debent esse imperia constituta, ut magistratus bonos & ingenuos cives verbis ac rationibus regant, & in officio contineant; malos ac improbos gravibus mulctis atque pœnis coerceant. Norimberga à sua prudenti gubernatione dedit Venetis hoc elogium: *Omnis Germania est cœca, sed Norimberga videt uno oculo.*

Illustre exemplum nobis dant ergasteria hinc inde in Hollandia exstructa pro coercendis vagabun-

gabundis; A*mstelrodami* legimus ejus inscriptionem *: Virtutis est domare, quæ cuncti pavent:* illud exstructum est anno 1595 ex claustro monialium ordinis Clarissæ: cui adjunctum est aliud, sed separatum anno 1603 exstructum Et ut coerceatur sequior sexus, erectum est aliud alio loco anno 1596 cujus inscriptio talis.

Schrickt niet ick vvreeck geen quaet, maer dvving tot goet,
Straff is myn handt, maer lieflick myn ghemoet.

35 Peregrini potentes ut in alieno solo colantur, benigni sint erga quosvis, & comes., ac præsertim erga Reges obsequiosi. *Sic Tarquinius Priscus Romæ commendatus.*

E. Hac facie hodie Florentiæ durant *Dux Guisius* cum sua familia, nec non C*omes Warvvicensis* Anglus; uterque mutato natali solo obsequiosi sunt in aula magni-ducis.

37 Novi Principes quoscunque novis dignitatibus ornant, sibi obligant, faciuntque eos suę factionis. *Sic Tarquinius Priscus centum legit in Patres, qui ipsi faverunt.*

E. *Henricus* III. *Gall. Rex* anno CIↃ IↃ LXXIX, quo erat ingenio, vetera fastidiens, & novorum cupidus, obsolescente conchiliato ordine, novum equitum collegium à se institutum ac nomine S. Spiritus nuncupatum solemni lustratione celebravit. *Thuanus* centenarium numerum collegio adscribit, dicto anno. His dignitatibus obligabat hos equites contra hostes suos Ligistas, ut aucti legione satellitum fidelem sibi operam præstarent, si quæ turbæ & seditiones, quæ fuso jam attextæ fuerant, oborirentur. *Ephem. de* Henrico III.

38 Novus & peregrinus Princeps electus, sibi aucto-

auctoritatem conciliet, & imperii fines dilatet, & ornet principatum sibi ab indigenis delatum.

E. Hoc vere prędicari potest de Comite Mauricio Nassavio, qui tempore suæ Gubernationis, magnam Transisulaniæ partem, Comitatum Zutphaniæ, Dominium Groningense, & Lingensem Comitatum, Geldriæ, Brabantiæ, Flandriæ, & Hollandię aliquot urbes ab hoste recuperavit, & illustrium Dominorum Ordinum fœderatarum provinciarum imperio adjecit. Nec aliena exempla habemus in regibus Poloniæ & Sueciæ; illi Moscovitis ademerunt quo Poloniæ regnum augerent, hi Livonia imperio suo adjecta fines Sueciæ dilatarunt.

39 Pro ratione hostium, quibuscum assidue nobis bellum est, vel equitatus, vel peditatus augendus est. Neque enim exercitus justo utriusq; numero destitutus magnopere utilis est. *Sic Tarquinius Priscus centurias equitum auxit.*

40 Perterritis hostibus & victis instandum, neque eis consulendi, aut sese colligendi spatium dandum est. *Sic Tarquinius Priscus Sabinos victos urget.*

41 In Regnis electivis prædecessorum regum liberi præteriti solent fere in alios electos Reges esse iniquiores, adeo ut facile contra eos conjurent. *Sic Anci Martii filii in Tarquinium conspirant*

42 In regnis electivis qui unicus Regis gener est aut adoptatus ab eo, videtur, jam quodammodo designatus successor : imprimis si idem jam prædecessore illo suo vivo, aut celata ejus morte, munia regis obibat. *Sic Servius Tullius gener Tarquinii Prisci.*

43 In novo Principe invidia regni, quasi præ-

ter jus occupati, facit omnia illi infida & infesta, etiam inter ipsos ejus domesticos, qui sic audit. Itaque tutissima est Regum securitas, legitima adepti principatus ratio, & ex omnium consensu. *Sic Servius Tullius Rex occisus. Sic Tarquinius Superbus ejectus.*

E. Non opus hic expedire vela historiarum; præ oculis est BOHEMIÆ regnum, quod jure vel injuria occupatum infestum est possessori, infidum dicunt alii. Nulla est Principi securitas, ubi armorum non animorum consensu principatum obtinet.

44 Optima & saluberrima futuro imperio & augendo et conservando ratio, qua pacis bellique munia dividuntur, ab unoquoq; commode subeuntur, census subditorum, id est, cum non viritim. sed ex habitu pecuniarum, classes centuriæque civium describuntur, & cuique pro ratione facultatum, munia illa & arma indicuntur. *Sic censum Romæ instituit Servius Tullius.*

45 Initia turbandi magna imperia à feminis primariis (velut Reginis) protervis & ambitiosis sæpe oriuntur; ac proinde illæ sunt mature vel cohibendæ, vel de imperio deponendæ, ut quietum sit imperium & Respub. *Sic Tullia filia Servii Tullii turbat Rempub. Romanam.*

E. Hujus rei triste exemplum experta est Gallia, in *Catharina Medicæa*, Galliæ regina, Henrici II. uxore, quæ propter crudelitatem & persecutionem institutam contra religionis reformatę homines, nec non ambitionem, misere regnum Galliæ vastavit & afflixit; ut vere & scite à Gallis dicatur, Mediceam familiam in insignibus gestare pillulas, quæ difficulter admodum à Gallis deglutiri possunt. Notandum Aubignii responsum Henrico IV. datum, ducere volenti

Mariam

Mariam Medicæam: Sanis non opus est Medicis. quasi diceret: cum sis sanus in regno tuo, non opus est medicamento, quod sine amaritudine non assumitur. Experta est Gallia non parum amaritudinis, ubi Henrico IV. interfecto, regina mater imperii fasces arripuit. Videantur historici Gallici.

46 Est Tyranni Senatum qui antea consuli cœperat, vel tollere, vel in consultationibus prætermittere: domesticis tantum consiliis Rempub. administrare: bellum, pacem, fœdera, societates per se unum cum quibus velit, injussu publici ordinum Senatus facere, ac dirimere, bonis multare divites quosvis etiam de nulla re legitime convictos. *Sic Tarquinius Superbus egit.*

E. Nonne hæc tyrannis? Vti subditorum invitorum sanguine atque vita, ad explendam ambitionem; & eos, dum contra conscientiam alienis insidiari coguntur, in animæ & æternæ salutis periculum vocare. POLONIÆ reges ex pacto antecessorum suorum obligati sunt, quod neque terrigenis ad bellum moveri mandabunt absque conventione communi, in singulis terris instituenda. *statuta* Polon. par. *bellum à pr.* Nihil magis Reipublicæ nocet, quam si Rex privatum consilium habeat, quod publicas consultationes evertat. Id perdidit *Alenzonium* Brabantiæ Ducem *Ioh. le petit hist. des pais bas liv.* 5. postea *Lyncestrium. Meter lib.* 14.

Philippus II. Rex Hispaniæ, repuditatis legitimis Ordinum Belgii consiliis, per sanguinarium concilium tyrannide introductum, Præside crudelissimo Iohanne Vargas Hispano, (erepta Curiis provincialibus in causis Rempub. vel religionem tangentibus omni jurisdictione) multos

O 2 pro-

probos & pios viros ob orthodoxam & synceram religionem, crudeliter vita, bonis, carcere, & exilio mulctavit. Vargas hic crudelis in religionem reformatam, sed & Prisciano infensus, Arenaci in claustro Iohannitarum non erubuit parietes deturpare sequenti manuscripto; *Haeretici fraxerunt templa, Catholici nihil faxerunt; ergo omnes patibulabuntur.*

47 Regna scelere parta, non diuturna. *Tarquinii Superbi regnum momentaneum.*

48 Is peregrinus prodere alienam civitatem facile potest & solet, cui summa aliqua potestas ab ea civitate domi vel foris est demandata: velle autem prodere intelligitur, aut illius tyrannidem ipse usurpare, quum optimos quosque illius cives vel criminando vel vi tollit. *Sic Sextus filius Tarquinii Gabios prodidit.*

E. Serviat huic aphorismo historia Marchionis Ancoritani, quam sub titulo, *la conjuration de Conchine*, benevolus lector idiomate Gallico legere potest editam parisiis anno CIↃ IↃC XIX.

49 Insignis injuria à Rege vel Regiis liberis in unum aliquem è Regni proceribus populo gratum, & magnis necessitudinibus suffultum facta, saepe ejus Regis ejiciendi occasionem dedit. *Sic Tarquinius Superbus ejectus.*

50 Adulteria Regum, regni amissione à Deo punita.

E. David Rex pulsus est regno à proprio filio Absalone, propter raptam Vriae conjugem: trucidata multa millia civium contaminatae sanctae matronae. 2 Sam. 11.

Vrbs Troja solo aequata fuit, principibus occisis, & nobilibus matronis ac puellis in captivitatem abductis, idque propter raptum Helenae, quam PARIS à marito Menelao abduxerat. Her. lib. 2. Hom.

Ob ſtuprum à Tarquinii Superbi Regis filio Lucretiæ illatum, mutatus eſt ſtatus Reip. Romanæ, & ejectis regibus imperium annuum Romani imperii mandatum eſt duobus Conſulibus Romanis.

EX LIBRO SECUNDO.

Regum inſolentia & tyrannis efficit, præſertim apud feroces & militares viros, ut Monarchia in Democratiam maxime mutetur. *Sic Romæ accidit.*

2 Novus ſtatus Reipub. eſt jurejurando ab Ordinibus ſeveriſquis pœnis in eos, qui illum evertere conantur, ſanciendus: quique illi ſtatui favent, promovendi imprimis ac augendi. *Sic Brutus Romanos adigit ad jusjurandum.*

3 Popularis ſtatus, item Ariſtocratia iis maxime diſplicet, qui Regio more vivere ſoliti erant, quibuſque licentia ex regis venia facile concedebatur. Itaque hi facile adverſus utrumque illum ſtatum conjurant, ac proinde in Democratia vel Ariſtocratia primum conſtituta debent eſſe ſuſpecti. *Sic adoleſcentes Romani ejectis Tarquiniis conjurant in Rempub.*

4 Legati, qui tempore, & prætextu legationis aliquid ſævum in nos moliuntur, puniri quidem poſſunt: honeſtius tamen ad ſuos cum querimonia de ea legatorum injuria & conſilio remittuntur. *Sic Legati Tarquiniorum remiſſi.*

5 Regis à ſubditis expulſi bona & reddi & ex juſta cauſa retineri quoque poſſunt, vel plebi diripienda dari. *Sic Tarquinii Regis bona direpta Romæ.*

6 Iis, qui ſceleratas in patriam conjurationes vere detegunt, præmia conſtituenda. *Sic Vindicio,*

dicio, qui primam conjurationem detexit, datum præmium.

7 Eorum auxiliorum & populorum, qui tyrannos expulsos reducere conantur, impetus primus est quidem atrox, & violentus: sed statim effervescit & ebullit, ut non persistent. Itaque modo is impetus primus frangatur, vel constanter sustineatur, Tyrannus auxiliis destituitur. *Sic Vejentes & Tarquinii statim pro Tarquinio reducendo fatiscunt. Item de Torsenna.*

8 Ne plebs veterem statum, novo repudiato, repetat, prospiciendum est ac curandum iis, qui novo illi Magistratui præsunt; ut plebem tenuiorem multis oneribus sublevent, beneficiis deliniant: denique efficiant, ut se sub hoc novo statu longe feliciorem sentiat, quam sub priori. *Sic Romæ factum.*

E. *Seneca* de brevitate vitæ: Melius imperium beneficiis custoditur, quam armis. *Augustus* militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit. *Tacit. 1. Annal.*

Suetonius de Nerone. Deductus in forum tyro, populo congiarium, militi donativum proposuit, inductaque decursione prætorianis scutum sua manu prætulit, exinde patribus in Senatu gratias egit.

Idem *in Salvio Othone.* Nullo officii aut ambitionis genere in quenquam omisso, quoties cœna principem exciperet, aureos excubanti cohorti dividebat, nec eo minus alium alia militum via demerebatur.

9 Insperata & heroica vel unius militis audacia sæpe totum hostilem exercitum perterrefacit & sistit. Is autem est præmio afficiendus. *Sic Horatius Cocles. Sic Mutius Scævola.*

F. Exempla nobis sint *Samson Iud.* 15. maxilla

asini

asini occidens mille Philistæos, *David* 1 *Sam.*17 funda feriens Goliathum in mortem.

Scanderbejus dux exercitus Christianorum contra Turcam, sua invicta fortitudine & magnanimitate res Christianorum plurimum adjuvit & promovit. Hic tam ingenti animi robore præditus erat, ut cum ad pugnam progrederetur, è labris æstuantis animi vehementia fissis sanguis erumperet. Nunquam pugnam detrectavit, nunquam terga vertit, nunquam vulneratus est, nisi levi sagitta in pede, nec hostibus plus quam sena equitum, terna peditum millia opposuit, & sua manu supra duo hominum millia barbarorum præsertim jugulavit tanto impetu ictuum, ut multos per medium dissecuerit transversim ad umbilicum usque *Peucer. lib.* 5. *Chronic.*

10 Prædatores hostes semel strenue cæsi, non sunt in posterum tam audaces, sed in prædando timidiores. *Sic Hetrusci à Romanis cæsi.*

11 Et facere, & pati fortia, strenui viri & civis, & militis est. *Livius.*

E. *Porsena* inter Hetruscos magnus cum de reducendo in regnum Tarquinio legatos ad Senatum mitteret, & non parenti bellum indiceret, effulsit fortitudo *Horatii Coclitis* & *Mutii.* Prior vulneratis Coss. Romanisque metu diffugientibus, in pontis sublicii aditu hostilem impetum solus pene sustinuit, donec pons rescinderetur. Inde armatus in flumen desiliit, tranavitque. Alter vero, in hiantem urbi Regem submoturus, Etrusco habitu per insidias in castris ipsum aggreditur, scribamque pro rege obtruncat. Comprehensus, ardentibus focis manum injicit: ut scias, inquit, quem virum effugeris, idem trecenti juravimus. Horum admiratione

metuque coactus Porsenna, Mutium dimisit, cui à clade dextræ *Scævolæ* cognomen, pacisque conditiones Romanis ultro tulit.

E. Æmilius Paulus apud *Livium* dixit: Militem hæc tria curare debere, corpus ut quam validissimum & pernicissimum habeat, arma apta, animum paratum ad subita imperia.

Pyrrhus in Italiam venerat cum novi generis gentisque copiis, & imprimis inaudito terrore elephantum. Victor grandibus præliis erat, Italiam percurrerat, & à trigesimo pene lapide Romam prospexerat. Romani non trepidant non pacem petunt, sed oblatam ultro respuunt, & legatos ejus cum hoc animoso responso dimittunt: Pyrrhus Italia cum copiis excedito; si excesserit, de pace, si volet agito. Ni excesserit, arma & viros et aciem expectato. Fructus constantiæ in Pyrrhum fuit, sponte Italia illum fugere, ipsos ejus dominos & potentes fieri. *Florus* Magna Pop. Rom. fortuna, sed semper in malis major resurrexit. *Livius* Magnitudinem Pop. Rom. admirabiliorem prope rebus adversis, quam secundis esse. Proinde recte Mutius Scævola, olim protulit: *Et pati & facere Romanorum propria sunt:* quasi hæc in magnis malis patientia (quæ & ipsa constantia est) peculiaris eorum virtus esset. Vnde Scipio Africanus respondit: non esse consuetudinis Romanorum, ut vel secundis rebus efferri, vel adversis succumbere sciant.

12 Quibus in regnis sua virtuti vel bellicæ vel domesticæ sunt præmia, illic multi in iisdem illis artibus & virtutibus præclari existere solent, etiam feminæ. Honos enim alit artes, omnesque incenduntur ad studia præmio & gloria. *Sic Cocles, sic Mutius, sic Cloelia Romæ.*

E. *Livius lib. 6.* Mortuis tum viris, tum fœminis

minis laudationes, ludi gladiatorii ac viscerationes fieri solebant, spectante Pop. Romano, ut omnium animi ad gloriam invitarentur. Matronis honor quoque additus est, ut earum sicut virorum solennis laudatio esset. De fœminis adjicere placet duo exempla, cum sint heroica, alterum reliquit vidua annorum 46 *Harlemi*, dicta *Kennavia*, anno 1573, quæ supra sequioris sexus mores armata & induta non minus damni quã strenuus quisque miles hosti intulit: alterum, in urbe *Brunsvicensi* anno 1615 viri potens filia annor. 34, dicta *Geseke Magleburgs* reliquit, quæ nondum viro elocata, casside gladio, aliisque armis induta, strenue se hosti elocabat; sœpe licet sclopetis petita, nunquam tacta nec læsa in vallo pugnans, sua manu diversos ex hoste læsit, inque mortem affecit.

13 Obsides fugientes reddendi. *Sic Cloelia reddita.*

14 Quæ responsa semel vel magnas controversias finire, vel bella excitare possunt, non sunt statim danda, quamquam possint; sed differenda, & per legatos, eosque honoratissimos postea perferenda ad eos jam præparatos quibus illa responsa danda sunt. *Sic à Senatu Romani legati mittuntur ad* Por*sennam.*

E. Neglexit hoc monitum Turcus (*è Thuano ad annum* CIↃ IↃ LXXIV) qui Ivoniæ petitione, quæ erat ut Valachum & Petrum ejus fratrem ex arce Brailovia sibi dederet, alioqui se ab obsidione non discessurum, irritatus per IV Turcici sanguinis viros, quorũ duo opidani, duo præsidiarii erant, missis decem globis grandioribus ac totidem minoribus cum duabus sagittis respondet, & interminatur

tur Ivoniæ, nisi quamprimum obsidionem solvat, fore, ut hujusmodi ferculis cum suis eum excipiat, quæ demum ad satietatem plenus postmodo evomere cogatur. Quo responso homo successu inflatus ad animum revocato internuncios comprehendi, n resque illis cum labiis & auribus præcidi jubet. tum pedes singulorum sursum versos longissimæ trabi ferreis clavis affigi, & capitibus solum tangentibus ante opidum à sclopetariis abjici jubet, quo diræ crudelitatis exemplum, et metum Turcis & necessitatem suis vim in opidum faciendi imposuit. Itaque nulla mora interposita scalæ admoventur, et muro diruto opidum capitur, per quatriduũ continuata in resistentes obvios & latentes Turcos cæde. *&c.*

15 Coloniæ nostræ deficientes graviter à nobis puniendæ, *Sic Pometia à Romanis.*

16 Exulum pro patria recuperanda certamen in prœlio esse solet asperrimum, ac proinde ijs nostrum fortissimi opponendi. *Sic Romani exules una cum Tarquinio pugnant.*

17 Graviter antea cæsi à nobis populi facile postea in societatem eorum qui bella adversus nos movent, trahuntur. *Sic Latini post cladem acceptam ad Regillum lacum.*

18 Beneficia à magnis imperiis accepta, etiam leviora, sunt tamen ab iisdem agnoscenda apud minores populos, ut eos semper in obsequium paratos, & sibi benevolos habeant. *Sic Romani beneficium Latinorum compensant.*

19 In Democratia ac Repub. potentiorum in tenuiorem plebem graves usuræ seditionem ut plurimum movent, quæ non armis, sed plebis sublevatione tollenda ac sedanda est. *Sic Romæ plebs secessit in montem sacrum, & per Menenium Agrippam sedata.*

E. C. Cæſar cum à creditoribus valde premi videret reos debendi, in eorum gratiam legem ſanxit, ut creditores res & poſſeſſiones æſtimatas, quanti quæque eſſent ante bellum civile, in ſolutum acciperent, quæ æſtimationes per arbitros fiebant. *Cæſar. lib.3. de bello Gallico.*

Quibus legibus obviam itum ſit Romæ uſurarum fraudibus, & quomodo illæ toties repreſſæ rurſum ortæ ſint, diligenter tractat *Frāc. Balduinus* in comment. ad legg. XII. tabb. De hac materia vide tractat. enucleatiſſimum Nobiliſſimi Dom. *Salmaſii*, nupere apud Elzevirios editum.

Vt ſeditiones inter cives ſuos amoveret, *Reſpublica Norimbergenſis* edicto vetuit uſuras Hebræis dandas in opidulo P*firt*, extructo ut ſubditos egenos ſublevarent Norimbergæ ædificio fœneratorio *die* Schavv dicto: ubi tenui uſura civis indigens pignora ſua dare & redimere poteſt. Non ibi xx floreni pro centum ad uſuram ſumtis, annuatim ſolvuntur, quo fœnore urbes agrique in Hollandiæ nonnullis locis exhauriuntur. Vetus id malum eſt nec in repub tolerandum, imo pœnis coercendum, cum divinis legibus contraitur, quæ jubent, ne faciamus mala ut eveniant bona; exercentur uſuræ ut opulentiores fiant reſpublicæ. in ſpeciem durant hæ divitiæ, mox in fumum cum detrimento reipub. abeunt. Nobilitas & proceres, quibus omnis quæſtus indecorus eſſe debebat, inſtitorias fraudes egregie perdidicerunt; alii avaritia, alii quo habeant, quæ per luxum & vanitates prodigant. Principes multi Hebræos, tanquam neceſſarium regni inſtrumentum interdum meliori, quam Chriſtianos (in Auſtria tolluntur Iudæi rejiciuntur Euangelici) conditione tenent. Iſta gens

post immane Servatoris nostri *Iesu Christi* piaculum ira Numinis omni exuta dignitate, & quo cæteris mortalibus ostentui esset, suis ejecta sedibus, vaga atque egens, qua lucri fraudumque tuto exercendarum spes duxit, omnibus se terris dispersa effudit, per que omnes urbes prompta dolis, pecuniæq; vias omnes callens fœneratur. Ita ut in Hollãdia per *Lõbardos*, alibi per *Hebræos* plebs & primores everuntur fortunis, circũveniuntur atq; obruũtur fœnore. Verũ utrique digni sunt ut Principes illis utãtur velut spõgiis, ubi satis biberunt, madidis exprimẽdis *Forst.*

20 In magnis Imperiis augendis tum Ducum, tum militum ipsorum celeritas, & strenuus & ardens in Rempub. animus requiritur. Vtrique vero præmiis & laudibus propositis præstitisque sunt etiam excitandi. *Sic Romanum imperium crevit.*

E. Nuperum exemplum fuit in VVallensteinio à Cæsare tot principatibus dotato, & ditato? at quo venere ista præmia? ad orcum.

Dion lib. 44. de Iulio Cæsare: Nomen patris patriæ ei imposuerunt, ipsius imagine pecuniam signarunt, sacra publica natali ejus die fieri jusserunt, utque in omnibus urbibus, omnibusque Romæ templis ejus statua poneretur, in ipsis rostris duas ei statuas collocarunt, civica unam, alteram obsidionali corona insignem, quasi & cives ab interitu, & urbem ab obsidione liberasset, insuper concordiæ templum ædificari, annuumque festum ibi celebrari jusserunt, quod Cæsar ipsis pacem restituisset. His additum, ut sella aurata uteretur, statuaque ei posita, quales regibus quondam, ordinatumque ut mensis in quem natalis Cæsaris incideret Iulius vocaretur.

Dio. lib. 51. Decretum à Senatu ut Imp. Augu-

stus

stus in hymnos juxta à Diis immortalibus adscriberetur, corona triumphali omnibus ludis uteretur, senatores, socii ejus victoriæ in triumpho cum ipso inveherentur, vestibus purpura prætextis induti, ut dies qua urbem intrasset, sacrificiis publicis celebraretur, semperque fausta esset. *Idem l.51.* Deinde Augustus Cæsar Legatos suos collaudavit, honoribusque decoravit, ut consuetudinis suæ erat: Agrippamque imprimis præter alios honores vexillo cæruleo, quod navalis victoriæ esset testimonium, exornavit: militibus suis munera quædam præbuit, populo viritim quadringentos nummos divisit. *Dio l.76.* Imp. Severus, postquam attigit decennium principatus sui, congiario populo, prætorianisque militibus dato, eis tot aureos, quot annis imperaverat, dedit. Quam ob causam sibi mirum in modum placebat: cũ revera nemo simul unquã tantum eis dedisset, consumtum enim in ea largitione vicies centena millia aureorum |

21 Bella externa ingruentia sedant domesticas seditiones, *Sic Romæ sæpe sæpius contigit.* Externus timor est magnum concordiæ vinculum *Livius.*

22 In Democratico, aut Aristocratico statu nimia paucorum potentia & opes sunt plebi invisæ. Itaque vel hæc est sublevanda; vel illi removendi. *Sic Romæ: sic Athenis per ostracismum.*

E. *Ostracismus* dictus est ab ὄστρακον testula, quam nomine ejus, quem pellere urbe cupiebant, inscripto pro suffragio ferebant. Hanc popularis judicii formam Athenienses instituerunt, quam Lacedæm. *Petalismũ* vocarunt: Ea cives Reip opibus, gloria, amicis, potentia aut virtute eminentes; ne viderentur statui populari præjudicaturi, decennium exulare jubebantur.

Cosmus

Cosmus Medices superior, postea *Pater patriæ* dictus, tam potens in repub. Florentina erat, ut & proditionis species videretur, non coercito eo Reip. prospicere, & periculosum, quietum adhuc irritare. Erat tum insignis prudentiæ fama *Nicolaus Vzanus*, qui, donec ipse vixit, nunquam durius aliquid in Cosmum decerni passus est: quod præviderer, si quid tale committeretur, ruituram Reipub. libertatem. Eo vita functo, discesserunt reliqui ab illius monito, & Cosmum Florentia ejecerunt; qui post à factione sua revocatus, Florentiæ principatum invasit; quo non perveniſſet, nisi suorum civium injuriis eo provectus fuiſſet.

Simile exemplum novimus in *Repub. Veneta*, cujus Senator *Iacobus Superantius* vir maximæ potentiæ, virtutum & actionum apud populum eminens, inque summo amore, admiratione & æstimio, in Istriam à Patribus exul missus, unde superatis aliquot annis, in patriam revocatus vitam privatam summa animi quiete vixit, auctus honore Procuratoris D. Marci, adhibitusque summis Reip negotiis.

Cum *Tiberius Gracchus* adversa & perculsa nobilitate Legem Agrariam tulisset, ne quis plura quam quingena agri jugera possideret, velletque sibi continuari tribunatum, quo tutus esset ab injuria civium, à Scipione Nasica sequente Senatu fustibus est occisus, corpusque ejus in Tiberim projectum.

23 In quovis Reip. statu est semper inopiæ annonæ publicæ cavendum, ne plebs ea laboret. Nam laborans facile seditionem movet, estque intolerabilis. *Sic post creatos primum Tribunos Romæ consulitur plebi.*

E. Italorum adagium est: *panis in foro, justitia*

tia in tribunali, securitas ubique, boni imperii signa sunt. *Cosmus Medices* Pater patriæ, cum Ioannem Annibalis F. Bentivolum ad Bononiensem principatum capessendum dimitteret, inter cætera Reip. gerendæ præcepta tria hæc præcipua dedisse dicitur: A*nnonæ curam sedulo ageret: omnibus nullo discrimine jus diceret: ab alienis uxoribus abstineret Iohan. Baptist. Pigna* VII. *hist. Atest.* *Carolus* Flandriæ comes *Tamardum* è gratiosissimis aulicis alendis è fisco egentibus præfecit: ipse cum loculis in vulgus prodibat, circum templa obambulans, stipemque sua manu mendicis promens. Dardaniorum, eorumque qui annonam flagellabant, & clausis horreis frumentum supprimebant, nequitiam compressit, apertis conditoriis, triticoque in egenos distributo. Qua popularitate adeo carus subjectis fuit, ut cæsi à sceleratis hominibus corpus pro se quisque tanquam sanctas reliquias venerarentur, osculaque ferrent; denique aliquid capillorum, barbæque atque adeo ungvium & vestimentorum domestica religione asservarent, colerentque P. *Æmil. de reb. gest. Franc.* Ad summam; quemadmodum Leones, Vrsi, aliaque morsu & unguibus nocentia animalia deponũt insitam feritatem erga pascentem, parent imperanti, blandiuntur: ita nulla re mansuescunt homines meliore fide, quam si annona publica bene curata, & opibus per industriam partis Principis beneficio frui possint. *Cl. Forstn. in not. ad Tac. lib.* 4. *An.*

24 In Democratia nemo in plebem iniurius diu toleratur. *Sic Coriolanus ejectus Roma.*

25 Qui injusta vel ambitiosa bella suscipere cupiunt, exoletum vetustate odium suorum in eos, quos aggredi volunt, technis & artibus refricant

fricant & renovant. *Sic Accius Tullius Volscos excitat.*

26 Potenti & strenuo Duci hostium ad nos deficienti, si quidem serio, potest tuto potestas non tota, sed aliqua committi: est enim infestior hosti, à quo injuria affectus est, quam nos simus: & in eo persequendo animosior. *Sic Coriolanus.*

E. Nuperis annis *Farensbach* Tribunus Suecus ad Imp. militem deficiens non parum potestatis & tyrannidis exercuit in urbem Magdeburgensem: at proditoriæ defectionis pœnā dedit Ratisbonæ sētentia Maxim. Bavari cū decapitaretur. Alius ab hoc fuit fama & virtute nobilis, *Martinus Schenck* tribunus militum, qui cū prægravi de causa ab Hispano ad fœderatos Belgii ordines transiret, mox factus est vicarius Adolphi Comitis Morsensis, Rectoris Geldriæ & Transisulaniæ, dein ab ordinibus aliquot vexillorum equitum & peditum præfectura ei assignata, multa damna Hispano hosti intulit, non paucis ab eo reportatis victoriis.

27 Multa per mulieres commodius, quam per viros geruntur ad tentandos primum hostiū animos. *Sic mater & conjunx Coriolani.*

E. Cum *Fredericus Albani filius* castra poneret ad Montes Hannoniæ anno 1572, altero die postquam ea locaverat, repertæ sunt per stationes militum, Montenses aliquot mulieres ab urbe digressæ, per speciem olera vendendi, Hispanorum agmina & consilia explorantes, quę Frederici jussu, decurtatis paulum supra genu vestibus (militari hujus sexus ignominia apud Hispanos, antiquissimæ Ammonitarum consuetudinis non absimili) per castra primum traductæ ex sibi latæque, dein Montes cum eo dehonestamento remissæ sunt. *Strada ad annum dictum.*

28 Stra-

28 Strategema est, si in communi obsidione hostis agrorum, aut civium aliquorum duntaxat parti parcat. Facile enim inde seditio inter cives movetur. *Sic Coriolanus Romæ movit seditionem.*

E. Strategemate hoc usus A*nnibal*, qui cum Italiam igne & sanguine perderet, salvas & intactas possessiones & agros Fabii Maximi servavit, ut fraude hac populum Romanum circumveniret, quasi secretæ quædam inter se & Fabium essent conventiones: nam Fabius cunctabatur congredi cum hoste: hic contra Fabii bona integra ab incendio servabat: hanc fraudem tamen, ut amoveret à se suspicionem, ab urbe seditioné, Fabius prudenter detegens vendidit bona ab Annibale servata, iisq; debita Reip. solvit.

29 Qui à nobis ad hostes injuria provocatus defecit, resque nostras pernovit, est potius quã quivis alius hostis à nobis placandus, & ab hostibus avocandus. *Sic Romani student placare Coriolanum.*

30 In Democratico statu semel plebs delinita & inescata dulcedine opum alienarum vel agrorum dividendorum non facile postea conquiescit. Inde quoque perpetuæ seditiones propter agros ipsi dividendos.

E Romani quo Gallos recens subactos extra seditionem tenerent, nullum efficacius remediũ excogitare, quam iis ostendere occasiones ditescendi. Res adeo feliciter cessit, ut de populis, qui bellicosissimi fuerant, *referente Tacito in Agric.* nihil præter famam remanserit, *quod Galli olim in bellis floruerint.* Ex quo conspicuum, torporé cum otio junctum juxta intrasse, & opum, quas collegerant Galli, dulcediné atque vim enervasse illum tam armipotentem olim populum: ut

Taciti.

Taciti tempore pene fabulæ instar fuerit, Gallos aliquando bellicosos fuisse.

31 Exercitui odiosus Dux non præficiendus: seipsum enim & exercitum perdet. *Sic Fabius consul datus malo Reipub. Sic Appius.*

E. Nam si militibus non est acceptus, tunc illi nec disciplinæ severitatem libenter observant, nec quotidiani exercitii laborem subeunt lubentes.

32 Potius deest ars excellentibus ingeniis, qua cives regant tumultuantes, quam qua hostes superent. *Livius.*

33 Inter se committendi, qui subditorum animos ad seditionem impellunt & movent. *Sic Tribuni plebis inter se à Senatu sæpe commißi per intercesßiones ipsorum.*

34 Magna imperia diu durant, nisi seditione intestina laborent; verum per eas statim dissolvuntur. *Hetruscorum de Romanis sententia.*

E. Inter arcana *Venetorum* est, avertere de repub. sua seditiones intestinas, statutis diris pœnis in earum auctores. *Iohan. Boterus* inter eas causas, quibus Venetiarum per tot sæcula constantem pacem atque tranquillitatem nullæ unquam civium conjurationes sollicitarunt, eam vel præcipuam arbitratur, quod inter fluentibus passim aquis (*canales* vocant,) in multas veluti partes divisa sit civitas, quo medio seditioso populo cito coeundi facultas est ademta.

35 Milites, de quorum ad pugnandum voluntate dubitas, non prius quam ipsi certamen postulent, producendi ad pugnam, sed in castris continendi. *Sic Romani Coss. cum suis militibus non fiderent.*

36 Cum ad gladios ventum est, pugna & Mars

Mars tunc est atrocissimus. *Livius.*

37 Irritatos militum in Ducem animos placat Ducis ipsius in eos humanitas, velut de sauciis cura, & eorum egenorum sublevatio. *Sic Fabii Romæ facti populares.*

E. *Dio lib.68.* de *Trajano Imp.* Cum in prælio contra Dacos suscepto multi ex militibus suis sauciati essent, & deficerent ea, quibus militum vulnera obligarentur, fertur ne vesti quidem suæ pepercisse, sed eam discidisse, ad obliganda vulnera militum, cæsisque in prælio statuisse aram, & quotannis parentari jussisse.

Galba Imp. impensiore cura refocillavit milites Batavos, quos Alexandriam Nero pro compescendis motibus miserat maris jactatione ægros, eaque benevolentiæ testatione declaravit, quod magni eorum salutem & incolumitatem faceret. *Sueton.*

38 Ne optimates in Repub. adversus plebem potestatem tyrannicam usurpent, Magistratus suus plebi est dandus, qui eam adversus optimatum injuriam defendat. Tunc enim plebs quietior vivit. *Sic Tribuni plebis creati Romæ.*

E. Videmus tales constitutiones *Venetiis, Augustæ, Dantisci,* heic sunt centumviri, qui querelas civium Magistratui superiori exponunt, earumque sublevationes procurant, unde fit ut in quiete cives ditescant tam mercatura quam opificiis.

39 In Repub. diversæ factiones, quæ non moveant seditionem, sunt tolerandæ, quo ex his fiat temperatior Reip. status, & quoddam æquilibrium. *Sic Romæ Tribuni plebis Coss. & Senatui oppositi. Sic iidem tribuni postea aucti.*

E. At in hoc turbulento statu medium tenere, nec

nec nimium inclinare in alteram factionis partẽ boni civis est officium Si vero factiones illæ seditiones excitant, tunc causa illarum , nimirum nimia libertas reip. est adimenda. *Florentini*, quos olim effrenis libertas in factiones dividebat, ex factionibus oriebantur seditiones, ex his cædes: hodie in servitutem redacti, pro præmio habent quietem & securitatem.

40 Non permittat potentior populus ut socii absque duce à se accepto bellum gerant. *Sic Consul Latinis etiam non petentibus datus.*

E. Vniti Belgii ordines ratione fœderis inter se & civitates Hanseaticas initi noluerunt anno CIↃIↃCXV permittere civitati *Brunsvicensi*, ut bellum cum Duce *Frederico-Vlrico* gererent sine Duce ei dato comite *Iohan. Georgio Solmensi* , quem cum copiis auxiliaribus insequebatur *Fredericus Solmensis* à statibus missus in subsidia urbi. *Meter. anno dicto.*

41 Malo domanda potestas, quæ in Rep. seditionum auctor est. L*ivius.*

E. Cum *Otho tertius* creatus esset Rom. Imp. & quidam Crescẽtius, sub titulo consulatus Romæ usurpato sibi, imperiali nomine, summam crudelitatem in Italia exercuisset, ingentibus copiis Otho Imper. Romam venit, & captum Crescentium oculis erutis, naso & auribus truncatis, retrorsum asino imposuit , & spectaculi loco per urbem Romam circumvectum suspendi mãdavit. *Carion. Ioh. Leydensis* rex anabaptistarum cũ movisset seditiones prætextu religionis in urbe Monasteriensi, indulgeretque libidinibus, ductis multis & diversis uxoribus , quas tamen instar carnificis jugulabat, tandẽ captus laceratur cãdentibus forcipibus; extincti cadaver ferrea cavea inclusum ad summitatem turris templi Lãberti

berti expositum pensile adhuc hodie videtur.

42 Parum tuta est sine plebis viribus, & populi consensu majestas, aut publica dignitas. *Livius*.

43 Adversus plebis temeritatem nunquam Proceres & Senatus ira certent, sed comitate. *Senatus Romani sententia & exemplum Quintii consul. laudatum.*

E. *Manuel* Imp. Constantinopol. sapienter *Ioannem* filium ob intempestive generosos spiritus reprehédit: in eas angustias esse redactá pristinam urbis atq; imp. majestaté dicés, ut ea nō tam Imp. quam Oeconomo opus habeat. *Geor. Phrãzes Prot. 2. hist.* Nocuit antiquus rigor & nimia severitas *Galbæ*, cui jã paria non erãt urbis vitia. Constat potuisse cōciliari animos militũ quãtulacũq; parci senis liberalitate: sed cũ intempestiva severitate legi à se militem, non emi pronunciasset, vita & imperio excidit. *Tac. 1. hist.*

Plutar. in polit. Lupum ajunt auribus non teneri, at populum & civitatem auribus maxime oportet ducere. *Iulii Cæsaris* effatum est referente *Dione*, quod potentia mediocriter exercitu omnia quæsita conservat. Qui autem imprudenter & passim in omnibus potentia abutitur, is neque veram benevolentiam, neque firmam securitatem invenit. *Sic Sueto in vita Augusti*: Clementiæ civilitatisque ejus multa & magna sunt documenta: Iulium Novatum, & Cassium Patavinum, è plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exilio punire satis habuit, cum ille Agrippæ juvenis nomine asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset, hic convivio publico proclamasset. Neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum. Tiberio quoq; de eadem re sedulo violentius per epistolam conquerenti, ita respondit. Noli in hac re nimium in-

indignari, quenquam esse, qui de me male loquatur: Satis enim est, sic hoc habemus, ne quis nobis male facere possit. *Sueto. de Cæs. Germanico.* Quarum virtutum, lenitatis scilicet & clementiæ fructum uberrimum tulit, sic probatus & dilectus à suis, ut Augustus diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præturba occurrentum prosequentiumve nonnunquam cum discrimen vitę adiisse, è Germania vero post compressam seditionem revertenti, prætorianas cohortes universas prodiisse obviam, Populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem usque ad vicesimum lapidem effudisse.

44 Militaris Ducis, item cujusvis Principis vis tota in obedientium consensu sita est Itaque magnopere cavendum ne dux suos milites omnes, aut Princeps omnes subditos irritet in sese sua sævitia. *Sic Centuriones & Tribuni Appio respondent.*

E. Si nimis laxe ac licenter populus habitus est, restringatur. nimis duriter, indulgeatur. offensus est hoc aut illud contra consuetudinem et immunitates tollendo, in pristinum reponatur. rapacibus & invisis hominibus officia demandata sunt, removeantur.

Cum *Iohannis Viscontii* milites, qui Pisis in præsidio collocati erant, civium contumeliis irritatorum factione urbe pulsi essent: *Galeatius* increpando militum proterviam, laudandoque cives, quod necessitate adacti militum injurias ulti essent, Pisas retinuit, asperioribus modis habitas confestim ad hostes Florentinos transituras. *Leon.* Aret: *in hist. Florent.*

Tanto

Tanto magis reprehensione dignus est *Philippi* II. Hisp. regis rigor apud *Hier. Conestag.* iv. *de bel. Belg. Maximiliano* Cæsari respondentis, propugnaturum se omni ratione ac modo authoritatem suam: facturumque prius rerum suarum jacturam, quam ut quicquam de reputatione sua decedere patiatur. Sed quantum regi nocuerit hæc asperitas, eventus docuit, & constat inter omnes, qui ferale hoc Belgicum bellum descripserunt, *Alexandri Farnesii* prudentia & moderatione atque consiliis a priorum Gubernatorum ratione diversis, reliquias Belgii Regi servatas; quemadmodum ex diverso austeritati *Albani* Ducis, quæ populorum illorum nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre assuetorum rabiem concitavit, tot malorum caussas adscribunt pene omnes. *Thuan. Conestag. Ioh. Bapt. Cin. &c.*

Ita videmus non imperiosum *Appium* vehementia rem imperii bene agere, sed popularem potius *Servilium*, aut *Quinctium* blanda oratione & leni alloquio concitatos animos posse mulcere, & ad obedientiam redigere.

45 Incendiis vicorum, prædationibus agrorum, & captivorum multitudine hostis etiam invitus vel ad certamen adducitur; vel in contemptum: vel metum suum prodit. *Sic Sabini à Valerio provocati.*

46 Iniquissima est pugna, cum integri à fessis excipiuntur: ac proinde curandum, ut prius hostes etiam vanis terroribus, & pugnis fatigemus, dum ipsi integras corporis vires ad eos invadendos servamus. *Sic Quintius Volscos vexavit.*

47 A victore nihil de diligentia in excubiis agendis, & castris custodiendis remittendum est.

est. *Sic Quintius Consul victor Volscorum egit.*

EX LIBRO TERTIO.

ACrius pugnant quibus nulla spes pacis cum hostibus, aut veniæ reliqua est. *Sic Æqui contra Romanos.*

2 Hostem populationibus potius, quam acie & pugna exercitatum vincere difficile est, nisi & urgeas, & vias ac itinera ejus sepias, & castellis eum obsideas. *Sic Æqui victi à Romanis.*

E. Alia via *Croatæ* effera gens, populationibus, incendiis, rapinis Germaniam vastans, dum pugna ordinata non potest vinci, in angustias est redigenda ut fuga exclusi feritatis suæ in fossis & vallibus dent pœnas, digni qui evomant maledictam animam in fimo non in viridibus campis.

3 Hosti vindiquaque infestanti nos & agros nostros, vindiquaque si occurras quoque eum terres: sin agere sinas, confirmas. *Sic Æqui repulsi.*

4 Pestis bello conjuncta, est gravissimum Dei judicium: & de pace potius, quam bello tunc cogitandum. *Sic Romæ* Ebutio *& Servilio coss.*

E. Anno 1527 Roma expugnata Cæsarianus exercitus, res Cæsaris susque deque ferens inde exire nolebat: principem Arausium imperatorem delegerat, verum inane duntaxat nomen gerebat, ipse enim sibi exercitus imperabat; nihil ex disciplina militari, omnia potius insano quodam tumultu exsequebatur. Hinc pestis in flaccida primum Germanorum corpora æstivis cœli

cœli caloribus haut assueta, deinde in cæterum exercitum grassata ejus bonam partem absumsit, ac ne quod operæ pretium facerent, impedivit. Ita bonæ occasiones Cæsaris potentiam aucturæ amissæ fuerunt.

Belcar. libro XIX. *de reb. Gall.* Hodie in Germania ira divina satis constat, dum bello jam XX annorum, supervenit pestis, vere pœna divina & digitus DEI; at quis retrocogitans ad preces confugit, ut pax reveniat?

5 Hosti populanti non modo exercitus qui pugnet, opponendus: verum etiam alter, qui populationes arceat. *Sic à Romanis adversus Volscos sæpe factum.*

6 Quandiu seditionibus urbs aliqua agitatur, facilis est unicuique improbo novas in eam conjurationes excitare. *Sic Romæ.*

7 Quæ populo grata sunt & commoda, vix illi eripias. Itaque vel concedenda, si cum justitia, aut salute Reipub. non pugnent: vel aliis beneficiis oblatis ea sunt adimenda. Vi enim vix ab ea auferas. *Sic Lex Terentilla de tribunis plebis augendis ut coss. potestas coerceretur.*

E. Qui vi libertates subditis aufert, non Principis boni sed tyranni nomen tenet. A quo crimine nemo prudens absolvet illos qui liberis regnis jus electionis eripiunt, eosque ut rebelles puniunt, quos nunquam eo modo habuerunt subjectos. *Zevecot. in notis ad Suet.* Magna erant jura, libertates ac immunitates *Arragonensium*, quas *Philippus* II. *Hispan.* rex subvertere volebat; Igitur, sicut ex privatis *Antonii Perezii* odiis occasionem *Escovedi* è medio tollendi captaverat, sic ex Perezii calamita-

 te,

te, quæ seditioni Cæsaraugustanorum (quippe Aragonius erat Perezius) causam dederat, privilegiorum civitatis imminuendorum, quibus jam pridem insidiabatur, commoditatem sibi oblatam avide arripuit: & exercitu summa celeritate conscripto, eumque in Aragoniam ab Alphonso de Vergas ducto, atque sublatis è medio libertatis vindicibus, & firmato Inquisitionis palatio, quod extra mœnia urbis erat, & tanquam arce urbi cum idoneo præsidio imposita, populi jura atque libertatem infregit. *Lectori ubi otium, placeat videre Thuan. lib.* CIV. *histor.*

8 Est bonorum sociorum, sociis laborantibus, etiam antequam vocentur, succurrere. *Sic Tusculani Romanis.*

9 Levius est & vanius, si sua, quam aliena decreta & consulta tolli patiatur Senatus. *Quintii sententia.*

10 In discrimine saltem Reipub. bello laborantis, optimi & strenuissimi quique, virtutis, non opum habita ratione, in Duces sunt eligendi. *Sic L. Quintius Cincinnatus electus à Romanis Dictator.*

11 In bello præsertim ex puncto temporis sæpe maximarum rerum momenta avertuntur & pereunt. Itaque celeritate opus est. *Cincinnati dictum.*

E. Cum *Popilius ad Antiochum* à Senatu Roman. missus mandata sua exposuisset, & Rex deliberaturum se dixisset, Popilius virga, quam in manu gerebat, circumscripsit Regem: ac, priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum Senatui. Obstupefactus rex tam violento imperio, faciam, inquit, quod jubet Senatus. *Liv.* 25. *Foxius* Gallicæ militiæ Dux, is qui ad

ad Ravennam occubuit cum castra Bononia Brixiam versus movisset, ex itinere Mantuano per internuncios mandavit, ut claves arcium, quæ transitus munirent, sibi transmitteret, misit Mantuanus; nec enim aliud consilium tempore exclusus capere poterat.

Anno 1620 *Maximilianus Bavarus* quinque dierum spatio dato superioris Austriæ proceribus, intra quos, velint necne Cæsaris mandatis parere, deliberarent, interim non elapsis adhuc illis quinque diebus, exercitum ad provinciæ limites admovit: qua re perculsos ad omnia obedientes Austrios habuit. *Itaque moræ in bello nullus locus: nam irrecuperabile damnum est, dum hic bis peccare non licet.*

12 Leges in Democratiis ex totius civitatis consensu, non ex unius arbitrio feruntur. *Sic leges 12. tabularum latæ.*

E. Alioqui legislatoris vita versatur in novacula. Non ita pridem Argentinæ sine populi consensu pontis vectigal augeri debebat, quam rem dum instinctu maxime unius VV. propositam in praxin deducere volebat Magistratus, author novæ istius legis, vitam ut servaret, officio quo fungebatur sese abdicans, urbem reliquit.

13 Nullus est tam gratus populo Magistratus, quin eidem invidiosus & exosus fiat, ubi sævitiam adversus plebem exercet. *Sic x.viri Romæ odiosi.*

E. *Dio.* de Lucullo duce exercitus Romanorum, lib.53. Mirum nemini videri debet; Lucullum nequivisse ita militibus suis præesse, quin & semper tumultuarentur, & ipsum tandem desererent. Multa enim ipsis injungere solebat, difficilis erat in congressibus, operum exactor

per quam attentus, in pœnis irrogandis inexorabilis, neque æquitate eos sibi devincere, neque honoribus pecuniave conciliare noverat, quod omnis multitudo, præsertim militaris requirit.

14 In statu Democratico paucis etiam prius bonis nimis continuatum summum imperium facile in Regnum vel crudelem Oligarchiam delabitur, quod postea vix dissoluitur. *Sic Romæ x. viri ὀλιγαρχίαν ad tempus inducunt.*

E. *Cassiodo.* Antiquitas provinciarum dignitatem voluit annua successione reparari, ut nec diutina potestate unus insolesceret, & multorum provectus gaudia reperirent.

Decemviri cum legum constituendarum, ac Reipub. moderandæ annuum imperium à Pop. Rom. accepissent, idque in annum alterum prorogatum esset, perpetuam potestatem ac libertatem populi invasissent, nisi vi & armis non sine gravissimo civitatis periculo depulsi fuissent.

15 Belli tempore repeti solitæ libertatis jura antea oppressa facilius & possunt & solent. *Vox Pop. Romani.*

16 Nullum est tantum imperium, quod injuste usurpatum, vel exercitum, tandem non frangatur vi. *Sic Appii Claudii x. viri fracta potestas.*

17 Superbiam & crudelitatem etsi seræ, non leves tamen sequi solent pœnæ *Livius.*

E. *Pont. Bonifacius* VIII. solenni die in pontificalibus apparens, populo Apostolicam benedictionem largitus est. Postero die Cæsareo habitu & infula imperiali insignis, gladium ante se nudatum ferri jussit, & sedens alta voce exclamavit. Ecce duo gladii hic. Hunc Philippus rex Franciæ nihil tale metuentem Anagniæ

gniæ clam nocte ingressus invadit in domo paterna dormientem, ac refractis valuis capit, captumque Romam sub custodia perducit, ubi mœrore animi confectus periit, cui hoc epitaphium inscriptum est: Intravit ut vulpes, regnavit ut lupus, mortuus est ut canis. Non est quod existimet *Hispanus* avum suum infami morbo & morte perfidiam & turpes vincendi rationes expiasse. Imminet adhuc rebus illius Nemesis quæ lentam puniendi morā supplicii gravitate compensabit. *Zev. in obser. polit. ad Sueton.*

Non ita diu superbia & crudelitas, *Walsteinij* suas pœnas habuit. Quæ superba temeritas erat dicere; si *Stralsunda* vel catenis ferreis olympo esset annexa, detraham inde illam & exitio dabo? Quæ inaudita crudelitas, vel ob ligulam militem ad furcam damnari? quot sine omni processu habito, imo ebrios ad suspendium egit? at quis ei exitus fuit? similis processus. dum sine omni citatione, confessione sicarium habuit pectus transfigentem, ejus *vitaque cum gemitu fugit in dignata sub umbras.*

18 Hoc curandum maxime, ut victi hostes castris quoque statim exuantur & impedimentis suis spolientur, ut plena sit victoria, illique victi animum despondeant. *Sic Romani.*

E. *C. Cæsar* dicitur, nullum unquam hostem fudisse, quem non castris quoque exuerit, ita nullum perterritis spatium dabat. *Sueton. in Iul.* Cum Syracusarum civitas Atheniensium obsidione liberata esset, & cives tanquam perpetrato bello abiisse hostes gratulabundi secum gauderent; *Hermocrates Syracusanus*, prudentiæ exemplum, non committendum ratus, ut tantus exercitus digressus alia insulæ parte consideret, & denuo negotium facesseret,

ſeret, inſtandum hoſtibus, eoſque ad internecionem delendos ſuaſit. & adfuit fortuna conſilio. *Thucyd.7.*

19 In Democratico ſtatu ſuperba aut iniqua Magiſtratuum reſponſio dat occaſionem, ut populi auctoritas in majus augeatur; & ad eum tunc provocatur. *Sic primum triumphus in Algido monte decretus à populo Valerio.*

20 Vbi à junioribus nobilibus fiunt plebi injuriæ, facile ſeditiones commoventur: aut æquari plebem nobilibus cogunt. *Sic Roma.*

21 Difficilis eſt moderatio in tuenda libertate. Nam dum unuſquiſque ordo cavet ne alium metuat, metuendum ſe ultro ipſe efficit: & ita ſe quiſque extollit, ut deprimat alium. Inde ſeditionum magna origo & ſeges in Democratico præſertim ſtatu: ac proinde à communibus arbitris ex utraque parte delectis tota contentio ſopienda eſt. *Livius.*

22 Optimum eſt, ut in exercitu ei Duci deferatur plurimum, qui non modo ipſe ſtrenuus eſt, verum etiam gratior omnibus militibus. *Sic Agrippa cedit Quintio.*

23 Populus judex potius ſuæ utilitatis quam publicæ honeſtatis rationem habet, idque conſtituit quod ſibi utile eſt, ſi modo vel tantillum probabili cauſa nitatur. Itaque populi judicium non temere à ſociis in hujuſmodi controverſiis eſt ſubeundum. *Sic Pop. Roma. agrum inter Ardeates & Aricinos controverſum ſibi adjudicavit.*

E. Aricini & Ardeates de agro quodam decertantes, temere judicem Pop. Romanum fecerunt. Nam controverſia audita Pop. Romanus agrum illum ſibi adjudicavit, ſeductus à Scaptio, qui ſe milite agrum illum ab hoſtibus captum

ptum esse asserebat. *Livius & Dionys. Halicarnassæus.* Vt corrupto isti populi judicio frænum injiceretur, & ut omnis injuriæ inter litigantes suspicio tolleretur, populus *Florentinus* olim duos è peregrinis sibi judices elegit. *Boter.* 1. *della ragion di stato* 17. *Pisani* & *Genuates* peregrinum magistratum *Potestatis* nomine accipiunt. *Guicciard.* 4. *Lucensium rota*, ita summum tribunal vocant, tribus constat Iurisconsultis, quorum patria quinquaginta ab urbe milliaribus absit.

EX LIBRO QUARTO.

QVibus in locis aut Rebuspub. maximum est seditionum præmium; illic nunquam seditiones sunt defuturæ. Nam cujus rei præmium est, ea maxime crescit. *Consulum dictum.*

2 Vel infelix bellum paci, quæ seditionem domi movet, est præferendum. *Senatus Romani sententia.*

E. Laborat hodie *Germania à pace Pragensi*, ut potius de sepulchro quam de Medico cogitandum. *Recte Tacit in Agric.* Vbi solitudo fit, pacemne appellemus? Omni Germania desolata, ejectis & proscriptis non tamen auditis Principibus, & legitimis Dominis pax constituitur. Misera pax, *Tac. lib.* 3. *An.* vel bello bene mutatur: nam bellum tutius suspecta pace *Tac.* 4. *histor.* hoc durat obfirmato animo: satius fuisset ne Principes isti, quibus pacis cura fuit curæ, levi auditu magna ista transmisissent, abunde rati, si præsentibus fruerentur, nec in longius consultantes. *Tac.* 2. *hist.* Contra aliis Principibus, de quorum corio agebatur, decendium

indictum, ut omni militia se exuerent, qua re contumeliose habiti protelatur adhuc bellum in vindictam. *Ludovicus* XII. *Gall. Rex Helvetios*, quos rusticos intra montes natos contumeliose vocaverat, in se concitavit maximo rerum suarum damno. *Guic.* IX.

3 Ut firma inter ordines Reipub. concordia stet: illi eas leges condere debent, per quas ordines maritari & inter se contrahere conjugia possint. Hoc enim modo maximè coalescit Respublic. Alioquin alii ab aliis sperni prorsus videntur; estque ea res magnarum seditionum causa. *Lex de maritandis ordinibus lata Rom.*

E. Cum Decemviri in legibus XII. tab sanxissent, ne Patritiis liceret cum plebe connubio jungi, Canuleius tribunus plebis hanc legem abrogari petiit, & sanciri, ut plebis & Patrum connubia promiscua essent. Cui Patres vehementer restiterunt, cum tamen ad civium concordiam, in qua civitatum salus est, nihil sit utilius. Tandem igitur Canuleius hoc obtinuit.

4 In Reipub. administratione, quæ nondum facta sunt, fieri, & induci possunt, si modo sunt utilia. Neque enim insolitum quid, si utile, repudiandum. *In oratione Canuleii.*

5 Nimia unius ordinis Reipub. in sua dignitate sibi retinenda, nullique alii communicanda obstinatio, magnas sæpe, easque inutiles & ipsimet illi ordini funestas contentiones parit. *Sic de non maritãdis ordinib. & de altero Consule ex plebe creando leges frustra à Senatu impedita.*

E. *Livius lib.* 17, plebiscito cautum apud Romanos notat, ne quis eundem magistratum intra annos decem repeteret, & hoc graviter in *Iulio Cæsare* improbat *Sueto.* inquiens: Prægravant

gravant cætera facta dictaque ejus, ut & abusus dominatione, & jure cæsus existiment. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, insuper prænomen Imperatoris, statuam inter reges, sed etiam ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedé auream in curia & pro tribunali, templa, aras, simulachra juxta Deos, ac nullos non honores ad libidinem cepit & dedit.

Dio. scribit libro 36. de *Pompejo*, ambiente summam præfecturam exercitus triennalem cõtra piratas. Primum hoc ac præcipuum dico, uni alicui viro tot imperia committi, eam rem experientia ostendit esse periculosissimam. Neque enim *Mario* alia causa fuit, cur talem se gereret, quam quod brevi temporis spacio tot bellorum administratio ei credita, consulatus sextus intra paucissimos annos mandatus est; neque *Syllæ*, quam quod postea quam multis annis absque intercapedine exercitibus præfuisset, postea dictator, ac deinde consul creatus fuit. Ea enim est natura hominum, ut postquam multos annos in potestate transegerint, patriis moribus haud quaquam sibi vivendum ducant. Magnæ enim potestates, immodicique honores etiam hujusmodi hominum animos ad fastum extollunt, corrumpuntque.

Carolus V. *Philippum* filium sœpius monuit, ne aliquẽ ex ministris multos annos præficeret negotiis magni põderis; addens rationẽ, quod diuturnũ regimẽ sit causa nimię deinde auctoritatis. *Seneca:* Omnis nimia potẽtia saluberrime brevitate constringitur. *Tac.* Nihil tam civile, tam utile, quam brevem potestatẽ esse, quæ maxima est. Salubre hoc est consiliũ, ut imperia potiora sint temporaria, nec in unius manibus diu residеant.

nam eo ingenio sunt homines, ut postquam multum temporis in potestate transegerint, patriis moribus haut quaquam sibi vivendum ducant. (Catul. apud Dion.) *Florentiæ* olim lex fuit ne *Trior* Reip. intra triennium, ex quo Magistratu abierat, eundem petere posset. (Leo. Aret. 4. hist.) Ibidem cautum fuit, ne Reipub. *Gonfalonerius* in perpetuum crearetur, sed annua esset illa dignitas. *Guicciard. 11. hist.*

6 Vt firma inter ordines Reip. stet concordia, licere debet ex ordine inferiori in superiorem virtutis ergo conscendere, ut spem eorundem præmiorum, quotiescunque meruerint, consequendorum, viamque liberam inferiores ordines habeant. *Sic sancitum ut etiam ex plebe consules fierent.*

7 Sæpe plebs potius ipso jure & honore sibi concessæ potestatis contenta est, quam illius usu, ne nimirum à potentioribus videatur spreta, si jus illi negetur. *Sic electi Tribuni Militum ex solis patribus à plebe Romana. Idem repetitur lib. 6. in Manlii Capitolini oratione.*

8 Censorum, qui in singulorum censum, mores, actiones & vitam libere, & sincere tamen inquirant, potestas in quavis Rep. bene instituta est necessaria. *Sic electi Romæ.*

E. *Genevenses* pro Censoribus Decemviros, quos ipsi Seniores vocant, ex Senatu creare solent, quasi magistros morum, qui tanta severitate vitia castigant, ut vix ullum scelus tam parvum & occultum sit, quod inultum reperiatur: Nec dubitandum est, quin Rempub. si non armis & opibus, certe pietate ac virtutibus florentem habituri sint, quamdiu Decemvirorum potestatem in censendis & puniendis civium moribus tuebuntur. Nulla ibi in publico lupanaria,

nulli

nulli ſcortatores, nulli fumi venduli, tabacive tabernæ, quæ multæ alibi confuſionis cauſæ ſunt: non vagabundis non ebrioſis locus datur ſaltationes, choreæ inhibitæ, otioſis, mendiciſque auſteræ minæ ſunt niſi correctiones, abactioneſque ſequuntur; ad ſummam defæcati ibi mores & religio orthodoxa Rempub. floridam tenent. *Vnde Bodinus in methodo hiſtor.* Gravis cenſura morum ac interdictio ſacrorum Rempub. Genevenſem florentem efficit.

Dion.lib:40.hiſtor. Cenſoris poteſtas erat, qua privatim quoque in vitam cujuſque inquirendi, meritoſque infamandi jus habebat.

Plutarchus in Catonis vita, cenſuram dixit, honorum omnium quoddam faſtigium fuiſſe Romæ, in Republica, cum ingenti auctoritate inquirendi, & ſtatuendi in mores & vitam hominum.

9 Factiones in Repub. ſunt magis populis exitio, quam bella externa, & fames ſæpe ex levibus cauſis magnas ſeditiones excitant. *Sic Ardeæ.*

E. Nihil à Principe requirit vulgus, quam panem & frumentum in foro. Cererem & Bacchum & Otii dulcedinem innocenti ſtupiditate colit: & raro in alios, quam qui adhæc numina ſua avaras manus porrexerant, exarſiſſe legitur: eaque bona ſua pertinacius defendit, aut it recuparatum, quia ſola æſtimat, & horum intuitu omnium aliorum oblivi ſcitur. *Forſtn in not. ad Tac.* Inde Tiberius ut factiones & famem averteret, ſævitiam annonæ incuſante plebe Romana, ſtatuit frumento pretium, quod emptor penderet, binoſque numos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios. *Tacit.* 11. *annal.*

10 Obsidio absque parato commeatu non tentanda, aut suscipienda. *Sic Volscij ad Ardeam victi.*

11 Quæ primum vix à plebe impetres, temporis successu plane ab eadem & quidem lubente obtinebis. *Sic redditi Ardeatibus agri à plebe Rom. intercepti.*

12 Agri ne deserantur, est à magistratibus prospiciendum, ac proinde ne rustica plebs sæpius per ullam occasionem in urbem vocetur, aut in ea retineatur, fames enim statim sequitur. *Sic Romæ Geganio & Menenio Coss.*

E. Agricolam non disputatione sed usu fieri; ait *Celsus* in *proæmio l 1. de Med.* igitur opus est, ut rustica gens ab urbe absit, & falcem & sarculũ ad callum usque in manu vortat; nã sicut diligẽti cultura pretia prædiorum ampliantur, ita si negligentius habita sint, minui ea necesse est. *Callistratus* in l. non intelligitur 3. par. 5. ff. de jure fisci. Multum vero fami decrescet, si Princeps fundos suos patrimoniales, & quicquid in domesticâ ejus hæreditate est, coli jubeat, & inde redactas opes publicis vectigalibus jungat. Quã curam hodie hæc facilior popularis pecuniæ ratio atque fiducia pene evertit. Negligi enim patrimonia illa Regum tanquam angusta aut laboriosa aut denique ad privatorum sortem accedentia incipiunt: mox in gratiosos homines dividi, pignori dari, veraque aut simulata emptione excidere. Ita innocentissimum vivendi genus omittunt de suo vectigali, illudque tributorum instituunt prædæ proximum, *Forstn. in notis ad Tac.*

13 In Democratico statu non tolerandus, qui plebis animum privatis largitionibus, quæ ex publico fieri debent, delinit, & sibi sic conciliat,

stat, ut ab eo uno plebs in omnibus velit à Rege pendeat. *Sic Spur. Melius Romæ occisus.*

E. Benevolum lectorem ad vitam Cosimi I. Magni Ducis Hetruriæ remitto, descriptam amplo volumine à Ioh. Bapt. Cino; in qua videbit quomodo plebem sibi devinxerit, adeo etiam ut è cive factus sit M. Dux.

14 Qui bellum implacabile suscipere volunt, totum populum aliquo horribili adversus eum, quem bello aggredi cupiunt, facinore prius implicant, ne spes ulla pacis cum eodem postea concipiatur *Sic Tolumnius Fidenates implicuit.*

15 In summo belli discrimine summa potestate, eaque extraordinaria, quæ omnibus rebus cum imperio summo prospiciat, opus est. *Sic in difficillimis bellis Dictator à Romanis creatus.*

16 In Democratico populi statu usquequo Magistratus omnes populo subjiciuntur, & cõmunicentur, nulla quietis spes. Vbi iidem Plebi subditi fuerint, summa quies. *Sic Romæ T. Quintio & Cn. Iulio Coss.*

17 In nocturnis tumultibus parvus equitum usus est. Est enim ea turba moderatu difficilis in tenebris. *Sic A. Posthumius dictator sensit.*

E. Imo quęcunque nocturna certamina evitari debent, quod rebus nox, quę tollit ab iis judicium, maxime adversaria est.

18 Magna hostibus trepidatio injicitur, si quum castra nostra veniunt oppugnatum, ipsorum & castra expugnatum mittamus. *Sic A. Posthumius dictator.*

19 Pestis, aut fames, aut bellum, aut quævis alia diuturna & publica calamitas, ut plurimum prætextus affert, ut multiplex religio & externa tunc invadat Rempub. ac convalescat. Itaque tunc temporis ne qua inducatur veræ religio

ligionis corruptela, maxime cavendum est à magistratu. *Sic L. Sergio & Q. Servilio Coss.*

E. Bellum hodie Germanicum sub nescio quo complemento criminis læsæ Majestatis, subvertit orthodoxam religionem in Palatinatu, Ducatu VVurtembergico, Bohemia, Silesia & multis urbibus imperialibus, substituta idololatria pontificia.

20 Bellum ut sit justum, per feciales semper denuntiandum; res repetendæ, & nostræ apud hostes injurios querimoniæ exponendæ. *Sic Romani etiam adversus Veientes, cum quibus induciarum dies exierat.*

E. *Ludovicus* XIII. *Rex Gall.* per Fecialem suum talem denunciationem fecit Infanti Hispano Bruxellis anno 1635, curans eam publicis locis affigi, protestans de injuriis sibi factis quæ essent belli causæ. Fecialis vero munus ritibus quoque suis, & quadam velut religione peculiariter definitum hic de formare esset nimis operosum.

21 Complurium imperium est bello inutile: Nam tendendo ad sua quisque consilia, dum aliud alii videtur, aperiunt ad occasionem locum hosti. *Livius.*

E. Cum duces in diversas sententias sunt secti, atque alii hanc, alii aliam probant, nihil eorum quo consuluntur peraguntur, sed unusquisque ægre ferens suam sententiam non valuisse, negligentius ad rem gerendam accedit, *Agath. lib.* 4.

Nunquam in *uno exercitu Hispano* duo Duces reperiuntur simul, qui universali imperio præsunt, alterum alteri cedere oportet. Duos Deos in uno templo habere non est necesse, respondebant sacrificatores Marcellio, cupienti unam ædem

ædem exſtruere *Honori & Virtuti.* Poſtquam *Dux Nemorenſis* loquutus eſſet comiti ſtabuli, ſeceſſit ab eo ſejunctis caſtris, ne ejus imperia exſpectaret, nedum reciperet; nam ſpiritus habebat tam altos, ut nulli quam ſibimetipſi obedire vellet, P. *Matth. lib. 3. hiſt. Gal. Hamiltonius,* 40 navibus & 8 Anglorum millibus, *Guſtavo regi Suediæ* in ſubſidium veniens, quæ ejus erat ambitio, ſeorſum ducere exercitum atque per ſe bellum quaſi aliud, gerere volebat: quod Rex nullo admittebat pacto, ne gerendo bello æmulum videretur habere, vel conſortem, qui ſolus bellabat; ſed hæc cito compoſita ſunt, cedente juſſu ſui Regis Hamiltonio, qui ſe imperata à Guſtavo facturum ſpopondit, atque cum Suecis ſe conjunxit. Pet. *Bapt. Burgi lib. 2. de bello Suecico.*

22 Eſt boni Magiſtratus, ſuorum animos ob cladem acceptam dejectos, publicis edictis & ſcriptis in bonam ſpem erigere. *Sic Mamercus Æmylius.*

23 Novum genus armorum & inauditum non modo terret hoſtes, ſed etiam fere primum victoriam affert. *Sic Fidenis.*

24 Eo facile impenditur labor, & periculum, unde emolumentum, atque honos ſperatur. *Livius.*

E. *Alphonſus Rex Arragonum*, cuidam ſuadenti, ut otioſe & voluptuarie dum poſſet, vitam tranſigeret, nec corpus ſuum tot tantiſque laboribus exponeret, reſpondiſſe fertur: Non temere à Romanis honoris templo virtutis templum conjunctum, in quod nemini niſi per virtutis templum ingredi liceret, ut intelligerent homines, ad honoris faſtigium non voluptatis via (quæ deliciis atque illecebris affluit)

ſed

sed virtutis aspera & salebrosa esse enitendum:

Alexandri Magni verbum est: Quantos sustinemus labores, ut in theatro bene audiamus Athenis. *Pulchre Plutarchus* : Nemo laudis cupidus fuit unquam improbus.

25 Quo diutius vicinos bello exercueris, eo formidolosiores hostes habebis. *Sic Volsci exerciti à Romanis.*

26 Magnam in pugna victoriæ occasionem præbet, si equites ex equis desilentes in hostium pedites pugnent, & equitum hostilium equos confodiant. *Sic in pugna adversus Volscos C. Sempron Coss. egit.*

E. Hic modus inventis sclopetis hodie est antiquatus, & merito.

27 Bella illic fortiter & constanter administrantur, ubi ab Imperatore exercitus cladis acceptæ, vel victoriæ non relatæ ratio Senatui vel populo reddenda est *Sic Romæ fiebat.*

E. *Cajus Gracchus* cum ex Sicilia venisset, orationem ad populum habens hæc verba inseruit: Ita versatus sum in provincia, ut nemo vere dicere possit, assem aut eo plus in muneribus me accepisse, aut mea opera quenquam summum fecisse; Biennium fui in provincia, si ulla meretrix domum meam intravit, omnium nationum postremum, nequissimumque me esse existimatote.

28 Nemo civis unus tanti esse Reipub. debet, ut parcendo uni, malum publicum oriatur, vel inultum relinquatur. *Sic C. Sempron. dictum.*

E. *Themistocles* in vulgus spargebat; *Aristiden*, dum omnia ipse judicet, sublatis tribunal. regnũ sibi multo stipatum satellitio parasse. Itaq; ostracismo Aristidé in exiliũ ejecerũt Athenienses, gloriæ invidiá, metus tyrãnidis nomine prętexẽtes.

29 Servo-

29 Servorum seu Mancipiorum conditio durior eos ad conjurandum adversus dominos, vel Rempub. ipsam, compellit. *Sic Romæ anno 336. Sic Servile bellum postea ortum.*

30 Ducum in bello discordia inter se est magnarum cladium causa. *Sic Romani funduntur ab Æquis, ob discordiam L. Sergij.*

E. Cum exercitus Germanorum Principum urbem Cliviæ *Reesam* obsideret, inter ipsos duces belli non bene conveniebat, unde Hispanus miles in urbe Reesa præsidium tenens instructum Germanorum exercitum omnino ab urbe profligavit, Anno 1599.

Hemskerckius in portu Gaditano classe hostis expugnata, Hispanum ad desperationem egisset, nisi induciæ constantem victoriarum cursum inhibuissent: at *O mei Batavi!* ut infidæ pacis & dati otii damna recompensetis, selectis classi præfectis, qui mortis timorem non admittunt; militique fideliter ex publico stipendiis solutis, incumbite remis, sic brevi, qui modo impune per maria vestra vagatur, rapinis auctus hostis dejicietur, vobisque liberum Belgici maris imperium & libertas patriæ restituetur.

31 Ex magnis multisque victoriis in exercitu negligentia (quæ, ni corrigatur, tandem exitialis est) oboriri solet. *Sic Æqui & Volsci fusi à Q. Servilio dictatore.*

E. Fons hujus vitandæ æmulationis procedit sæpicule ex falsa imaginatione, quam quis de se ipse habet; & ex contemtu & vilipendio de alterius persona & meritis: unde fit ut nos æstimemus superiores aliis ducti falsa opinione nobis merito deberi præcedentiam. Volumen conscriberem, si exemplorũ abundantiã hic ponere vellē, quot prælia iniq; depugnata, quot urbes expugna-

gna-

gnatæ, imo integræ regiones deletæ fuerint Ducum æmulatione & discordia. *Volumnium* conſ. Roman. cum *Appio Claudio* diſſidentem novimus è Livio: *Quadratum Vinidium* & *Domitium Corbulonem* notavit Tacitus, propter recipiendos obſides à Rege Armeniæ ablegatos. Hic morbus vero Ducum tolli poteſt remedio *Tiberii*, qui noluit ut unum idemque munus duabus perſonis æqualis dignitatis committeretur, ſed perſonis gradu & auctoritate differentibus; hoc medio omnem inconvenientiam aboleri opinatus eſt, referente *Tacito in Annal. Delectusque eſt M. Alletus è prætoriis, ne conſulari obtinente Aſiam, æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur.*

32 Optima diſſolvendæ Magiſtratuum nimiæ autoritatis ratio, ſi inter ſe committantur. *Sic Tribunorum pleb. interceſsio fuit.*

E. R*egi Poloniæ* in privatos exigua, in Nobiles vix ulla eſſet vere regia auctoritas, niſi diſcordiarum, quæ inter Nobiles & Senatum ut plurimum excitantur, occaſio eam ſubinde augeret. Qui nempe omnino imperant, à concordia: qui non omnino, à ſubditorum diſcordia auctoritatis ſuæ aut majeſtatis firmitatem petunt & augmentum, *Zev. in not. ad Sueton.*

33 Irritati plebis animi à potentioribus ſunt ab iiſdem beneficiis deliniendi; non vi cogendi. *Sic Senatus ſæpe Romæ egit.*

E. Nam ſi remedia ſunt magis ſevera quam crimina, morbus incrementa ſumit. Prudens Politicus, velut experiens Medicus ad curam infirmi corporis attendit, ad morbos animi reſpicere debet, applicans remedia ſalutaria & opportuna infirmitatibus quas videt in urbibus & regimine,

gimine, ne excedat terminos honestatis, vel subvertens plebem. Vt melius exponam publicitus remediorum quantitatem & qualitatem, placet narrare curam *venenati Tarantulæ morsus in rego Neapolitano*. Is qui læsus est ab illa bestiola (at punctura effugit visum) jacet humi velut corpus mortuum, oculos & vultum inflammatum quasi igne ostendens. Experientia docuit, nullis medicamentis morbum hunc tolli posse, nisi musica Vtricularii: hic accersitus canere fistula incipiendo, accurate observat quem motum corpore facturus sit læsus: si videt corpus immobile, mutat tonos musicales, mox alios aliosque & diversos, nec cessat cantare diversimode, donec videt ægrotum incipere habere aliquem sensum, movendo paulatim extremitates digitorum in manibus & pedibus: unde Vtricularius conjectat istum tonum esse accommodatum morbo isti abigendo. Fortius igitur insistit cantare illum tonum nec quicquam mutat aut variat, hac musica ægrotus excitatus recipit spiritus & quasi rumperet fortia quędam vincula, incipit robuste & furiose movere pedes, crura, brachia, manus & totum corpus: mox cum impetu è lecto prosiliens acsi dæmonibus corpus haberet repletum, occipit saltare integrum diem, adjunctos sibi quosdam habens saltum adjuvantes singulis diebus, nec cessant sed incumbunt isti operi, donec ægrotus, veneno motu isto plano concocto se sentiat plene à morbo isto liberatum. Hoc modo beneficus Princeps & prudens Politicus accuratus sit invenire aptum tonum & salutarem curam gravibus istis morbis, quibus cum respublica conflictatur, tollendis; alioquin si vi, id est, ferro, igne, fune vult curare, quod mediis non duris

sed

sed lenibus debebat, non tollet morbum in republica sed augebit suo damno. *Talis Medicus erat Philippus* II. *sua inquisitione & pœnis Belgium coacturus, universum fere amisit.*

34 Belli necessitates non expectant diutius humanum consilium: ac proinde primo quoque tempore est illis prospiciendum. *Servilius Hala.*

35 Vrbe capta, si à victore pronunciatur, ne quis præter armatos, violetur, facile ea res reliquos opidanos exarmat, & à propugnaculis discedere compellit. *Sic Anxure capto factũ à Fabio.*

36 Stipendium militum ex publico solvi debet: ac proinde vel ex agris publicis, quibus vectigal indicetur: vel ex tributo singulis pro ratione census bona fide imposito. *Sic Romæ factum.*

EX LIBRO QVINTO.

PRopter tædia annuæ factionis & creationis Magistratuum, perpetui Magistratus sunt creati, isque primus fuit ad tyrannidem constituendam gradus. *Sic Veij Regem eligunt.*

2 Continuata etiam sub hieme militia & hostem terret, & nostros magis militares facit. *Sic Romani hiemare cœperunt in tabernaculis.*

E. *Carolus Borbonius* cum in partes Caroli V. Cæs. transiisset, numero prævalens licet, observansque cupidinem & alacritatem pugnandi in Gallico exercitu, non tamen discrimen conflictus subire voluit, priusquam & commeatuum inopia & ingruentis hyemis vehementia & molestiis primus ille fervens Gallorũ impetus (quẽ pro virtute, *Florus lib.* 3. insito Galli habent) resideret & consenesceret. Noverat prudẽs dux,

res

res & humores Gallorum optime callens, faciliori & tutiori via ferocem hostem posse expugnari si tædio & mora consumatur quam ferro.

3 Improbi cives sunt, itemque Magistratus, qui aliquid ægri in Rep. semper esse volunt, ad cujus curationem adhibeantur. *Appius Claudius in oratione.*

4 Vbi perpetua concordia, ibi crescit imperium. *Ibidem.*

E. De urbe *Veneta* ex vero non aliud quid dicere possumus, quam quod sit parvus mundus sed perfectus, alma regina omnium aliarum urbium, domiciliũ virtutum, felix ordine suo Senatorio', admirandum speculũ justissimarũ & sanctissimarum legum, quæ reguntur CONCORDIA, non alio modo quã corpus regitur anima, dignũ receptacuum omnium feliciũ; omnium imperiorum, quæ virtute non vi stant, imperium. Non possum quin adscribam *Cœlii Magni Secretarii in excelso Consilio Decemvirorum aliquos versus:*

Mà Tù, Venetia mia, più saggia t'armi
Di schermo tal, che vivi ogn' hor sicura
Da queste in ogni tempo horride pesti,
Tù dritta mira ogn' hor di tue fort' armi
Pace, e non guerra; & sol regna in te cura
D'egual CONCORDIA *infra desir modesti:*
Quinci tù sola oltra mill' anni resti,
E duo secoli ancor Vergine invitta
In Regal manto, e venerabil seggio.

Vide Ioseph. Mattheaccium tit. della concordia, ubi reliqua leges.

Scilurus octoginta filiorum pater, jam vicinus morti, fasciculum jaculorum porrigens unicuiq; ex filiis confringi jussit. Cum autem omnes defessi nihil effecissent, ipse singulatim extrahens jacula omnia fregit, docens ipsos hoc argumento,

mento, quod uniti & concordes, robusti permansuri essent, dissoluti autem imbecilles futuri. *Xenophon*: Vt manus, oculi, pedes, ideo bini conditi sunt, ut se adjuvent, non impediant; sic decet fratres & collegas, consilia, animos & actiones conferre. *Iugurtha apud Salust*: ad liberos: Equidem vobis trado regnum firmum si boni eritis: si mali, imbecillum nam CONCORDIA res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

5 Aut bellum à Repub. non suscipiendum; aut pro dignitate gerendum: alioquin in contemptum apud hostes adducitur. *In oratione Claudii Appij.*

E. At videndum ne cum potentiori bellum suscipiamus, ne exuti nostris viribus, pro præmio nostræ præcipitantiæ reportemus opprobria. Errabat in eo *Dux Sabaudiæ*, cum Symbolo sub suo, OPPORTUNE, aggrederetur Galliæ regnum viribus & gente longe opulentius; at Galliæ rex alia numismatis facie inscribens, OPPORTUNIUS, docuit eum intelligere ne debilior, si sit prudens, fortiori se opponeret.

Veneta Respublica non temere bellum suscipit, sed cum auctoritate gerit: inque eo Hispano, qui omnibus fere gentibus litem movet, sed cum ignominia sœpe illa cadit, Magistra gloriosa esse debet. Nam Hispanus apud alios reges in contemptum abit, dum non pro dignitate bellum gerit: aliis in hiat, nescius sua tueri: vi habet ex Indiis, unde Hispanam *Grandezzam* cum infamia teneat, superbus nominibus regnorum (quę tamen vix regiunculæ sunt & steriles) terra marique spolium agit, ita aliorum exuviis sibi vitam & vestem habet. Norunt utræque Indiæ, Neapolitani, Siciliani, Portugallenses, Genuates hujus

hujus raptoris ungves: Solus LEO Vniti Belgii in hoc felix, qui ungves ejus præcidere novit, non in contemptum sed in tumulum mox cum infamia adducendi.

6 In cladibus & periculis belli extraordinariis, non modo necessarium est, verum etiam gratissimum voluntariorum civium suis stipendiis mereri volentium studium, & exercitus. *Sic Romæ ad Vejos urbem obsidendam.* Est igitur omnium bonorum civium, tunc suam operam gratuito Reipub, polliceri & offerre. Exempla de *Volonibus* habet *Livius.*

E. Sueto. in Iulio Cæsare: Ingresso civile bellum centuriones cujusque legionis singulos equites è viatico suo obtulerunt, & universi milites gratuitam & sine frumento stipendioque operam exhibuerunt, cum locupletiores tenuiorum tutelam in se contulissent.

7 Cavendum ne præsidiariæ urbes vel vacationibus militi præsidiario concessis, tandem absque justo præsidio deserantur: vel ne commerciorum & mercandi prætextu intercipiantur. *Sic Anxur à Volscis interceptum.*

8 Ducum in exercitu discordiæ penitus eum perdunt. *Sic in Vejorum obsidione inter Sergium & Virginium.*

E. Olim militiæ capita fuerunt *Prætores, Quæstores, Consules*, quibus rerum summa committebatur: hodie habemus *Marchiones, Duces, Principes*: at ordo nostris temporibus & politia in negotiis publicis ita corrupta est, ut inferiores (modo non sit in conventibus publicis ratione dignitatis natalitiæ, ubi sese non possunt iis opponere) superioribus cedere nolint, existimantes se paris auctoritatis esse & ordinis: unde fit ut magnates nolint cedere tribunis & belli capi-

capitibus, à rege ordinatis; etiamsi hi sint principes: quæ res periculosissimæ in bello gerendo ignorantiæ causa est. Huic abusui ut mederetur *Hispanus* expunxit vanos & superbos titulos, quos quisque sibi attribuebat: nam titulus non operatur in militia sed virtus. *Vide Meter. ad an. 1623, ubi est pragmatica sanctio Philippi* IV *legenda. Imperator Severus*, ut discordiam capitum tolleret, ordinabat gradus militares, quos distinguebat habitibus diversis, ut dignitates interse dignosci possent: addebat singulis capitibus certum militum numerum, cui ordini obedire quisque tenebatur.

9 Dissolvendi exercitus, & magnarum in eo rixarum causa vel una hæc est, si militibus æra aut stipendia non persolvantur. *Sic in obsidione Vejorum.*

E. Hispanus miles sub *Alberto Austriaco* militans in Belgio non rarum hic est exemplum: norunt Brabantini & dolent; *vide Meteran. ad anno* 1576, 1599, 1600. Idem malignus animi morbus præsidiariòs *Pappenses* incessit, qui ob dilatum stipendium, *Pappam* Turcis prodidere. *Suartzemburgicus*, dum eos obsidet, glande stratus est. *Melchior Rederus* ad fugam compulit proditores, prehensosque ex iis exquisitis necari suppliciis curavit. *Thuan. l* 124.

10 Vicini populi auxilio juvandi prius quam à potentioribus opprimantur. Nam iis oppressis, postea facile ii ipsi in prædam cedunt, qui illos adjuvare neglexerunt. *Sic Hetrusci neglectis Vejis.*

E. *Elizabetha Regina Angliæ*, cum Ordines Belgii milite & pecunia contra Hispanum sublevaret, recte judicabat, Belgium esse sui regni propugnaculum, Belgisque devictis maxima sibi à

bi à Rege Hispaniæ imminere pericula.

11 Cùm est in exercitu ob ducem rerum perturbatio, mutato Imperatore, & alio in ejus locum suffecto viro strenuo, omnia quoque in melius mutantur. *Sic Furius Camillus in castris Romanorum omnia restituit.*

12 Bonus eventus, ac felix ferè virtutem bonaque consilia sequitur: ac proinde nihil, præsertim in bellis, temere & sine justo consilio inceptandum. *Livius De Furio Camillo.*

E. Expendenda heic est *Pax Praga* facta anno 1635. quis eventus ista consilia sequutus est? nimirum atrocius bellum; Ergo concludendum, ista consilia non fuisse bona, quia inclinabant non ad omnis Germaniæ, sed unius aut alterius Principis commoda & interesse.

13 Cuniculorum magnus in obsidionibus urbium usus. *Sic Veij capti.*

E. Cuniculi uti sunt maximum in re belli momentum prudenter & rectè usurpati, ita contra detecti magnum sæpe sunt nocumentum. veluti Principum consilia, quæ in vulgus edita, & non, qua decet, religione secrete habita, hostes potius quàm Principes instruunt.

Arausionum princeps Mauricius multa oppida & propugnacula, puta Covordiam, Steenvvicum, Groningam, Berkam, Moersam, Slusam, Graviam, & alias urbes subterraneis effossionibus & cuniculis in suam potestatem redegit. Lipsius in epistolis: Dixi, & verum est, Romanam militiam & opera imitantur BATAVI, & non gladio & armis solum, verum etiam dolobra victoriam quærunt, & obtinent.

14 Est prudentis Ducis exercitus de ea urbe, quam se statim capturum putat, supremi Magistratus sententiam sciscitari, & sequi. *Sic Camillus fecit.*

15 In longis & molestis, & diuturnis obsidionibus est præda captæ urbis militibus danda. *Sic Veij capti præda data.*

E. Ex trium annorum & VIII mensium *Ostendana* obsidione sat Hispanis molesta & auri-vora quam prædam hostes habuere testantur tumuli arenosi & rudera domuum; quidquid enim pretiosi inerat prudens militiæ præfectus *Marquettus* præmiserat, priusquam de tradendo loco cum Spinola ageret. At heic solet moveri quæstio, an præda loci expugnati non solum ad pedites, sed etiam ad equites pertineat? Respondetur ad utrosque ex æquo. Uberius rationibus additis excutit hanc quæstionem *Giov. Franc. Fiammelli nel prencipe Christiano guerriero lib.* II. *cap.* 17.

16 In unoquoque Regno aut Rep. unam duntaxat metropolim, non autem plures esse oportet, cujus jura non minuantur: facit enim ea res reliquum regni corpus inter se coadunatum & consentiens; plures vero metropoles illud antea unitum divídunt in factiones. *Sic Senatus Roman. obstat ne Veij & Roma æquentur.*

17 Magnam invidiam conciliat sibi dux belli, qui prædam militi jam promissam minuit, etjam religiosi voti specie & prætextu. *Sic Camillus.*

18 Æquitas, justitia, sinceritasque nostra, hosti nota, & patefacta, sæpe eum ad nos volentem pertrahit, & promovet ut se nobis dedat. *Sic Falisci se dedunt Camillo.*

E. Camillo Coss. Phaliscos obsidente, ludimagister plurimos nobilissimos pueros velut ambulandi gratia eductos in castra Romanorum perduxit, quibus interceptis non erat dubium, quin Phalisci deposita belli gerendi fidu-

cia

cia se tradituri essent Pop. Romano. Ea re cognita Senatus censuit, ut pueri vinctum magistrum virgis cædentes in patriam remitterentur. Qua justitia animi eorum capti sunt, quorum mœnia expugnari non poterant, namque Phalisci beneficio magis quam armis victi portas Romanis aperuerunt.

Exemplum ab incude adhuc calens accidit anno 1632 *in Bavaria Monachii*, cujus cives & incolæ conquerentes de Domini sui duritie & accelarato in subditos interitu, imo de fuga posthabitis civibus, sponte sesedediderunt *Gustavo regi Sueciæ*, cujus gratiam inexspectatam amplectentes solvunt ei ccccIↃ Ioachimicos ut ab omni expilatione liberi essent. Bene factum; nam infelicem belli exitum deditione prævenire è re civium est. Contra si dedititii non velint recipi, nec veniam impetrare possint, supersunt desperatis arma & animi ad cladem, si extrema cogantur sustinere. *Carolus Siciliæ Rex*, quia deditionem Messanæ, quam dedititii æquis conditionibus per Commissarios offerebant, amplecti noluit, cruentæ ultioni ac direptioni inhians, urbis spe etiam Regno excidit.

19 Truculenta est fera non homo, qui in bellis nulla esse belli, uti pacis, jura censet: sed quidvis tum licere judicat, neque ea jura sancte servat. *Sic respondit Camillus.*

20 Semper boni viri strenuique milites in Rep. sunt retinendi; maxime tunc, cum grave aliquod bellum magnaque calamitas impendet Reipub. *Sic intempestive ejectus Roma Camillus.*

21 Vel indigenarum inter se seditio vel terræ alienæ dulcedo, vel ipsorum peregrinorum multitudo nimia, solet eos in alienas regiones pellicere, & invitare. *Sic Galli in Italiam transeunt invitati.*

E. *P. Æmilius*, subtracturus Macedonibus omnem rebellionum materiem, primores gentis cum universa familia in Italiam transportavit. *Augustus Cæsar* Suevos & Sicambros deduxit in Galliam, & in proximis Rheno agris collocavit. *Sueton. in Aug.* *Galli*, gustato Italiæ vino, mox arreptis armis ad subigendam illam regionem profecti sunt, nullam aliam habentes belli causam; at pro vino Italico sanguinem mutarunt & evomuerunt Gallicũ. *Carolus Magnus*, Saxonũ toties rebellantium nobilitatẽ partim in Italiã. *Boter. v. de rat. stat.* VI. partim in Galliã Belgicã. *Æmil.* II. de *reb. gest. Frãc.* partim in Daciam traduxit: unde origo civitatibus Saxonicis in Transylvania. *P. Manut. in descript. Transylv.*

Philippus III. *Hisp. rex* ad C AC XXCIↃ Maurorum ex Hispania triremibus Caroli Auriæ in Africam transportavit, anno CIↃ IↃ CIX. Quanquam non deerant, qui factum carperent, quod tot hominum millia sacro baptismate abluta, quorum laboribus Hispania creverat, bonis exuti & seminudi in peregrinas oras ejicerentur: tamen ea tanti non esse Hispani asserebant, ut propterea regis regnique salus periculo exponenda sit. *Mauroc.* 18. *hist. Ven.*

22 Barbarorum in nostras regiones irruentium animi leniendi potius ut discedant & aliò sese recipiant, quàm armis irritandi. *Sic peccatum à Romanis legatis ad Gallos.*

23 Legatus Iurisgentium in acie dimicare non debet armatus. *Sic peccatum à Legatis Romanis contra Gallos: & lib. 6.*

E. Quemadmodum offendi Legatus non debet, ita neque offendere potest. Offendi non debet, quia inerme hoc munus est: mandata, non arma adferuntur. Sed si velit offendere, jam munus

munus ipse suum exuit & violat. Verum neque intolerabilis esse debet, quia inviolabibis; neque ad injurias pugnasque descendere, qui potissimum mittitur, ut injuriæ cessent, & ne pugnetur. Apud Euripidem Demophon Fecialem ab Eurystheo missum, & vi abripere supplices conantem, vi prohibuit: & eum ille diceret;

Tun' Fecialem cædere huc missum audeas?

respondit:

Ni Fecialis dexteram à vi temperet.

Volunt igitur plerique, Legatos hostilia moliẽtes atq; in crimine Majestatis læsæ deprehensos, prehẽdi plectiq; posse. Marselaer *l.* II. *dissert.* XIII.

24 Magnas injurias ab aliquo populo factas magnæ calamitates ejusdem sequi solent. *Sic Romani injurii in Gallos, ab iis fœdè victi, captíque.*

25 Magnas calamitates sequuturas solet magna magistratuum imprudentia vel negligentia, etiam præter solitum, antecedere. *Sic Romanis victis à Gallis accidit.*

E. Nimia præcipitantia etiam antecedit casum. Si lentè festinatum fuisset à prælio Pragensi anno 1620. nec tam citò VRBS, è qua in alia regimen; deserta mansisset, potuissent eodem modo, quo impedimenta & supellex regia servata & translata fuit, *corona, sceptrum, pomum regale, tabula provinciales, & secreta curia* servari, inque locum tutiorem reponi: hoc pacto hostis nullam, (quamvis falsè) scripsisset Cancellariam Anhaldinam, imo hoc fuisset præsens medium & plana via ad libertatis regni restitutionem, & læsæ partis sufficientes recompensas.

Eadem superiorũ incuria periit, O irreparabile damnũ! antiquissima *Bibliotheca* Heydelbergẽsis: quam inter se injusti distribuere prædatores.

26 Non debet nostrorum quantumvis nobi-

lium, aut gratiosorum populo, favor obstare, quo minus ab iis injuriç vicinis vel barbaris gentibus factæ, de quibus conquestum illæ venerunt, resarciantur: alioquin injustum bellum à nobis suscipitur: cujus est tandem tristissimus eventus. *Sic Romani ob legatorum, qui Gallos violarant, nobilitatem, injurias ab iis factas non sunt in iis ipsis ulti.*

E. Male *natio Polona* ut magistratuum ac legum pœnas effugeret, beneficium à Ludovico Poloniæ & Hungariæ Rege extorsit, ut se judice nobiles causam agerent, quoties de capite aut fama quæreretur: ex quo flagitiorum omnium impunitas secuta est, ac si quando rex accusatorum potentia & gratia coactus, nobilem damnaverit, nunquam tamen ullius sceleris causa quisquam capitali supplicio damnatur, sed annui tantum carceris pœna tenetur Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 6.

27. Bella absque Dei invocatione suscepta fere sunt infelicia. *Sic pugna ad Alliam fluvium.*

E. Exercitus Ordinum fœderatorum *in Frisia Boxemi, à Taxio* Hispanorum militum tribuno cæsus & profligatus est, quia per imprudentiam, temeritatem & insolentiam quandam, pium preces ad Deum fundendi morem ante pugnam omiserant. Invocatio enim divini nominis in omnibus actionibus tum bellicis tum politicis necessaria est, & salutaris. Eleganter cecinit beata illa anima, *Philippus Melanthon.*

Non opus est mannum melius, quam tendere palmas,
Ad cœlum, & digitis scribere grata Deo.

A divini enim numinis invocatione fœlices sunt omnium rerum exorsus, progressus atque exitus: & piorum oratio est verus ille strepitus, qui fugat

fugat Diabolos, si ex puro corde & læta conscientia profiscatur.

28 Obsidio ejus urbis, quam cito capere velis, & urgenda, & premenda: curandumque ne obsidentibus annona deficiat. Remissio enim aut negligentia obsidentium reddit obsidionem tandem inutilem. *Sic male à Gallis obsessum Capitolium.*

E. *Areta*, *Aristobulo* acie fuso Hierosolymæ incluso, dum obsideret urbem, *Oniam* virum sanctum, quod nec obsessis contra obsidentes (*ut ait Iosephus l* 14. *cap.* 5.) nec obsidentibus contra obsessos Dei precari vellet auxilium, lapidibus obruerunt obsessores, eoque scelere corruptis per iram Numinis frugibus, horrendam sibi accersiverant famam. Igiter *Aristobulus Scaurum* cccc talentis induxit, ut Aretam solvere obsidionem cogeret. Ipse discedentes insequutus VIICIↃ interfecit, interque eos fratrem Antipatri, qui bellum conciverat.

29 In rebus deploratis si quis Dux strenuus noster, nobisve notis in auxilium ex insperato adveniat, perinde atque ex ipso cælo dimissus nobis divinitus creditur: nostrosque animos plane confirmat, & fortes reddit, & in spem erigit. Itaque in magnis periculis Reipub. talem quempiam apparere ex bonis proceribus oportet, ut sit ejus immortale nomen. *Sic Camillus desperatis Romanis auxilium ferens.*

E. *Leidenses* cum ab Hispano obsessi premerentur, & *Gulielmum* Arausion. Principem, Ordinesque sœpe orarent, dare omnem liberandis operam vellent; visum tandem fœno, stramine, frumentoque passim ex agris subducto, *Mosam* atque *Iselam*, perforatis eorum aggeribus, denique *Oceanum*, intromittere, ac

reipsa hosti ostendere ; *nihil sibi ante libertatem poni, & jacturam, quamvis magnam, ac sexcentis circiter millibus florenorum æstimatam, contra vitam, fortunasque, inde corporis, conscientiaque sua, detestandam servitutem, parvi facere,* Vide *Meursium lib.* IX. *in Guliel. Auriac.* Cogita & imitare fidem hanc Batavam Germane: *Delphii* perire volunt, modò consultum sit *Leidæ* & patriæ libertati. *Gustavus Succiæ Rex* meritus immortale nomen apud Germaniæ principes, inprimis apud Elect. Sax. *Ioh. Georg.* quem servavit Lipsia obsessa Tillium fugans; Luzenam deinde deploratissimo Saxonis statu servaturus, vitam pro isthoc auxilio amisit.

EX LIBRO SEXTO.

MAgnas Reip. clades insequi solet sociorum defectio; & vicinorum in afflictam Remp. conjuratio, præsertim qui prius ab ea læsi fuerant. *Sic Hetrusci, sic Hernici in Romanos post pugnam Alliensem insurgunt.*

2 Prima in bello ab hostibus præda militibus data, maximè eos in reliquum bellum acuit & animat. *Sic Camillus Volscorum prædam dedit militibus.*

3 Victorem hostem invadere ipso victoriæ die (quòd ferè solet esse negligentior aut dissolutior) ut plurimum tutum fuit. *Sic Camillus Hetruscos Sutrinorum victores vicit.*

4 Ad urbem priùs incendio consumptam citò reædificandam, debet Resp. ædificantibus materiam gratis vel minimo pretio concedere: eosdemque privilegiis & prærogativis donare, vel in perpetuum, vel ad tempus. *Sic Roma à Gallis exusta reædificata.*

Cum

E. Cum opidum, *Veteres aquæ*, in Batavia ab Hispanis esset occupatum, civibus miserè & crudeliter trucidatis, ac deinde urbe incendio penitus deformata, Ordines Bataviæ civibus superstitibus, immunitatem vectigalium à tributis vini, cerevisiæ & aliorum per multos annos concesserunt, aut vice immunitatum certam pecuniæ summam annuam illis numerari mandarunt.

5 In obsidionibus ad obsessos fatigandos multum prodest obsidenti Duci, suos omnes in certas partes, easque plures dividere, quæ certis horis sibi vicissim succedant in continuanda diu noctuque oppugnatione. *Sic Contenebra capta.*

6 In bellis uti nihil timendum quod sit minimum, ita neque contemnendum. *Camillus.*

E. *Antonius* triumvir ad milites in bello contra *Augustum*: Timui, audax fui, quorum alterum me condocefecit, ut non facilè metu corripiar, alterum, ut temerè non efferar, eoque & timoris & audaciæ modum calleo, fortuna & adversa & secunda usus sum, ut neque desperandum quicquam, neque contemnendum sciam. *Dio. lib.* 50.

Eleganter *Augustinus*: Fortitudo via regia est, à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est; & pertinax, ad sinistram, qui formidolosus est, & pavidus.

7 Vbi plura bella simul Reip. ingruunt, plures quoque duces eligendi, quo faciliùs singula administrentur. Sunt autem singulis singuli cum æquali imperio præficiendi.

E. Ex hoc monito Galliæ Rex hodie bellū movet diversis sub Ducibus cōtra Hisp. in statu Mediolanēsi, cōtra Infantē in Flandria, cōtra Lotharingium

patis Genuæ navalibus de triremem in triremem noctu transilit, in mare delapsus demersus fuisset, *Aurias* omnes ex urbe expulisset. Hujus tumultus auctores *Farnesii* dicuntur, inprimis *Petrus Ludovicus* Placentiæ *regulus*, *Bellicar. l. 24.* Ampliter videatur *Thuanus* ad an. 1547, *Foglietta, Sigonius, Campanaccius, Bonfadius*, & *Augustinus Mascardi della congiura di Gio. Luigi de Fieschi.* Similia inter *Strozzas & Medicæos* alligare, & inter alios summos viros alio loco & commodiori suspendimus.

Romæ publice in gratiam initio suscepti muneris redire cogebantur, qui eosdem magistratus eodem tempore erant gesturi.

12 In Aristocratia vel Democratia unus quispiam in honoribus nimium diu continuatus, cæteris Proceribus est invidiosus, & insidiis vel appetitur vel criminationibus tollitur. *Sic Camillus à Capitolino.*

E. Romæ SC. factum, ne quisquam ex iis, qui consulatum aut præturam gessissent, exteriorem aliquam provinciam ante quinquennium acciperet, sperantes vel hac ratione ambitus magistratuum coerceri posse, si pateret eum qui obtinuisset, non statim cum aliqua potentia futurum *Dio. l. 40.*

Alibi *Livius*: Libertatis sive principatus magna est custodia, si imperia diuturna esse non sinas. Longiora enim & diuturna imperia multos attollunt, & ad res novandas impellunt. *Dion. l. 52.*

13 Olim fuerunt numerosissimæ nationes, quæ nunc vix seminarium sobolis habent. *Sic olim Volsci & Æqui. Livius.*

14 Usuræ coercendæ, certaque mensura, quæ non sit gravis plebi, definienda. Alioquin seditio

tio facilè ex earum immoderata exactione oritur: *Sic Roma A. Cornelio Cosso dictatore, T. Quintio Magistro equitum.*

E. De *Vsuris* coërcendis superius dictum; de *mensuris annonæ* curam gerere debet magistratus, ut modii, stateræ, pondera certa sint & justa; iisdemque præficiantur præfecti, ne mensuris ponderibusque fiat fraus. Quod olim apud Romanos, hoc hodie apud Illustres VENETOS obtinet; invenias hic ponderum & mensurarum præfectos; nec non veteris justitiæ ædiles, qui rerum venalium pondera, si iniqua deprehenderint, lege castigant. In *Hollandia* statis anni temporibus inquisitione frugum habita publicis urbium locis expressum videmus panis pretium, ne imponatur emtori aut venditori.

E. Iustinianus Imp. certum modũ usuris præscribit, scilicet ut illustribus seu nobilibus personis trientes usuras, hoc est pro centum aureis annuatim quatuor, mercatoribus besses, hoc est octo pro centum, cæteris omnibus semisses usuras hoc est sex aureos pro centum tantum accipere liceat. l. eos. 26. C. de usur.

Vsuræ barbaris gentibus valde fuerunt exosæ: Persæ primum locum inter peccata assignabant mendacio, secundum æri alieno: Nam qui usuris oppressus grande æs alienum contraxit, plerumque eum comitatur mendacium. Plutar. in lib. de vitando ære alieno.

Cato in lib. de re rustica. Majores nostri legibus sanxerunt, furem dupli, fœneratorem quadrupli condemnari. Quanto pejorem civem existimarint fœneratorem, quam furem, hinc licet æstimare.

15 Principes & magistratus in populo regen-

do, imperioque tuendo sese consensu hominum subditorum, & Dei auctoritate niti intelligant potius quàm viribus propriis. Nam ubi populus vires suas semel agnoscit & æstimat, facilè Reges dejicit, & depellit. *In oratione Manlii Capitolini.*

16 Si vel semel apud se populus decreverit, ne tyrannicè regatur, & ut tyrannidem à suis cervicibus depellat & decutiat, penè jam tyrannidis victor est. Magna enim populi adversus Tyrannum victoriæ pars est, Nolle amplius Tyrannidem pati. *In oratione Manlii Capitolini.*

17 Vulgi mobile ingenium. Itaque facilè subverti apud eum possunt, qui plurimum antea valuerunt, præsertim si à Proceribus populo faventibus & gratiosis apud ipsummet populum accusentur. *Sic Manlius Capitolinus eversus.*

18 Plebis ea natura est, ut libertatis & honoris potius nomine & jure concesso gaudeat, quàm usu ipso. Itaque etiam quos honores ipsa, vel plebeii homines gerere possent, facilè suis suffragiis Proceribus & nobilioribus, aliisque ordinibus majoribus concedit, & defert. *Sic Tribuni militum creati penè semper ex patriciis.*

E. plebs aut humiliter servit, aut superbè dominatur ait *Livius.* At plerumque inops honorum, nec opum concupiscens humi serpit, & animo prædita est nunquam assurgente sublimibus consiliis, & cogitationum magnitudine.

Satis est populus fluviusque Ceresq;. Lucan.

19 In magnis imperiis plures exercitus esse oportet, ut qui in diversis regni finibus bellum gerant; vel qui ad gerendum, si suboriatur, sint

sint parati. *Sic Romani semper plures habuerunt.*

E. Aphorismus hic lectori injicit *Pacificationem Pragensem* inter *Ferdinandum* II. *Imper.* & *Iohan. Georg. Elect. Sax.* factam anno CIↃ IↃC XXXV, quo remitto lectorem, ubi lubido est, ut videat magnum illum exercitum ; **Der Röm. Kayserl. Mayest. vnd des H. Römischen Reichs Kriegs-Heer.**

20 Bella vel non absque populi consensu sunt ab Ordinibus decernenda : vel ex ipso populi scito sunt indicenda, quo & juste & majori animo gerantur *Sic Romæ auctoribus patribus plebs decernebat bellum.*

E. Quondam Legem *Lacedæmonii* sanxerunt, ut decem Spartani consiliarii adjungerentur Regi, sine quorum authoritate non liceret ei exercitum educere extra civitatem.

21 Minor exercitus majori, præsertim veterano & exercitato & victori, non temere ad pugnam objiciendus. *Sic peccatum à L. Furio: sic recte consultum à M. Camillo contra Volscos.*

22 Magna subditorum, vel sociorum rebellium & pœnas meritorum, ad placandos Principes suos, ratio & via, si statim pœniteant, & armato Principum suorum exercitui in se venienti nihil, nisi pacis & benevolentiæ signa & effecta ostendant. *Sic Tusculani pacem à Romanis impetraverunt.*

E *Crescens Nomentanus* Romæ consulatum adeptus favore populi pernitiosam seditionem excivit, ejiciens Pontificem Iohannem, hic de Crescentis consiliis & turbato Ecclesiæ statu Imperatorem certiorem faciens, rogat ut sibi suppetias ferat & Ecclesiæ. *Otho* cum ingenti exercitu Moguntia digressus, Alpes emensus Veronam accessit, mox Mediolanum, unde motibus compo-

compositis Romam properabat: *Crescens* cognito Othonis adventu in Italiam, rebus diffisus suis *Iohannem* Pontificem, qui in Etruriam se receperat, per affines & propinquos ejus sibi reconciliavit, & in Vrbem ex Thuscia revocatum ipse cum senatu omnibus honoribus ad pedes ejus provolutus excoluit. Ita Otho placatus.

E. *Dio lib.* 63. narrat de Teridate Parthorum rege, qui devictus Romam supplex veniens Imp. Neronem hoc modo allocutus est: Ego, inquit, domine, Arsaci nepos, Vologesi & Pacori regum frater, servus tuus sum, venique ut te Deum meum, non secus ac solem colerem. Equidem is ero, quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es, & fortuna. *Huic Nero ita respondit.* Tu quidem quod huc veneris rectè fecisti, quod præsens præsente me frueris. Nam quæ neque pater tuus tibi reliquit, neque fratres quæ dederant, servaverunt, ea tibi nunc ipse do, teque regem Armeniæ facio, ut tu atque illi simul intelligatis, in mea potestate esse regna dare & accipere

Cum *Davidi* 1. *Sam.* 25. commeatum petenti *Nabal* denegasset, & *David* cum exercitu veniret ad ipsum cum tota familia perdendum, occurrit ei *Abigail* vxor Nabalis, animum ejus iratum blandis verbis placatura inquiens: Ne quæso vlciscatur dominus meus virum istum nequissimum, nam prout est nomen ejus, penes ipsum est stultitia. Accipe donum illud, quod adduxit ancilla domino suo. Quo alloquio mitigatus rex David, à cæde & vltione Nabalis abstinuit.

23 Seditiones domi continuæ vicinos nostros alioqui quieturos ad bellum nobis inferendum incitant. *Sic Roma.*

24 Vbi majus opidum primo impetu capi non potest, est circumducendum circa opida vicina & minora bellum, ut illis prius captis, hoc postea capiatur. *Sic Pranestum capta.*

E. At contrarium hodiè statuunt Viri bellicosi, nisi velint errare in expeditione militari: Ita non multis ante annis erravit Comes stabuli Galliç D*esdiguierius*, qui dum Genuam expugnare debebat, prius vim belli in exigua castella, uti G*avi* & alia vertit, neglectâ urbe *Genua*, quæ interea vires colligens exuit hostem potentia adeundi, sicut omnino falsus sit Genuensi expugnatione. *Ioh* A*ndegavensis* cum ad opida quædam regni Neapolitani substitisset, nec confestim exercitum ad urbem regni caput admovisset, victoriam corrupit, & vel ipsius Ferdinandi hostis testimonio facultatem occupandi regni prorsus amisit. *Ioh. Bap. pign.* 8. *hist.* A*test.*

Melius *Bavarus* rectà Pragam contendit, quam prælio ad urbem facto, victoria obtenta, relictis minoribus Bohemiæ civitatibus, eodem die mox expugnavit.

25 In statu Democratico omnes honores cum populo communicari oportet, priusquam inter ordines pax firma esse aut durare possit. *Sic Consulatus Romæ tandem cum plebeiis communicatus.*

26 Hæc tria maximè in Rep. contentiones movent, Agrorum nempe, Pecuniarum, & Honorum publicorum vel ademptio, vel discrimen, vel contentio, quæ fit inter ordines. *Sic à* C. *Licinio Stolone, & L. Sextio Tr. Pl. commota per quinquennium Roma.*

E. Cum A*gis rex* tabulas omnes debitorum in publicũ allatas una & eadem flamma comburi jussisset, eoque incendio nullum unquam secla-

rius

rius vidisse testatus esset, cumque omnes agros ex æquo distribuere conaretur, ab Ephoris in carcere necatus est.

Nabis tyrannus cum Agros expugnasset, duas leges promulgavit; alteram novarum tabularum, qua debitores ęre alieno liberabat; alteram agrorum ex æquo adjudicationem, duas faces, (inquit Liv,) novantibus res ad plebem in optimates accendendam. Cum *Tiberius Gracchus* de publicis agris legem tulisset, ut quod de quingentis jugeribus in singulas familias superesset, tenuioribus dividerent, antea cæsus est, quam legem perferre potuit. Decimo post anno eadem ferè perlata est lex à *Cajo Graccho* fratre, qui etiam in magistratu seditione ab optimatibus coorta cæsus est. *Livius lib.6.*

27 Plurimum ad adversæ nobis in Repub. factionis infringendas vires prodest, quempiam ex ea adversa factione habere nobis faventem, & suis contrarium. *Sic Combustus patricius præcipua causa cur ex plebeis alter* Coss. *fieret.*

28 Plebs ad eas leges, quæ ad ipsius lucrum, & sublevationem bonorum pertinent tutandas potius animatur, quàm ad eas, quæ ad solum honorem spectant, cumque illi tribuunt. *Sic Romæ de Fœnore leges & Agrariæ potius auditæ, quàm de communicando consulatu aut aliis dignitatibus,*

29 Præstat proceres de suo jure aliquid remittere, vel tolerabilibus conditionibus cum plebe pacisci de honorum modo, quàm eorum causa perpetuum cum ea dissidium facere. *Sic Consulatus concessus plebi, accepto uno prætore & ædilibus Curulibus.*

EX

EX LIBRO SEPTIMO.

IN Repub. bene instituta ne liceat parentibus liberos suos, aut qui ex iis minùs prosperi erunt aut sciti, ablegare, durè tractare, aut propterea exhæredare. *Sic damnatus Manlius imperiosus.*

2 Certamen & bellum adversus socios eadem militiæ disciplina & armorum genere vtentes quo nos, longè difficilius solet esse, quàm adversus extraneos: ac proinde aut rarò, aut nunquam illi hostes habendi. *Sic bella cum Hernicis & Latinis fuere Romanis difficiliora.*

3 Imperia nunquam ex paruis magna fiunt absque variis, continuis, periculosisque tum cum populis vicinis, tum cum remotioribus, certaminibus, prœliis & bellis. *Sic res Romana crevit.*

4 Sæpè profuit equitum numerum vel fallaci specie augere, agasonibus armatis & in equos impositis, quo terror hostibus addatur, vel dimicationi numerus iste superueniens hostes pavefaciat, quasi nouarum virium accessio esset. *Sic C. Sulpitius dictator contra Gallos pugnaturus fecit.*

5 Socij deficientes quàm primùm vel armis, vel æquis conditionibus retrahendi, ne exemplo suo cæteros ad deficiendum moveant. *Sic Romani semper studuerunt.*

6 Coloniæ à nobis conditæ deficientes, sunt gravissimè puniendæ, ut cæteris terror iniiciatur.

E. Romani subditos, qui ab imperio defecerant multò grauius quam socios punire consueverunt. *Livius lib. 9.* In *Veliternos* veteres ciues graviter

graviter sæuitum, quod toties rebellassent, multi disiecti, Senatus abductus. Persugæ 380. Romam missi, virgis in comitio cæsi, & de saxo dejecti sunt.

7 Nimia sævitia non irritandus hostis, præsertim potentior. Eandem enim postea in nostros rependit. *Sic Romani Tarquiniensibus sævitiam immolatorum in suo foro Romanorum reposuerunt.*

E Nimiæ seviti; exemplum anno 1625. occurrit, cum *Genuates* præsidium Sabaudi capitum c c c in opido Oneglia mactarent: at paucis post diebus *Princeps Victorius* recuperato eodem opido, Genuense in præsidium pœnam talionis exercuit. Rursus *Genuates*, opidis *Albenga* & *Laena* expugnatis, c c c *Gallos* in præsidio excubantes, vindictæ loco cruenta cæde per carnifices & gladios sustulerunt, capitibus palis infixis, murisque pro spectaculo impositis.

Cum *Cyrus* rex Persarum filium *Tomyris* reginæ Scytharum in prælio crudeliter occidisset vicissim regina *Tomyris*, compositis in montibus insidiis, ducenta Persarum millia cum ipso rege trucidavit. Ipsa denique regina caput *Cyri* amputatum in utrem humano sanguine repletum injiciiussit, cum hac exprobratione. Satia te, inquit, sanguine quem sitiisti, cujusque semper insatiabilis fuisti. *Iustin. libr.* I.

8 Qui nobis afflictis succurrerunt, aut auxilio refugioque fuerunt, benignè semper tractandi, & facilè ad pacem & fœdus, etiamsi postea hostes fiant, admittendi. *Sic Cæritis facilè pax data à pop, Romano.*

9. Novarum tabularum promissio, aut debiti condonatio, cum fidem publicam, & Iurisgentium contractus tollit; tum etiam potentiorum animos

animos in tenuiores concitat: ac proinde nunquam hæc ratio fœnoris dissolvendi ineunda: sed potius ut de publico Resp. pro tenuioribus solvat, usuris in sortem imputatis. *Sic Romæ factum à Quinqueviris Mensariis.*

10 Aut nunquam, aut rarò hostis in colle & de superiore loco pugnans, est invadendus. Nam qui in eum locum subeunt, facilè & lassantur, & vincuntur. *Sic Galli victi à Popilio.*

11 Magna victoriæ obtinendæ ratio est, si hostem, qui solùm ex rapina, non commeatu vivit, prædari, stationibus dispositis, prohibeas: cũ eo verò ne confligas. *Sic L. Furius Ca. Filius egit.*

E. *Iosephus lib. 20. antiq. Iudaic. c. 12.* scribit de Ægyptio quodam Pseudopropheta, quod arrogata sibi prophetæ opinione, triginta ferè militum millia congregarit, quæ ex solitudine ducens in montem Olivarum, Ierusalem capere annixus fuerat, sed oppressi fuêre subitò à Felice Iudææ tum præside.

12 Multum ad vicinos potentiores in nostri belli societatem petrahendos prodest utilitatis, securitatis, & magnitudinis imperii, quæ ad eos inde ventura est, perspicua demonstratio. *Sic Campani agunt apud Senatum Romannm.*

E. *Franciscus* I. *Gall. Rex* misso Legato suo *Clemente Langa* ad *Venetos* rogabat Rempublicam, ut se jungerent belli socios contra domum Austriacã, *Thomaso Roccabella nel prencipe prattico.* Novissimum exemplum suppeditat *Vladislaus Rex Poloniæ*, qui per legatum suum ampla oratione proponere annisus est *Christiano* IV. *Regi Daniæ* utilitates, exspectandas ab urbe Dantiscana, si collata ope ejus expugnationem adjuvare vellet.

13 Quos impellere ad nos defendendos oblata iisdem

iisdem societate non potuimus, nostri deditione facta ad nos tuendos penè cogimus. *Sic Campani se dedunt Romanis.*

14 Vt novi commodioresque socii asciscantur, nunquam veteres socii perfidè vel violandi, vel reliquendi. Nam ea nova societas tandem malè cedit. *Sic perfidè agunt Romani, dum Samnites socios deserunt propter Campanos, & inde gravissima bella nata.*

15 Acerrimè sub eo duce pugnant milites, quē habent charum *Sic Romani sub Valerio Corvino.*

Multa exempla vidimus in exercitu invictissimi Principis *Mauricii* contra Hispanum, dum in obsidionibus, præsertim *Steenvvicensi*, & *Lingensi*, pro amore ducis belli sæpe milites, valla & muros urbium hostilium fortiter invaserunt, victoriamque egregio aliquo facinore, vel arma hosti eripiendo, vel eos trucidando, præclarè ab hoste reportarunt.

Scipio Major ostendit à militibus Imperatorem amari potius, quam hostem metui debere. Itaque percontanti, qua re fretus classem educere pararet in Africam; respondit, Viros armatos sese exercentes, & turrim excelsam habere mari imminentem, addens: Nullus eorum est, qui non conscensa navi semet in mare præcipitaturus sit, si jussero.

16 Qui à conflictu se in aliquem locum subducunt, ex quacunque causa, sæpe se in grave periculum conjiciunt, quod à reliqui exercitus corpore se separent, & hosti valentiori pareant. *Sic P. Decius colle occupato penè seipsum perdidit.*

17 Circumsessis & obsessis una salus nullam sperare salutem. Nam desperatio vires & animum addit. *Sic P. Decius.*

18 Cum

E. *Gandenses* obsidebat *Ludovicus Maleanus*, & quia fame & ferro undique premebat, cum iis pacisci recusavit, nisi subirent leges ingenuis indignas. Quid illi, servituti neutiquam addicti vel assueti? ad audendum in hortantur invicem: & quamvis ut imbelles urbis incolæ, ac veluti spontanea victima proruerent in hostem armatum; quinque tamen ex istis millia, triginta militum millia fundunt. *Marsel. de legato lib. 2. dissert. 22.*

Desperatorum, (*inquit Guisius apud Thuan. lib.* XI.) est ad mortem obstinare animos, & in sanguinis tam sui quam alieni effusione victoriam collocare. enimverò eos propterea contemnere non debemus; nam victis aliquando virtus ex desperatione in præcordia redit, & negligentia victoris pulcerrimæ plerunque victoriæ amittuntur.

18 Cum nox eruptioni oportunissima in bellis: tum verò noctis secunda vigilia. P. *Decius.*

19 Pauenti hosti ex quacunque causa & perterrito instandum. *P.* *Decius.*

20 Strenuis ducibus, item & militibus per quos vel victoria parta est, vel servatus exercitus, præmia danda ad cæteros excitandos. *Sic P. Decio & ejus militibus data.*

E. *M. Aquilius* cum causâ de pecuniis repetundis diceret, ipse judices rogare noluit: *M. verò Antonius* orator ejus, tunicam à pectore ejus discidit, honestasque vulnerum cicatrices, quas pro defensione patriæ acceperat, ostendit, quo facto statim absolutus est. *Cicero.*

Cautum fuit præterea Legibus *Solonis*, ut præter ea dona, quæ militibus duces impartiti fuerant, illorum filii qui bello occubuissent, publicè alerentur, & bonis disciplinis instruerentur.

Adhæc

Adhæc illis, quorum virtus insignis in bello fuerat, frequens munus erat, corona ex auro, nonnunquam teniis aut vittis caput ornare, aut publica sepultura in Ceramico. *Alex. ab Alex. lib. 4. genial. dier cap.* 18.

21 Adversus obstinatum hostem est obstinatè & totis viribus junctis pugnandum. *Sic Romani adversus Samnites.*

22 Vt pax inter milites sit, est præda sincerè ab unis, dum alii pugnant, servanda, & postea justè dividenda. *Sic M. Valerius castris Samnitum captis.*

23 Tunc optima hostilium castrorum invadendorum opportunitas est, cùm illi securè frumentatum, & prædatum ierunt, & magno numero. *Sic M. Valerius.*

24 Peregrini auxiliates invitati sæpe nos dulcedine nostræ regionis capti expellunt, aut expellere conantur, præsertim si nos imbelles videant. *Sic Romani stationarii expellere cogitant Campanos.*

25 Seditiosi milites per speciem honestæ missionis aut commeatus procurandi, sæpe purgandi potius, quàm missione inhonesta. *Sic C. Martius Rutilius fecit.*

26 Difficili bello urgente militum secessio & murmur, licet pœna dignum, pro tempore dissimulandum tamen potius & condonandum, quàm serverè puniendum. *Sic M. Valerius Corvinus impetrat veniam seditiosis militibus, qui ab Lautulis fugerant.*

27 Intestinas frequentesque alicujus populi seditiones solent sociorum & subditorum defectiones ac rebelliones sequi. *Livius.*

Guic: lib. 7. bello Itali. Sic civiles discordiæ homines vlterius quam primò constituissent, sæpè

sæpè, etiam ad defectionem à fide Principi suo debita trahunt. Exemplum extat in defectione *Genuensium*, à *Ludovici* Gallorum Regis fide & obedientia.

EX LIBRO OCTAVO.

CVm veteres socii facilè in fœdus antiquum recipiendi, tum liberi relinquendi, ut suo arbitrio bellum & pacem cum non confœderatis nobis populis gerere possint. *Sic Romani admittunt Samnites.*

2 Hostibus victis, ager, vectigalia sua, & reliquæ res vel minuendæ vel adimendæ, ne facilè postea arma capiant. *Sic Romani soliti.*

3 Etiam commoda oblata aspernanda, ne fidem datam, & fœdus sociale violemus. *Sic Romani Sidicinos rejiciunt.*

E. *Illustri Principi Mauritio* cum insignis ensis auro & gemmis prædives, quem ante Ordines Flandriæ, Artesiæ & Hannoniæ *Comiti de Fuentes* donarant, ex præda Hispana obvenisset; aspernans coruscantem prædam, liberali eam animo, quo ad posteros vivit immortalis, Bruxellas eidem comiti remisit.

In sententia *Barnefeldii* expresse continetur, eum contra juramentum, quo Ordinibus obligatus erat, magnas argenti summas & munera ab exteris Magnatibus clam ad se recepisse, nec ullum, quod tamé decebat, de ista re informasse, *Meteran. ad annum* 1619. Contrà laudatur integritas *Antonii Condulmeri*, Legati Veneti ad *Ludovicum* Gall. Regem; hic ligæ Cameracensi junctus contra Rempub. Venetam, Legato discessuro auream catenam donare volebat; quam generosè repudiavit dicens: Non opus est muneribus

neribus regiis, cum animum inimicum habeas in patriam meam, quam armis infestare desideras. *Giuseppe Matthcacci nei ragionamenti politici, degli Ambasciadori.* *Fabritii* integritas apud *Pyrrhum Epirotarum regē* nota est ex hist. Rom. qui nec auro nec terrore Elephanti à fide data expugnari poterat.

4 Caveant imbecilliores socii, ne propter potentiorum sociorum æquitatem, justitiam, modestiam, aut mollius erga se responsum insolescant, & se metui ab iis putent. Itaque temere ne quidpiam in eos conentur aut moliantur.

5 Etsi quæ socii & hostes occulte in nos machinantur, sæpe sunt dissimulanda; tamen nunquam prætermittenda sunt, quin iis à nobis obviam eatur, & remedium quæratur. *Sic adversus Latinorum conjurationem Romani prudenter, sibi prospiciunt.*

6 Vbi adversus validos hostes, & eodem nobiscum armorum genere utentes bellum est, severissima disciplina, & Manlianis imperiis opus est, qua exercitus noster contineatur, & conservetur, ac victor fiat. *Sic in bello contra Latino Romani.*

7 Nunquam in castris militaris disciplina vigebit, si Dux exercitus sui suorumve favore quosdam milites de ea dispenset. *Sic Manlius Cons. filium plecti jussit.*

E. *Comes Lycestrius*, Gubernator Belgii, *Dominum de Hemert*, qui propter timiditaté & imperitiā rei militaris opidū Graviam hosti dediderat, capitis supplicio cum duobus centurionibus Vltrajecti affici mandavit. Anno 1586.

Valer. Max. l. 2. C 8. ait: disciplina castrorū acriter retēta, principatū terrarū Rom. imperio peperit. *Dio.* l. 53. Romani nulla re alia orbé Roma-

num subegisse videntur, nisi armorum exercitio & disciplina castrorum.

8 Hosti victo vires suas recolligenti est mature obviam eundum ac occurrendum. *Sic Manlius Latinis victis exercitum colligentibus.*

9 In magnis & difficilibus bellis præmia cuique strenuo, & victoriæ auctori aut parti, honesta tribuenda. *Sic Manlius fecit victis Latinis.*

E. *Sueton. de Iulio Cæsare* scribit; Nullum officiorum aut largitionis genus in quempiam publice privatimque omisit. Militibus singula interdum mancipia, vel prædia viritim dedit.

10 Miserrima est populi conditio, qui neque pacem, neque bellum ferre potest.

11 Vbi neque ad pugnandum hosti par es, neque cum eo pacisci vis, in opidis te contineto: & si quod ex his ab hoste oppugnetur, communibus viribus defendito.

12 Firmissimum est imperium, quo obedientes gaudent. L. *Furii dictum.*

13 Beneficio potius, quam summa clade & internecione socii à nobis victi sunt afficiendi, quo & iidem ipsi & cæteri sint nobis æquiores.

14 Dum eorum, qui victi sunt, animus in exspectatione adhuc est, festinato vel pœna, vel beneficio sunt afficiendi. *L. Furius.*

15 Dum obsidemur, nunquam est tutum nos vino epulisque sopiri: tunc enim facile capimur. *Sic Caletes capti à Corvino.*

Douza in Batavia: Charietto præfectus militum Romanorum sub Imper. Iuliano Quados quotidianis incursionibus infestantes Romanos repressit: atque noctu plerunque solus in densissimas sylvas abditus, ubi somno & temulentia victi

victi stratis passim humi corporibus jacerent, capita barbaris abscindebat, quæ postea in urbem allata civibus ostentaret.

Anno 1600. ult. Nov. cum Hispani milites Antverpiæ encœnia D. Andreæ celebrantes vino largiter se obruissent, Centurio ordinum fœderatorum instructus aliquot copiis militaribus, noctu navem prætoriam ex portu urbis, cum tormentis bellicis, & aliis onerariis navibus abduxit, & in Zelandiam sine ulla aut exigua clade militum advexit. Vere de capta Troja cecinit Virgilius.

Invadunt urbem somno vinoque sepultam,
Cæduntur vigiles, portisque parentibus omnes,
Arripiunt socios, atque agmina conscia jungunt.

16 Qui nobiscum non nisi de libertate pugnarunt, victi & amici habendi sunt & fovendi. *Sic Privernates.*

17 Hi populi præveniendi amicitia, & hostibus nostris eripiendi, qui amici plurimum in bello prodesse; vel inimici nocere possunt. *Sic Privernates cives facti.*

18 Non est toti societati, aut civitati imputandum, quod à quibusdam illius civitatis privatim, non autem publico consilio fit. *Sic Samnites respondent Romanis.*

19 Injuste bellum suscipit, qui ad communes socios disceptationis & querelarum causa provocatus non comparet; sed statim arma infert. *Sic Samnites peccant provocatiâ Romanis.*

E. *Ferdinandus Aragonius*, quanquam causas habebat justissimas bello petendi *Ludovicum Sforzam*, nunquam tamen id voluit, ne quietem Italiæ, quam rebus suis necessariam videbat, turbaret.

20 Eum locum in bello capere est consultissimum, ubi societatem hostium, qui sibi mutuo auxilium ferre cogitant, dirimere, aut impedire possis.

21 Eum qui jam feliciter obsidionem cœpit, ab ea minime avocari oportet: sed usquequo sit expugnatum, præstat eum ibi relinqui. *Sic Philo ad Palæoplin relictus.*

22 Fortes & strenui, & qui nostris hostibus plurimum nocere possunt, facile in nostram societatem admittendi. *Sic Brutij & Appuli à Romanis accepti.*

23 Præstat hosti clementi se dedere & fido, quam sociis trucibus, injuriis, & ferocibus sese committere. *Sic Palæopolitani prætulerunt Romanos Samnitibus.*

24 Maxime ab eo proditorũ genere cavendũ est, qui quũ Principes sint civitatis, cum hostibus vel per se, vel per transfugas sibi notos consentiunt. *Sic Charilaus Palæopolin prodidit.*

25 Sæpe injuriis & contumelia ementita populus aut Magistratus irritatur in vicinos aut socios. Itaque hujusmodi querimoniis de injuria à vicinis illata minime credendum temere est. *Sic decepti Tarentini.*

26 Potentiores populi nequaquam, vel non temere ab imbecillioribus ad bellum provocandi. *Sic Samnites nolunt provocare Romanos.*

27 Ex malis moribus bonæ leges ortæ. *Sic ob libidinem unius fœneratoris desierunt debitores Romæ necti.*

28 Nimia Imperatoris severitas, re præsertim bene gesta, movet seditionem in exercitu sæpissime. Summum enim jus summa est injuria. *Sic Papyrius Cursor quum Fabium M. equitum punire vellet, re bene gesta.*

E. Cum

E. Cum *Ionathan* inscio patre *Saule*, solo armigero suo adjutus, divino spiritu & signo incitatus, copias Philistæorum fudisset, pater intempestivo edicto filium ut violatorem interdicti ad mortem damnavit, at per milites suos liberatus est. 1 Sam. cap. 14.

29 Militaris disciplina, ac præsertim summi ducis auctoritas, ut sit in exercitu sacrosancta, venerabilis, & tuta, est modis omnibus curandum. *Sic L. Papirius Cursor eam retinuit adversus Fabium.*

E *Imp. Iustin. in lib. 1. C. de Iust. in Cod.* confirmando, ait, militarem rem tam legibus in tuto collocatam esse, quam leges armorum præsidio servatas, & horum alterum alterius consilio semper eguisse.

T. Manlius Cos. filius cum contra Senatus & patris imperium cum hoste *Geminio Metio* fœliciter pugnasset, eumque fortiter telo ad terram prostravisset & jugulasset, spoliisque ab hoste abductis, ovante gaudio ad patrem in castra rediisset, jussu patris à lictore cervix ei præcisa est. Satius esse judicans patrem forti filio, quam patriam disciplina militari carere Livius decade 1. lib. 8. Val. Maxim. lib. 2. cap. 2. de disciplin. milit.

30 Imperatoris in exercitu comitas, curaque de sauciis & de inopia militum, prædæ donatio, magnam illi benevolentiam conciliat: & sæpe iratum militem placat. *Sic placavit ea res exercitum Cursori.*

31 Prædæ aviditas sæpe victorias certas corrupit. *Sic Samnites fusi ab A. Cornelio Arvina dictatore.*

E. Galli sœpius in hoc peccarunt. Apud Guicciard. lib. 3. c 10. videatur historia, qua Galli in

incumbentes prædæ in opido *Frangetta*, negligunt victoriam, à Ferdinando Neapolitan. Rege reportandam. *Serres ad an.* 1478. notat *Ludovicum* XI. quod victoria ceciderit in Picardia penes pagum *Guignegaste*, eo quod Galli prædæ hostili irruentes suo bellandi officio defuerint. *Ser.* 1587. aliud ponit exemplum: Milites Guisiani occupati spoliis camelorum Baronis Donaviensis, misere ab hoste internecioni dantur. *Sabaudi* milites nunquam scalas apposuissent muris *Genevensibus*, nisi præda illos invitasset, at mensi sunt scalis muros, ut earundem usu primores deinde irent in suspendium isthic loci. Contra *Gaston de Foix*; si quis militum ex ordine ad spolia se converteret, mox trucidaretur ab assistentibus, legem fecit. *Cæsar lib.* 3. ait: At barbaris consilium non defuit; nam duces eorum tota acie pronunciari jusserunt, ne quis ab loco discederet: illorum esse prædam, atque illis reservari quæcumque Romani reliquissent, proinde omnia in victoria posita existimarent.

32 Injusta bella tandem exitus habent infelices. De *bello Samnitium*.

33 Dedendi hostibus qui injusti belli aut fœderis rumpendi sunt auctores, & damna in bello accepta resarcienda. *Sic Samnites dedunt Tapium.*

E. *Iunius in Batav.* Cum *Iulius Cæsar* suas copias induciarum tempore in *Usipetes*, qui nunc *Zutphanienses* dicuntur, duxisset, ingentemque stragem edidisset, graviterque de ea re questi essent apud Romanos, Cato in Senatu dixisse memoratur, cum ad decernendas ob victoriam supplicationes sententiæ inclinarent, Cæsarem dedēdū esse barbaris, ut violati fœderis religio illius supplicio expiaretur, auctorque diras capite lueret.

EX

EX LIBRO NONO.

INjuste bellum ei infertur, qui & res repetitas restituit, & auctores belli una cum ipsorum bonis dedit, & de damno in bello dato cavet. *Sic male Romani has Samnitum conditiones rejiciunt,*

2 Semper justum bellum est, quibus omnino necessarium: semper pia arma, quibus nulla, nisi in armis, spes vitæ posita est, omnibus aliis rebus æquis & justis tentatis & oblatis. *Herennii sententia.*

3 Ea exercitui via brevior est, quæ apertior, tutior, ac minus impedita est: & quæ commeatu non laborat. *Sic peccatum à Romanis in Furcis Caudinis.*

4 Hostem in tuam potestatem redactum, præsertim potentem, aut summo beneficio (intactum relinquendo, vitamque donando) tibi concilies: aut omnes ad unum trucidando viribus in posterum spolies, & exhaurias. Media enim via neque eum tibi amicum parat, neque inimicos tollit. *Sic Herennius Pontius censuit captis Romanis inter Furculas Caudinas.*

E. *Carolus* V. *Imp.* victo & capto *Francisco* I. *Gall. Rege*, convocavit Senatum ut de captivitate sententiam ferrent: ibi primum votum habuit Caroli V. Confessionarius, suadens soluto lytro Regem dimittat, eamque pecuniam in bellum Turcicum eroget. *Albanus* vero suasit, ut Gallum aliquod ad tempus captivum detineret, deinde propositis dimitteret conditionibus, nimirum, *ut abstineret ab Italia, ut omni juri in Burgundiam renunciaret: ut filios obsides daret:* hoc consilium arripuit Cæsar & sequutus est sed ante bene coctum: Nunquam enim senten-

tiam suam in deliberationibus mox expressit, sed re per noctem insequentem deligentius pensitata, tandem quid faciundum statuit.

Clemens VII *Papa* cum Romæ caperetur, consilium Albani Ducis hoc fuit, ut *Carolus* V. *Imp.* si potentiam augere vellet, statim Romam peteret, ibique sedem Imperatoriam confirmaret: fore enim hoc non tantum terrori toti orbi, sed posse eum hoc medio occupare totius Europæ monarchiam: sin vero clementiam sequi mallet, ut evestigio Pontificem dimitteret: hoc consiliũ Carolus sequutus est, jubens pontificem renũciare juri patronatus in Episcopos regni Neapolitani. An. 1625, Principes Sabaudi *Victorius* & *Thomas* cæperunt *Iohan. Hieron. Doriam*, qui pro se lytri ergo soluturus xxcIↃ coronat: sed non auditus, Taurinum abductus, ubi captivus quidem sed laute habitus est.

Cum Imp. Augustus conjuratos in se ipsum ac patrem interfecisset, paucissimis tamen non solum veniam dedit, verum etiam beneficiorum multitudine in perpetuum sibi obligavit. Nam *Cinnæ*, quem *Augustus* reum perduellionis peregit, non solum pepercit, sed cum eo hoste acerrimo sempiternum fœdus iniit, eumque maximis beneficiis cumulavit. Et cum Cinna capitis sententiam ac supplicium expectaret hac oratione adversus eum usus est *Augustus*: Vitam tibi *Cinna* iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die amicitia inter nos incipiat, contendamus utrum ego meliore fide vitam tibi dedero, an tu debeas. Neminem deinceps *Augustus* habuit cariorem, ab eo etiam scriptus est heres omnium bonorum, nec quisquam postea inventus est, qui optimo Principi insidiaretur.

S. Sæ-

5 Sæpe toti exercitui intercepto ignominiam subire præstat, ut salvus & incolumis restet, quam inani jactatione virtutis & libidine ulciscendæ mortis nulla spe pugnare, ac pati, ut deleatur. *Sic Romani patiuntur se sub jugum mitti à Samnitibus in Caudinis furcis.*

6 Absque viæ duce nunquam in ignoto aut hostico loco iter exercitui faciendum. *Sic peccant Romani & incidunt in Furcas Caudinas.*

7 In strenuis naturis silentium post ignominiam aut injuriam acceptam non patientiæ indicium est, sed vindictæ iræque meditatio. *Sic Offilius de Romanis.*

8 Princeps coactus vel ultro in totius regni incommodum absque Ordinum consensu nihil pacisci, vel spondere potest. Est enim non dominus Regni, sed ex legibus tantum administrator, cujus Ordines duntaxat de ipso Regni jure quidpiam imminuere possunt. Denique est ipsius regni vasallus Rex. Itaque hujusmodi promissa à Principe facta sunt nullius momenti. *Sic T. Veturius & Sp. Posthumius fatentur.*

E. Cum Henricus rex Francorum à Lucernatibus per legatos peteret, ut pro se fidejuberent, Hugo prætor maximus legato respondit: Senatum Populumque Lucernatem, ipsosque magistratus juratos esse, publicas possessiones se nec distracturos, nec pignori obligaturos. *Carolus* VII. rex Galliæ oppignorationem publicorum prædiorum fieri noluit, nisi Senatus id procuratore fisci rogante decrevisset. Bodin. lib. 6. de Repub. cap. 1.

Lampridius in Alexandro. Alexander Severus aurũ & argentum raro cuiquã nisi militi divisit:

nefas esse ducens, ut dispensator publicus in delectationes suas, suorumve converteret, id quod provinciales dedissent.

9 Pacis fœdæ, & ab ordinibus non probatæ, & tamen cum hostibus pactæ, auctores sunt hostibus dedendi, ut legitime soluta videatur, & justum à non probantibus eam bellum postea suscipi possit. *Sic Romani Veturium & Posthumium Coss. dediderunt Samnitibus.*

E. *Consalvus* prorex Neapoli, *Comitem Valentinum,* quem in suam fidem receperat, postea ex mandato regis *Ferdinandi* sine ulla perfidiæ nota in carcerem conjecit. *Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 8.*

10 In occupanda urbe plurimos civium exarmat fides, & vox præconis eos, qui arma abjecerint, fore salvos & incolumes. *Sic Fregellani à Samnitibus capti.*

E. Cum *Phocœa* urbs dedita Romanis esset, & signa inferrentur, pronuntiavit Prætor, parci se deditis velle. Ruentibus nihilominus ad prædam militibus, resistebat, acclamabat; Captas, non deditas diripi urbes. Digna vox, quæ ab omnibus, qui castra præcedunt, aut sequuntur, audiatur.

11 Obsidio temere absque frumento in exercitum obsidentem prius parato, suscipitur. *Sic laboratum à Papyrio Luceriæ.*

12 Temere gens ea, quæ suarum rerum impotens est, aliis populis pacis aut belli modum facere conatur. *Sic Tarentini à Papyrio irrisi.*

13 Propter obsides aut captivos apud hostem nostros, sunt hostes capti & victi sæpe lenius tractandi *Sic Luc. Samnites à Romanis tractati.*

E. Archithalassus Hispanorum *Franciscus Mendoza* leni & mitiori custodia ab Ordinibus fœde-

fœderatis Belgii in arce *Woerdana & Hagiensi* detentus, & à stipatoribus asservatus fuit, quia multi ex civibus & incolis nostris ab Hispano hoste capti, & in vincula triremesque conjecti erant; quos spes erat ipso dimisso, per permutationem captivorum quoque ex vinculis liberatum iri, quod & postea factum est.

14 Coloniæ nostræ deficientes et vi receptę, graviter puniẽdæ. *Sic Satricũ punitũ à Romanis.*

15 Sæpe eadem ætate diversis in locis præstantissimos Imperatores Deus excitat. *Sic eadem ætate fuerunt* Alexander *Magnus & L. Papyrius* Cursor.

E. Eodem tempore in Europa invictissimi Reges floruerunt, videlicet Carolus V. Imperat. fœlix inclytus & fortissimus Monarcha, Franciscus I. Rex Galliæ, bonarum literarum et liberalium artium summus Mecænas, adhæc bellicosissimus et prudentissimus Princeps, et Henricus VIII. Rex Angliæ fortis, prudens et bellicosds princeps.

16 Vt victus exercitus se nocte tutius recipiat, ignes ab eo non excitandi. *Sic Samnites victi fugiunt.*

17 In obsidionibus etiam quum recessisse longius obsidens hostis videtur, parat ut plurimum, struitque ex eadem vel alia parte insidias. *Sic Sora capta.*

18 In obsessis urbibus nulla pars muri absque præsidio unquam est relinquenda, quantumvis accessu difficilis. *Sic Sora capta.*

19 Vicinis hostibus opidi portæ semper firmo præsidio servandæ, et dum aperiuntur, et dum clauduntur, diligenter prius omnia à Magistratu circumquaque exploranda, ne custodię portarum, irruente hoste inopinato, cæ-

dantur. *Sic Ansonia capta & Vestina.*

E. Si ulla alia in Germania urbs est, portarum accurata observatrix, est ARGENTINA, quæ etiam fere sola è superioris Germaniæ civitatibus non est oppressa vigilantia sua: Sit enim hostis apertus, vel alius appropinquans amici nomine, hostilia tamen agens, Magistratus & quidem supremus vigilem oculum in portas, animosam linguam in excubias habet. hoc præsidio firmata urbs stat & floret, nec insidiæ facile intentari possunt, dum ij juvant custodias portarum, quorum animæ domi & sanguis relictus alioqui omnis iret in mortem, in infamiam.

20 Novorum criminum quæstiones, præsertim in nobiles institutæ, plurimam seditionem movent. *Sic Romæ quæstiones de honorum adipiscendorum gratia coitionibus factis.*

21 Præda ab hoste nobis sæpe, ut in insidias præcipitemur, objicitur. Itaque nunquam eo cum exercitu, nisi prius explorato loco, ne lateant insidiæ, veniendum. *Sic peccatum à Iunio Cons.*

E. Objiciuntur interdum prædæ instar escæ, quæ vitam adimit appropinquanti. Galli prævident hoc verbo: (licet rarius usurpent:)

Que le pescheur par le poisson
Ne soit prins par son hamecon.

22 Cavendum ne milites impransi, & non curato prius corpore, certamen cum hoste ineant. *Hæc fuit Romanæ militiæ disciplina.*

23 Facile funditur acies, in qua nulli sunt aut servantur integri, qui lassis & defessis pugnando militibus succedant. *Sic Hetrusci victi ab Æmylio Cos.*

24 Neuti-

24 Nemini concedendum, ut ultra tempus gerat Magistratum, nisi refectus. Qui enim ipse sibi Magistratum continuat, tandem & se quoque Regem aut tyrannum efficit. *Sic Appius damnatus.*

E. Nam continuata subditi auctoritas, uti auget ei potentiam, ita Principi diminuit, qui seipse spoliat eo quo subditum facit potentem: unde insolentia, & injustitia in reliquos subditos oritur, qui se vident exclusos eo quo omnes gaudere debebant; dum enim Princeps uni confert perpetuo, quod omnibus est commune, vilescit Princeps apud alios, quem amandum odio prosequuntur, nihilque citius quam mortem ei exoptant, se videntes privatos honore debito; mox seditio comitatur & conjuratio in Principem, & magistratum talem perpetuum. *Vberius vide Fabium Albergati della repub. regia.* Cap. IX. *libro* IV. Mecœnas suasit Augusto, ne infra tres, nec supra quinque annos alicui concederet magistratum. Hodie idem mos obtinet apud regulum (*Vicerè*) Neapolitanum: *Genuates* suum Ducem biennio colunt, quo honore post biennium relicto Procuratoris nomen assumit.

25. Incommode magnus exercitus pugnat adversus parvam manum vel in locis angustis, vel saxosis, vel destitutus missilibus & machinis quibus parva illa manus instructa est abunde. *Sic Hetrusci victi à Fabio.*

26 Itinera ignota, nisi prius explorata, non ingredienda exercitui. *Sic in Furcis Caudinis peccatum. Sic sylva Ciminia à Fabio prius explorata.*

27 Novus & ignotus prius hostis in nos irruens, si primo secundoque certamine victor

era-

evadit, facile totam regionem perterret, & sibi subjicit. *Sic Romani populos in saltu Ciminio habitantes.*

E. Exhibuit hoc Germanis *Gustavus Sueonum* Rex: non uno certamine victor evasit, nec unam civitatem subegit, sed omnium Imperii Romani vim non terrore, amore dixerim, sibi subjecisset, si ultimo isti prælio supervixisset, imo parem in terrarum orbe fortasse non habuisset, ait *Petrus Bapt. Burgus de bel. Sue.*

28 Robustissimus & fortissimus exercitus esse solet, ubi vir virum legit. *Sic Romani sæpe.*

29 In extraordinariis & maximis belli aliisve Reipub. periculis, est opus extraordinario, & summa potestate prædito Magistratu. *Sic Dictatores Romæ creati in summis Reip. periculis.*

30 Placandi & conciliandi inter se prius necessarii Duces, si inter se antea erant inimici: aut non simul creandi. *Sic Fabius placatus prius Papyrio à Senatu.*

31 Miles horridus esse debet, non cælatus auro. Virtus enim est militis decus, & dives hostis, quamvis pauperis victoris, præmium est. *Livius.*

E. Apud *Lampridium Alexander Severus* dicit: miles non timet, nisi vestitus, calceatus, armatus, & aliquid in zona habens. Romanorum Respub. omnium florentissima fuit, cum cives paupertate gloriarentur, siquidem eo tempore omnium gentium fuere victores, tum vero vinci cœperunt, cum divites facti sunt.

Aliud visum *Iulio Cæsari*, de quo ita *Suetonius*. Habebat milites tam cultos, ut argento & auro politis armis ornaret, simul & ad speciem, & quo tenaciores eorum in prælio essent, metu damni.

32 Me-

32 Metropolis Regni quemadmodum est ab hoste imprimis tentanda & oppugnanda: sic à nobis tutanda & defendenda. *Sic Umbri Romam petunt.*

33 Hostis nullus, quantumvis infirmus, est negligendus, ut ei non obviam eatur, & occurratur. *Sic Romani ne Umbros quidem aspernantur.*

34 Nimia in eos captivos, qui ex aliis regionibus sunt, quas hostis non possidet, crudelitas sæpe populos earum regionum bellum adversus nos gerere & decernere suasit. *Sic Hernici Romanis bellum indicunt.*

35 Intercepta à nobis itinera, ne quis nostri consilii aut cœpti ad hostes rumor pervadat, eos valde & terret, & incetros consilii facit. *Sic Hernici perturbant Romanos.*

E. Consilia duci belli arcte cælanda. *Q. Metellus Cos.* missus in Hispaniam, cum adversus Celtiberos bellum gereret, & subinde alias atque alias regiones peteret, interim omnibus ignota esset causa subitæ ejus atque incertæ fluctuationis, interrogatus ab amicissimo quodam, quid ita sparsum atque incertum militiæ genus sequeretur? Absiste, inquit, illud quærere, nam si hujus consilii mei interiorem tunicam conscíam esse sensero, continuo eã cremari jubebo.

Infans Hispaniæ num inops et incertus consilii fuerit anno præterito, quis dubitat? Illustrissimus Auriacus videbatur Flandros aggressurus, invadit Brabantos, suum peculium BREDAM sibi reddens.

36 Interclusi, obseptis itineribus, commeatus, hosti fugam aut deditionem suadent.

37 Ne hostis conjungat suas vires, est cavendum, illique præsertim incomposito agmine venien-

24 Quibus in locis & Regnis humiles homines, forensisque factio, & scribarum turma invalescit, & honores assequitur, ibi omnia statim corrumpi solent. *Sic Romæ evenit, postquam Appius Censor isti hominum generi honores tribuit.*

E. *Venetiis* plebs Reip. administrationi non adhibetur; soli nobiles omnia publica munera obeunt, scribis tantum exceptis, qui sunt plebeii. Hi Senatores, Romani imperii rationem exactissime tenent, quomodo natum sit, quomodo creverit, quid recte, quid vitiose in eo sit admissum.

43 In bene constitutis Rebuspub. semel in anno equites peditesque cives transvehi & recognosci seu lustrari, idque certo tempore, solent, & debent. *Sic Romæ ex instituto Fabij Maximi.*

E. In civitatibus uniti Belgii sunt armilustria statis nundinarum temporibus.

EX LIBRO DECIMO.

EST optimi Principis regionem & itinera à latrociniis purgare. *Sic Romani in Vmbria.*

E. *Ferdinandus* Aragoniæ *& Hispaniæ Rex* sæpenumero expeditiones aliquas non alia de causa parandas ajebat, quam ut sicariis furibus & ganeonibus aliisque perditis hominibus Hispania expurgaretur, quæ malorum consortio inutilis & paulatim viciosa reddebatur.

2 Coloniæ in populos victos deducendæ, ut tutius illi retineātur, & observentur. *Sic Romani.*

3 Qui navibus in regionem ignotam delati sunt, ne latius in ea vagentur, prædatumve eant. cedit enim ea res illis ut plurimum pessime. *Sic Cleonymo Laconi cessit.*

4 Non

4 Non temere in pecora nobis in hostico objecta irruendum. Nam ibi sæpe latent insidiæ.

5 Alacris militum pugnam expetentium & ad eam valentium animus plurimum hostes terret, & ad victoriam prodest: Contra vero languidus eorundem animus, nihil boni ominatur. *Sic Coss. clamorem militum exspectabant.*

E. *Lanovius*, captivus detentus ab Alexandro Parmæ Duce, ei suasit, ne unquam Batavos navali prælio lacesseret, nam nautæ Batavi & milites in navibus eo ardore ad pugnam maritimam prodeunt, ut jam ante certi sint de victoria animo concepta, quam cum hoste congredi incipiant.

6 Equitibus ad procurrendum in hostem, relinquendum est à nobis in certamine spatium. *Sic Romani.*

7 Leges de capitalibus suppliciis & provocatione sunt castissime & religiosissime servandæ. *Sic à M. Valerio Coss. renovata.*

E. *Porcius Cato L. Flaminium* è numero Senatorum sustulit, quia in provincia quendam damnatum securi percusserat, ad arbitrium & spectaculum mulierculæ, cujus amore delectabatur. *Val. Max.*

8 Barbari populi partem agri nostri ad considendum petentes, non admittendi quacumque ex causa, sed vel vi vel pecunia dimittendi. Facile enim iidem postea totam regionem occupant. *Sic Hetrusci Gallos dimittunt.*

9 In castris miles exerceri debet. *Sic Romani.*

E. *Dio.* de universo Batavorum equitatu verba faciens ait: Imper. Hadrianum summam militiæ & copiarum gessisse curam, ut diligenter exercerentur, ita ut equites Batavi nominati,

Istrum

Istrum seu Danubium tranarent, magno ob id terrore consternatis barbaris.

Rhenus ad duo passuum millia, fossa novi & immensi operis, militari opere, ne virtus militari otio relanguesceret per Drusum facta, cui Drusianæ nomen fuit, quam Germanicus Cæsar ingressus cum classe mille navium, lacus inde Rheni, & Oceanum ad Amisiam usque flumen præcipiti alveo, & secundo navigatione usus, pervectus fuit. *Tac. lib.* 2.

10 Magna imperia ut crescant facile in societatem populos afflictos admittunt. *Sic Romani.*

11 Hostis domandus, igne, rapina, cædibus in homines & vicos est donandus. *Scipio in Hetruscos.*

E. Hoc tentavit Hispanus in bello contra Ordines Hollandiæ gesto, ubi plurimos & innumeros Hollandiæ pagos, incendio et rapina vastavit et delevit, idque triennali tantum, atrocissimo & crudelissimo bello confecto accidit.

12 In maximis periculis & bellis Duces strenuissimi et optimi quique, virtutis, non opum habita ratione, deligendi. *Sic Romani & Coss. & Dictatores eligebant.*

13 Populationibus et prædationibus itinera tuta exploranda. *Sic Fabius in Samnitio.*

14 Facile rebellant, quibus in pace conditio et servitus gravior, quã in bello est. *Sic Samnites.*

15 Illi populi potissimum et facillime in societatem asciscendi, qui armis, viris et pecunia valent, suntque in bellis exercitati. *Sic Samnites quærunt societatem Hetruscorum.*

16 Vbi nullus est exercitus nobis qui auxilium ferat, facile ab hoste victore opida nostra etiam munitissima expugnantur. *Sic Murgantia Samnitum à Decio expugnata.*

E. Alex.

amittant, sunt, quantum quidem fieri potest, eodem tempore perterriti, castris exuendi, & impedimentis. *Sic Romani semper.*

22 Exercitus præda onustus facile vincitur. *Sic Samnites à L. Volumnio.*

23 Captivorum, si modo plures sunt, in exercitu dimicante vel dimicaturo arcta custodia facienda est, ne in medio conflictu solvant se vinculis, & in nos pugnantes à tergo irruant. *Sic Samnites victi à L. Volumnio ad Vulturnum flumen.*

E. Petrus Verdoesius classi Hollandorum præfectus, an. CIↃ IↃLXXXIIX, prætoriam Hispanorum navem, bene munitam vi quidem occuparat, at nisi armatos milites, quos hostes & captivos in ea ducebat, vi armorum repressisset parum abfuit, quin præda ista exclusus fuisset.

24 Præda ex hostibus recepta accersendi tum nostri, tum socii, ut quisque quod suum erit, recognoscat & tollat: quarum vero rerum domini non extabunt, illæ militi cedant. *Sic Romani soliti.* Alioqui nos ipsi prædones nostrorum & sociorum sumus, si prædam retinemus.

E. Tricipitinus prædam, quam Volsci atque Æqui in agro Romano & Hernico confœderato Romanis corraserant, in campo Marcio exposuit, & quod quisque suum intra triduum cognovit, restitui jussit. *Liv. l.3. Posthumius, & L. Iulius* dato biduo ad cognoscendum, bona per Tarquinienses ablata restituerunt lib.5.

Volumnius per Samnites capta, vocatis per edictum dominis die data ad res cognoscendas, Campanis Romanorum sociis reddidit. lib. 10. Idem fecit Gracchus, triginta diebus datis ad res cognoscendas, Liv. decad. 3. lib. 3.

25 In exercitu, in Magistratu nihil bono & strenuo collega concordi firmius ad Rempub. tuendam. *Fabij Maximi dictum.* Nihil discordi collega periculosius ad eandem Remp. evertendam.

26 Duces in bello fere optimi, qui nati militiæ, factis magni ad verborum & linguæ certamina rudes, et ingenio honesta magnaque appetentes sunt.

E. *Maurocenus lib.* XVI. de BIRONIO: Puer matris sinu avulsus, Catholice erudiendus traditus, *verum ingenium ad alia omnia vividum ægre legendi elementa addiscere potuit*: pater, summus Valesiis Regibus castrorum præfectus militiæ devovit, tyronem agere inter gregarios milites voluit, per gradus ad summum militiæ fastigium sublatus, è signifero peditum cohortis, equestris turmæ Dux effectus, maris præfecturam inde adeptus, *Hipparchus* demum, sive ut vocant, *Marescallus* evasit, atque (eo amplitudinis pervenit) ut is potissimum hoc ipso nomine designaretur adeo bello civili Gallico inclaruit, ut uni quandoque Rex servatam patriam acceptumque regnum retulerit, ingentibusque sublatum laudibus dignitatibusque decoraverit.

Demetrius Phalereus dicebat; Quantum in bello potest ferrum, tantum in Repub. valet eloquentia. Exemplum tamen dissimile huic monito habemus in Cynea Thessalo legato Regis Pyrrhi ad Romanos, Cujus authoritas, dicendi facundia, & ingenii dexteritas tanta fuit, ut rex fateretur se plures urbes et regiones eloquentia ejus acquisivisse, quam armis.

27 Iuri dicundo optimi, qui callidi solertesque ingenio, juris & eloquentiæ consulti popula-

pularem turbam regere possunt.

E. *Constantius Imp. Constantini* filius, neminem in Senatum allegit, nisi eruditum, quique se in dicendo exercuisset, & sciret scribere vincta oratione, et soluta. *Zonaras in Constantio.*

Romani, cum aliquando Imperator quæreretur. Quis acclamarunt, melius quam literatus imperat? Vopiscus in Tacito. *Cato* anno ætatis 86, post Latinas, Græcas literas didicit; in his eruditus eloquentiæ gloriam adeptus est, mox eo transiit ut Iuris quoque peritissimus haberetur.

28 Exercitus antea trepidus, itineribus deviis, et mutatione locorum tum exercetur, et confirmatur; tum etiam nobilior et salubrior fit. *Fabij Verrucosi dictum.*

29 Hostium nota consilia etiam prudentissima fiunt inutilia. Itàque exploratoribus, qui ea vere referunt, magna præmia sunt danda. *Sic Fabius exploratoribus Clusinis.*

30 In certamine cum eo hoste, qui in primo prœlio ferocissimus est, lente primum pugnandum est, ut hoste fatigato vires nostræ sint integræ: ac proinde facile vincatur. *Sic Samnites à Fabio victi.*

31 Novum genus armorum hostibus objectum, eos facile terret, et fugat. *Sic esseda terrent Romanos antea ignota.*

32 Plurimum ad victoriam potest, in medio certamine per circumvectos ex nostris hostem à tergo aggredi. *Sic Romani soliti.*

33 Re feliciter gesta, extra ordinem militibus danda præmia, quo sint ad eosdem labores iterum suscipiendos alacriores.

34 Per caliginem diei et opida capi, et castra invadi facilius solent. *Sic castra Romano-*

rum

erepto à Principe Mauritio, cum milites obsessi propter non soluta stipendia inviti pugnarent & tumultuarentur, exemplum habemus.

40 Sæpe ignavos milites cogit strenue pugnare, quum aliqui sunt dispositi ex ipsorum numero, qui eos fugientes excipiant et occidant. *Sic Samnites pugnant cum Papyrio.*

41 Quum prœlium committendum est, nulla, si fieri potest, copiarum pars avocari alio debet.

42 Vbi hostis obstinati nullus jam superest exercitus propter clades ab eo acceptas, bellum est statim circa illius opida circumferendum, eaque & capienda, & diripienda, & exscindenda, quo perdometur tandem. *Sic Papyrius & Carvilius Coss. agunt in Samnites.*

43 Sociis primo quoque tempore ferendum auxiliũ, ut in fide maneāt: alioqui, tanquā nimia nostra cunctatione deserti, facile ad hostes desciscũt. *Sic Falisci ad Hetruscos à Romanis deficiunt.*

44 Ad socios & amicos populos pars prædę victoriæque mittenda est, ut sit ea celebrior. *Sic Papyrius vicinorum templa ornat spoliis hostium.*

45 Sæpe felicissimas victorias nostras temperat Deus magna domestica clade, ut fame, peste, seditione, quo magis dejiciantur victorum animi, & ab eo uno pendeant: itemque magistratus discant non uni tantum in Rep. rei aut parti, sed omnibus mature prospicere. *Sic Romæ post Samnites victos pestilentia gravissima accidit.*

E. Iepthe Iudex vel dux Israelitarum in concipiendo voto præceps, in solvendo nimis pertinax, crudeli filiæ suæ morte pulcherrimam victoriam deformavit. *Iud.* XI.

Finis decadis primæ.

Qui ex tertia decade excerpi aphorismi politici

poterant, fere ex Polybio jam à nobis descripti sunt.

Qui item ex decade quarta, plane cum superioribus conveniunt. Itaque hac opera tantum in prima decade defuncti, omnibus abunde esse satisfactum existimamus.

EX C. CORNELII TACITI ANNALIUM

Libro primo.

Lips. cent. 3. epist. 89. *Tacitus est prudentia pater*: *Seneca sapientia fons* Guicciard. *Gravissimus scriptor, & magnus rerum Germanicarum observator* Tacitus.

Hipp. de collib. in suo consiliario: Tacitus *maxime Consiliarii manibus terendus est: salubrium enim praceptorum tanquam seminarium quoddam est.* Lips. in epist. ad ordin. Batav. *Vtilem maxime esse historiam Corn. Taciti, adfirmate apud vos dico, Illustriss.* Ordines, *utilem magnumque scriptorem, Deus bone! & quem in eorum manibus esse expedit, in quorum manu Reip. gubernaculū & clavus. Ite ad ejus libros, nullam gentem reperietis inter externas, cujus res uberiori stylo, fideliori cura, benigniori testimonio prosequutus est. Veram vetu-stam-*

stamque Bataviæ descriptionem debetis illi, illi Cattos & originem nostri, illi civilem & cum principe terrarum populo bella gesta, quæ vix fidem habent, & si scripta ex fide. Macte hac laude, o Batavi! quod angulus unus Europæ provocare olim Romanorum imperium, & quindecim legiones ausi sitis, non sine occulta lege fati, jam tunc vindices & assertores publicæ libertatis: & tamen perierat vobis seges illa æternæ gloriæ, si hic author periisset.

Lips. in notis p. 86. *Quinque libri primores inventi* Corbeiæ, *quod monasterium ad Visurgim est. atque illinc depromptum vere hunc thesaurum Quæstor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.*

NOvus & populo insolitus principatus donis in militem, beneficentia clementiaque in plebem, honoribus in nobiles obsequentiores, & ad servitium paratiores, denique ea dulcedine otii quam omnes sentiant: est stabiliendus. *Sic Augustus Cæsar suum Principatum.*

E. Augusti antecessor *Iul. Cæsar*, fastu suo contrarium dedit exemplum, sese in odium apud populum, in vitæ suæ ruinam apud patricios præcipitans *videatur Sueton. in vita Cæs.* ubi

acceptationem Cæsaris à Senatoribus describit ad templum Veneris Genetricis, interventu Balbi & Trebatij.

Cosmi Medicæi, ex *Ioh. Bapt. Hadriano & Cino*, acta sic habent: adversę factionis ducibus, *Strozzio, Valerio* cæterisque ad montem Murlum captis, & carnificis manu cæsis, veteris reip. inane simulacrum in XLVIII viris consistebat. Eędem Magistratuũ appellationes, quę stante rep. duodecim collegia, sex Procuratores, octo practici, Montiũ officiales, Camarlingi, & cęteri. Verũ ipse Princeps vi ipsa horũ omniũ munia ad se traxerat: excubiæ, arma, cętera aulę. miles ex Germanis lectus in forũ, miles in curiã comitabatur. Nobiles Florentini, quanto quis servitio promtior, opibus & honoribus augebantur. Pisæ, aliaque Florentini dominij opida, cum antea magistratuum avaritia lacerarentur, & alias etiã inviti parerent, hanc mutationem non abnuebant. Plebs Florentina, ingenito erga nobilitatẽ odio, & jam sub Alexandro, annona, ludis, & otii dulcedine capta superiores Reip. turbas, velut præteritam maris tempestatem ex securo litore gratissimo horrore recordabatur. *Forstn. in Tac.*

2 Certamina principum inter se, avaritia Magistratuum, & invalidum legum auxilium, quod facile omnia corrumpantur pecunia, faciunt, ut facillime Aristocratia seu Resp. in Monarchiam mutetur. *Sic Romana Resp. mutata in principatum.*

E. Cum *Caganus Rex Hungariæ* cœpisset duodecim millia Romanorum militum in bello cõtra Imp. *Mauricium*, atque is obtulisset illi, ut redimeret captivos singulos uno aureo, Imper. avaritia motus noluit redimere captivos: Qua duritie motus *Caganus* omnes captivos trucidari jus-

ri jussit, mox propter hoc avarum facinus Mauricius Imper. à suo exercitu desertus, tandem à Phoca exeacitus duce trucidatus est, ad quem deinde imperium translatum fuit. *Philip. Melant. l. 3. Chron.*

3 In Electivis regnis paulatim producendi & in magnorum honorum consortium vocandi mature à regnantibus ij quos sibi succedere cupiunt. Sic *Augustus Tiberium*.

E. *Austriaca domus* vindicavit hoc sibi in successione Imperii. Ne altius auspicemur, *Carol.* V. fratri *Ferdinando* mature imperium legavit; hic filio *Maximiliano*; *Maximilianus* filio *Rudolpho*, à quo frater *Matthias* successionem extorsit, (novit Praga anno 1609) *Matthias* se vivo surrogavit agnatum *Ferdinandum* II. hic filium nupere corona Imperiali donavit Ratisbonæ. At mos hic invaluit in ruinam Germaniæ, quæ fronti debebat contradicere, quod occipitio calvo modo studet.

Sueto. in Othone. Claudius Cæsar Salvium Othonem allectum inter patricios, collaudans amplissimis verbis, hoc quoque adjecit: Vir, quo meliores liberos ne opto habere quidem.

Tiberius (*Tac. l. 6. annal:*) sin extra domum successor quęreretur, ne memoria Augisti, ne nomen Cæsarum in ludibria verterent, metuebat. *Philippus Maria Mediolanensium Dux* successionem in *Francisco Sforza* habere potuisset, nisi cunctabundus se & posteros neglexisset. Contra *Cosmus* Hetruriæ Dux imperium vivus filio tradidit. *Cin. in vita Cosmi. Ioan. Comnenus* Alexium filiū, ut ambitiosorū quorūdā motus et multorū ad quosdā regii generis viros concursū reprimeret, vivus ab exercitu imperatorem salutari jussit. *Nicetas Chon.* 1. *Annal.*

4 Regum filiis novercæ, iquę & ipsæ ex iisdem regibus filios susceperunt, suspectæ esse semper debent *Sic Livia filiis Agripp. Sic Agrippina filiis Messallina.*

5 Vt novus & insolitus populo principatus confirmetur & lubentius suscipiatur ac inolescat, veterum & jam notorum magistratuum nomina sunt retinenda, minimeque mutanda. *Sic Augustus Cæsar fecit. Sic Tiberius initio Principatus.*

E. *Carolus Martellus*, cum Franciæ regnum non affectaret modo, sed revera teneret; regios titulos aversatus est, *Princeps nobilitatis* appellari contentus: qua arte Pipino filio regnum obtinuit. P. *Æmil l.I. Vlricus Grethanus*, primus Orient. Frisiæ comes, cum eam dignitatem ab Imper. Frederico III, inscio Frisiorum populo accepisset, nec diploma in lucem producere, aut profiteri novum honorem apud ferocem & libertatis retinentissimum populum auderet: tempori rem in præsens invidiæ futuram reservavit: A priori vivendi instituto minime recessit; comis, benignus, placidus: non domini, sed Rectoris Frisiæ Orientalis nomen præferre, comitis titulum prorsus dissimulare, Generosi appellationem interdum admittere, interdum ne hanc quidem poscere: denique talem se comparare, ut auctoritate potius quam imperio regere, sæpiusque litivm arbiter quam judex esse videretur. Quibus artibus factum, ut admirabili studio & ipsum & posteros populus semper prosequutus fuerit (*Vbbo Emm.* XXIV *hist, Fris.*)

6 Iracundus & sævus Princeps, quamvis strenuus, minime tamen eligendus. *Sic Tiberius à prudentibus repudiatus.*

E. Tamerlanes Scytharum rex in obsidionibus

bus urbium prima die albo tentorio utebatur, secunda rubro, tertia nigro. Qui sese dabant in albo sedenti, salutem consequebantur: Rubeus color moriendum patrisfamilias indicabat. Niger civitatis excidium, & omnia in cinerem convertenda. Interrogatus aliquando ab amico, cur tanta crudelitate uteretur, commotus distorta facie & spirantibus ignem oculis respondit: Tu me hominem esse arbitraris, falleris, ira ego Dei sum, & orbis vastitas, quibus mediis depravati sæculi mores ulciscor, caveto ne posthac mihi occurras, nisi velit interrogationis tuæ pœnas dare. *Æneas Sylv.*

7 Qui malis artibus sibi vel suis principatum affectant, legitimos illius successores vel extinguunt vel removent; se vero aut suos prius circumpositis custodiis introducunt, defuncti prædecessoris mortem non divulgant, priusquam sibi omnia fuerint apud eos qui obstare poterant, provisa ac tuta. *Sic Livia Tiberium Cæsarem.*

8 Tyrannicum imperium est, cum is, qui imperat, rationem uni sibi reddi vult etiam eorum, quorum cognitio ad judices aut Regni Ordines pertinet. *Sic Crispus Sallustius.*

9 Novo Principi novum jusjurandum ab omnibus Ordinibus præstandum est, seu dandum. *Sic Romæ fiebat ubi novi Imperatores creabantur.*

E. Anno 81. ab Ordinibus Belgii Hagæ conclusum est ut omnes & singuli cives & incolæ Belgicarum provinciarum Regem Hispaniæ, qui propter perfidiam & tyrannidem principatu suo exciderat, abjurarent, & hostem declararent, potentissimisque & confœderatis Ordinibus unitarum provinciarum Belgii juramen-

tum fidelitatis & obedientiæ præstarent.

10 Tyrannidis affectatio est in eo, qui omnia imperii signa reipsa retinens, negat tamen verbis se habere vel velle imperium. *Sic Tiberius Cæsar.*

11 Tyranni & sævissimi Principis futuri signa sunt, si quis imperium adeptus vultus hominum in crimen trahat, adulationes supra modum requirat, verba consiliariorum publicorũ captet, delatoribus aures præbeat, judicia hominum de se qualiacumque, aut liberas de Rep. voces pro crimine habeat; denique cui boni sunt suspecti. *Talis fuit Tiberius Cæsar.*

E. *Theopompus* interroganti, quo quis modo regnum tuto conservaret, respondit: Si justam dicendi libertatem amicis permittat, & subditorum quantum fieri potest, injurias & querelas vindicet.

12 Principis cum ijs, qui vel ipsum occidere tentarunt, vel alios ei charos aut sanguine conjunctos trucidarunt, reconciliatio, semper esse debet suspecta *Sic reconciliatio Augusti cum M. Bruto: cum Sexto Pompejo.*

E. Merito *Gens Naßavia* in Hisp. tyrãnum & principi-cidã insurgit hic juratus est hostis in bene meritos, quos virtute debebat evehere per sicarios tollit, *Gulielmũ* Arauf. principẽ, quẽ *Carolus* V pater ob merita loco filij educavit & amavit, *Philip.* II. filius emissario conducto interfecit sclopeto; nec *Mauricio* abfuit sicarii manus quã Deus avertit *Videantur hist. Gall. & Belg.*

13 Est prudentissimi Principis, scire, & descripta habere quæ vectigalia Respub. habeat; quantas & quot militũ copias; quot & quales societates: quot classes: quot largitiones. *Sic Aug habuit*

E. *Suetonius de Tiberio scribit.* Prolatus Tiberio

berio libellus, quo opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, largitiones, ac necessitates.

14 Reip. Ordinum & procerum ad Principem nimium humiles preces, & servilis adulatio eum ex bono Principe faciunt tyrannum. Sua enim à concilio publico etiam in Principem auctoritas est servanda. *Sic Senatus Roman. effecit Tiberium Cæsarem tyrannum, qui etiam dicere solitus est: Homines ad serviendum paratos.*

E. *Dio.l.44.de C.Iulio Cæsare* Senatores quia immodicis honoribus eum affecerunt, ipsum inflatum reddiderunt, ut magno fastu ijs uteretur. Nam immoderati honores, laudesque, levitatem animi etiam modestissimo cuique adferunt, ut jam se tales esse, quales prædicantur, existiment.

Polyænus lib.2. Clearchus Ponticus ab Heracleotis nimium ad honores evectus, crudelissimus simul ac superbissimus factus, adorari sese postulavit, vestes Diis familiares induit, civium plurimorum necis atque interitus auctor fuit.

15 In Regnis electivis, mortuo Principe, solent ut plurimum milites spe præmiorum aut donativi, in novi creatione tumultuari aut seditioné movere. Itaq; sunt muneribus placandi.

16 Otiosus in castris miles, & solita munia non obiens, facile evadit seditiosus & immodestus. *Sic Pannonicæ legiones sub Iunio Blæso. Sic Germanicæ sub Germanico.*

17 Exercitus seditio statim non vi, sed blanda ducum oratione cohibenda. Facile enim ad vicinos exercitus alios pervadit. *Sic à Iunio Blæso sedata seditio Legionum Pannonicarum.*

 18 Exer-

18 Exercitus legionarius & limitaneus tum ob nimis exigua ſtipendia, tum ob longius militiæ, in qua detinetur, tempus, ſeditionem movet. *Sic Pannonicæ Legiones ſub Tiberio.*

19 In commoto populo ſedando convertenda in ſapientiam & occaſionem mitigationis, quæ caſus obtulit, & quæ populus ille pavet, aut obſervat etiam ſuperſtitioſe.

E. Pericles ſubito oborto ſolis defectu, cum videret multos milites, ſed præcipue claſſis gubernatorem vehementer perturbatos, chlamyde ſua texit faciem gubernatoris, interrogavitque; Nunquid hoc horrendum oſtentum exiſtimaret, illo negante. Quid intereſt, inquit, igitur, niſi quod chlamyde majus eſt, id quod nunc tenebras inducit? Senſit vir prudens interventu lunæ nobis abſcondi ſolem, ſicut oppoſita chlamys impediebat aliorum aſpectum, nullum autem eſſe oſtentum, quod natura ſit. *Eraſ. in apoptheg.*

20 In vulgo nihil modicum, terret, ni paveat; ubi pavere cœperit, impune contemnitur. Tamen ubi eſt & collectum et adhuc armatum vulgus, comitate permulcendum eſt, non armis & fortioribus remediis irritandum.

E. *Philippus Lantgravius* Haſſiæ, in bello ſeu tumultu ruſtico priuſquam exercitum ruſticorum prope Mulhuſium invaderet & diſſiparet, prius ſeditioſos & tumultuantes ruſticos leni & placida oratione ad deditionem & obedientiam eſt adhortatus.

21 Populari ſeditioni, aut exercitui tumultuanti, denique vulgo aliquid contra fas tentanti, maximo terrori eſſe ſolet inſolita cæli facies, & anni tempeſtas turbida ſtatim ſuperveniens. *Sic Pannonicis Legionibus.*

22 Tyran-

22 Tyrannis formidolosi sunt semper boni, & qui populo grati, populique libertatem amant. *Sic Germanicus Cæsar Tiberio Cæsari formidolosus.*

E. Post cædem *Iulij Cæsaris*, cum inter cænandum *Antonius Brutum* interrogasset, ecquem adhuc pugionem sub ala gestaret, respondit. Nimirum magnum admodum, si tu quoque tyrannidem occupare cupiveris.

23 Nimia Ducum exercitus sævitia, nimiique militum labores, aut diuturni, nullo extraordinario præmio donati, seditionem in exercitu concitant. *Sic Germaniæ inferioris legiones commotæ sub Tiberio.*

24 Exercitus seditiosus placatus statim in hostem ducendus, ut quietior sit.

25 Exercitus seditio placatur sublatis seditionis auctoribus: vel si qui in eo manent boni & intemerati, in partes nostras traducantur præmiis.

26 In Regni seditionibus, quæ ex una vel pluribus partibus agitari nuntiantur, si qua urbs est caput totius Regni, ea est à Principe firmo præsidio tenenda, neque unquam deserenda. *Sic Tiberius in seditionibus Germanicarum Legionum.*

27 Neglectæ ab exercitu excubiæ & stationes eum hosti objiciunt trucidandum. *Sic Germani cæsi à Germanico Cæsare.*

E. *Zutphania* & *Steenvvicum* ab Hispano milite capta & expugnata sunt, propter non bene servatas excubias.

28 Strenui duces tyrannis formidolosi: itaque illi caveant, ne nimia rerum gestarum gloria à populo celebrentur. *Sic Cæsar Germanicus formidolosus Tiberio.*

29 Adulteria procerum punienda. De *Sempronio Graccho.*

E. *Maria Othonis* III conjux, adeo impudica fuit, ut juvené veste muliebri tectum in gynecæo habuerit, quo ad libidinem exsaturandam abusa, nec combusto illo ad frugem rediit. Illa ipsa Comitem Mutinensem in amorem sui pellicere conata, postquam libibini reluctari suæ vidit, ita furens se ab illo de stupro tentatam apud Othonem insimulavit: quam obrem falso comes condemnatus pœnas capite dedit: at uxor comitis mortem mariti ultura ad *Roncalias* in conventu, quo die jus viduis dicebatur, ex lege ipsum Imperatorem ad supplicium postulavit ob necem mariti: Otho respondit: *at tu quonam pacto viri tui innocentiam comprobabis?* cui illa; *candenti lamina.* atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum sine ulla offensione prehendit. Otho confusus, se pœna dignũ edixit; at mulier vidua tribus vadimoniis dilatis inquit: *Atqui ego supplicio regina contenta sum, cujus nefaria calumnia maritus meus est oppressus.* Otho reginam cremari jussit; mulierem propter dilata sibi vadimonia quatuor in Etruria castris donavit. *Mell:f. Pezel. part.* 3.

Phinees ingressus lupanar interfecit *Zimri* principem tribus Simeon una cum scorta Madianitide. *Num.* 25. *Suet. de Tiberio.* Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui more majorum, de communi sententia coercerent, auctor fuit. Fœminas quæ lenocinium profiteri cœperant, exilio effecit. *Diod l.* 2 *rer. antiq* Ægyptii raptori liberæ mulieris virilia exsecabant, & deprehensum in adulterio virgis usque ad mille plagas cædebant: mulieribus autem adultis nasum amputabant, ut sci-

scilicet ea corporis parte plecterentur, qua homines maxime decorari solent.

30 Populi favorem popularitas Principi conciliat, veluti si ludis publicisque populi voluptatibus ipse frequens intersit, & se misceat. *Sic Augustus Cæsar intererat ludis publicis.*

E. Gulielmus Auriacus blandis alloquiis, salutationibus subditorum, præterea publicis conviviis, honestis Populi recreationib. se adjungẽdo, mirum in modum subditorum animos sibi conciliabat.

31 In suspicione seditionum imminentium, viri Principes populo gratiosi, vinciendi, aut amovendi. Illis enim amotis nihil plebs ausura est. *Segestis dictum ad Varum.*

32 Tunc tempestive bellum hosti infertur, quum ejus Proceres inter se dissident. *Sic Germanicus Cæsar Germanis bellum infert, quum Arminius, & Segestes discordarent.*

33 Proditores etiam iis invisi, quibus serviunt & aliis suã patriã produnt. *Segestis dictum.*

E. Proditori urbis Daventriensis *Stanlejo* aliquando Chiliarchus Hispanorum *Taxis* per contemtum objecit, se pluris facere generosum suum equum, quem tunc temporis habebat, quam proditorem ipsum. Similiter *Augustus Imperat.* dicere solebat, proditorem odi, proditionem amo.

34 Ab exercitu in hostico versante, itinera, quibus redire ac regredi possit, sunt diligenter servanda. *Sic Germanicus Cæsar in Arminium profectus.*

35 Prædæ aviditas magnas victorias avaris & avidis militibus eripit. *Sic Arminio Cæcinna elapsus.*

E. Cum Ordinum fœderatorum milites occupata

pata Sylva-ducis prædæ nimis avide inhiantes, domos civium certatim spoliarent, neque portam qua ingressi erant, satis arcte custodivissent, iterum ex urbe ejecti, prædam & urbem fœde amiserunt, cum magna militum suorum strage, & internecione.

36 Qui in rebus secundis fervidi & feroces esse solent, in adversis sunt incauti & nullius consilii.

37 Absentis Imperatoris uxor prudens & animo fortis, totum exercitum sæpe confirmavit. *Sic Agrippina uxor Germanici.*

E. *Mithridatis* uxor tonsis amore ipsius capillis, & equo conscenso, instar viri, armis sumtis in omnibus periculis eum perpetuo in bello comitabatur.

38 Imperatori benevolentiam exercitus multum conciliat, si saucios in prælio ipse visitet, pecunia tunc militem juvet; & comitate singulos qui prœliati fuerint, leniat.

E. *Vellejus de Tiberio.* Nemo è nobis gradumve nostrum præcedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cujus salus aut valetudo non sustentaretur Cæsaris cura, tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole, huic negotio vacaret animus.

39 Histrionum licentia in Repub. bene constituta est reprimenda, ne in quemquam probra jaciant, aut seditionem moveant. *Sic à Tiberio repressi.*

E. Rex Gall. Philippus histriones finibus regni Galliæ sapientissimis edictis disturbavit. Quinimo militem qui artem ludicram fecisset, capite puniendum *Menander* pronunciavit *in l. quadam ff. de pœn.* Sic *Verrius Flaccus* scribit. Histriones sensim ex Histria in urbem irrepserunt,

ac-

ac impudentiæ ludos aperuerunt.

40 Centesima rerum venalium ab Augusto post bella civilia petita & exacta in militare ærarium.

E. Ordines Hollandiæ edicto caverunt, ut in venditionibus omnium bonorum immobilium quadragesima pars pretii fisco pendatur, in usus bellicos applicanda.

Cæsares Romani plærique vectigalium numerum augebant, uti pro litibus & judiciis quadragesimæ summa, pro eduliis, quæ tota urbe vænirent, tantundem. *Caligula* ex gerulis octavam exigebat, ex prostitutis, quantum unaquæque uno concubitu merebatur. Antiquis etiam ex agris & novalibus decima seminum dabatur vectigalis nomine; namque aratores decimam frumenti Pop. Romano pendere cogebantur: *Tiberius* centesimam rerum venalium in ducentesimam relaxasse dicitur: *Trajanus* vero vectigal vigesimarum sustulisse scribitur, *Alex. ab. Alexand. l. 4. gen. dier. c.* 10.

41 Saltem post vicesimum militiæ annum, veterani qui in ea honeste versati sunt, dimittendi.

42 Flumina & lacus uti facile non avertuntur ab alveo naturali; sic in iisdem ob inundationes avertendis, magnum toti regioni incommodum & commerciorum detrimentum affertur. *Sic opida & municipia Italiæ impedierunt, ne flumina influentia in Tiberim verterentur.*

43 Continuatio ejusdem Præfecti & Præsidis provinciæ uti tyrannis est suspecta: sic Provinciis ob solitam novorum Præsidum avaritiam utilis. *Sic Tiberius continuavit.*

44 Plures tamen, sed eos non avaros, verum viros bonos ad curam Reipub. vocari, formari, &

& instrui commodissimum est. *Sic Resp. Romana Magistratus quotannis mutavit.*

E. *Philippus Macedonum Rex Alexandrum* filium quorundam Macedonum benevolentiam ad se attrahere muneribus conantem, sic increpuit: Quæ te, fili, ratio in hanc tam vanam spem adduxit, ut eos tibi fideles existimes, quos pecunia ad amorem tuum compulis? à charitate istud præstatur.

Gravissimum crimen in Principe est avaritia. Sic *Avidius Cassius* ad generum suum; Miseram Rempub. atque infelicem, quæ nimis divites, divitiarumque cupidos patitur! Itaque *Antoninus Imper.* nihil tota vita magis timuit atque detestatus est, quam avaritiæ famam, sicuti relatum est à *Iul. Capitolino.*

EX LIBRO SECUNDO

ANNALIUM.

EXternis moribus assuetus, institutusque princeps potius, quam patrijs, non tantum populo suspectus est; verum etiam ingratus & contemptus, ac velut extraneus tandem ejici solet. *Sic Vonones ejectus à Parthis, quia Romanis moribus educatus erat.*

E. Exemplum *in Philippo* II. *rege Hispaniæ*, in ejus gubernatoribus & belli ducibus *Ferdinando Albano*, *Ludovico Requesenio*, *Iohanne Austriaco*, *Alexandro Parmensi*, *Ernesto Archiduce Austriæ*, qui partim à subditis ejecti & repudiati, partim inglorij & contemti mortui sunt, quia exteri & peregrini erant principes, propter tyrannidem & ingratos mores merito invisi subditis Belgii.

2. Per-

2 Perfidia regis totum ejus regnum exosum reddit. *Sic propter Antonium Romani exosi Armenijs.*

E. Exemplum in *Sigismundo Imp.* Hic licet *Iohanni Huss* concessisset, ut sub fide publica se sisteret Constantiensi concilio, ad reddendam rationem fidei & doctrinę suæ, contra datam fidem instigante Pontifice, & Episcopis, eum exurendum mandavit, hoc turpi effugio factum suũ excusans: quod hæretico non sit servanda fides.

3 Principum est sibi suspectos viros quantumvis egregios & Reip. utiles primum honestis prætextibus vel à Repub. prorsus amovere, vel honestis muneribus ac legationibus ab iis, quibus gratiosi sunt, & à patria ipsa abstrahere: deinde eosdem insidiis tectis & astu trucidare, excitatis in eos & immissis proceribus aliis, viris potentibus, qui specie simultatum eos vel vi vel veneno tollant. *De Germanico sic à Tiberio tandem sublato per Cn. Pisonem.*

E. Proinde recte & prudenter dicebat SOLON. Principum amicos calculis esse similes, qui ut arbitrio supputantis ponuntur, interdum valent multa millia, interdum minimum, aliquando vero nihil. *Laert. in vitu Philosoph. libro* I. *cap.* 3.

4 In loca paludosa nunquam temere ducendus exercitus. Vix enim est, ut illic indigenis par sit, quantumvis robustus & magnus. *Sic peccatum à Germanico, dum Cattos aggreditur.*

5 Ex sermonibus privatim, inter cibos, inter cives habitis, melius discit Princeps ecquod sit exercitus & populi de se judicium, quam ex concionibus & conventibus publicis à se præsertim indictis. *Sic Germanicus Cæsar exploravit militum de se judicium.*

6 Opti-

6. Optimum est nostrorum, si qui in castris hostium militant, animos tentare, & ad transfugium vel defectionem pellicere promissis. *Sic Arminius animos Batavorum tentavit.*

7 In victoria adversus gentem sæpius rebellem & indomitam, cędibus est insistendum: non captivi ex ea capiendi. *Sic Germanicus Cæsar.*

8 Exercitui tutius semper est iter terra, quam mari. *Sic fere oppreßus exercitus Cæsaris Germanici in Germania.*

9 Post magnas clades à nobis acceptas, tamen, quantum possumus, est nova vis hosti intentanda & opponenda, quacunque ex parte illum adoriri possumus, ne nos animum existimet prorsus despondisse. *Sic Germanicus post claßem amißam in mari Germanico.*

10 Magicæ artes etiam sub Imperatoribus infidelibus punitæ, & ex iis divinatio. *Sic Libo punitus sub Tiberio.*

E. Saul consulens Pythonem, (1 Sam. 28) in prælio contra Philistæos, desperans de victoria, de anima, gladio suo incubuit in mortem.

11 Quamvis in Rebusp. familiæ ab auro, argento & rebus fortunæ sœpe plus quam decet, æstimentur; distingui tamen ordines, ne cum patriciis plebs paria faciat in vestitu, supellectile & aliis sumtibus: imo lege cohiberi debent inferiores licet ditiores, ne privato sumtu excedant dignitate superiores.

E. *Augustus* Cæsar edixit, ne quisquam nisi senator, qui cum magistratu esset, purpuram gestaret, quam jam vulgo sumi videbat. *Dion, libro* 49.

12 Nimia aulicorum ac delatorum auctoritas, eaque in dies crescens, et privilegiis, honoribus,

bus, & opibus exornata, initium, via, & satellitium est Regiæ dignitatis prius ordinatæ, in tyrannidem mutandæ. *Sic sub Tiberio Cæsare, & in Pisonis oratione urbe cedentis.*

E. *Benevolum lectorem remitto ad notas Cl. Forstn. in Tac. l 1. ad verbum Granium Marcellum* &c ubi fuso calamo delatores, malorum omnium tartareos fabricatores graphice depinxit.

Dion. l. 58. de Tiberio Imp. Vna die eos, qui inter delatores præcipui erant, occidi jussit, ac cum unus qui aliquando centurio fuerat, indicium de aliquo deferret, omnibus emeritis militibus ea re interdixit, cum equitibus & senatoribus eam rem concessisset. Hæc Tiberio laudi fuerunt juxta, ac spreti qui propterea decernebantur honores.

13 In Repub. bene constituta Magistratuum electiones fieri longe & aliquot ante annis non debent, quam electi magistratum ineant: hac enim ratione ad usurpandam tyrannidem seditionesve movendas via aperitur. *Sic Tiberius contra Gallum.*

E. In Comitiis Ordinum Angliæ *Regina Elizabetha* respondebat proceribus regni, petentibus ut se viva successorem regni declararet: Nolle sibi vivæ & superstiti aliquod sepulchrum designare. *videatur Camdenus in vita.*

14 Illustrium familiarum inopia à Rep. vel Principe in posteris industriose sublevanda. *Sic Augustus & Tiberius multorum Senatorum & Hortali inopiæ succurrerunt.*

E. *Sueto. de Nerone.* Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiare destituto, annua salaria, & quibusdam quinquagena constituit. Item pretorianis cohortib. frumentũ mẽstruũ gratis.

15 For-

15 Formæ similitudo facit, ut plerique impostores sese in locum Principum peregre defunctorum, & populo gratiosorum, facile subintroducant & insinuent. *Sic Clemens servus se pro Agrippa supposuit.*

16 Qui in spem imperij aluntur, etiam privati colendi. Nam meminerunt in imperio hujusmodi contemptus de se facti, & eos qui se contempserunt, odio & afflictione persequuntur. *Sic Tiberius Archelaum Cappadociæ regem odio habuit.*

17 Qui in spem Imperii aluntur, mature assuescant militiæ, exercitibus præficiantur, ut illis innotescant. *Sic Drusus, sic Germanicus, sic Marcellus filij aut nepos Augusti.*

E. Dio l 52. *Agrippa* in oratione de formanda Rep. *Augustum* affatur: Hoc quoque te summopere hortor, instituas, ut patritij equestrisq; ordinis homines, dum adhuc pueritiam agunt, ludos literarios frequentent, adolescentes autem facti equos & arma tractare discant: utrinque publicis à Doctoribus certo stipendio conductis. Ita enim statim à puero discentes ac exercentes omnia, quæ adultis sunt usurpanda, ad omnia negotia aptiores habebunt.

18 Optimus est exercitus, qui Duci parere, ordines servare, sequi signa, confertim, non autem per catervas vage pugnare didicit, & sic collocatur, ut subsidiis mutuis firmétur omnes acies.

E. *Tacitus de moribus Germanorum vita de Batavis:* Multum (ut inter Germanos) rationi ac solertiæ, præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, nec nisi ratione concos-

cessum, plus reponere in duce, quam exercitu.

19 Princeps subditis suis gravi aliqua calamitate afflictis subvenire, tum ex ærario publico, tum tributorum remissione debet. *Sic Tiber.* II. *urbibus Asiæ terræmotu concussis.*

20 In malum finem exercitus favorem sibi conciliat, qui licentiam in castris & desidiam concedit, severos tribunos dimovet, vagum & lasciviẽtem per agros militem sinit, & largitione milites corrumpit. *Sic Cn. Piso legiones Syrias corrupit contra Germanicum.*

E. Scipio duces austeros & rigidos suis, at faciles & largitores hostibus esse utiles; nam illis quidem facilibus milites delectari videntur, sed eosdem contemnunt: illos austeros aversari, sed iisdem obediunt, & per omnia parent.

21 Vt novi populi facilius nobis assuescant, & nostrum jugum patiantur; sunt oneribus & tributis levandi. *Sic Cappadoces & Comageni levati à Germanico.*

E. *Antoninus Imp. cognomento Philosophus*, cum in conficiendo bello pecuniæ deficerent, omnia argentea vasa, aurea, crystallina & myrrhyna, cum omni principali suppellectile, ornatuque conjugis publice vendidit, ne tributa imperando provinciis aut civitatibus, esset gravis.

Contra pessime *Albanus Hispanus* decimum nummum bonorum mobilium, & vicesimum immobilium, Anno 70, à Belgicis provincijs exigens: hunc incolæ solvere recusarunt, & pro ea summa, vicies centena aureorum millia illi exsolverunt: At ille nihilominus hoc tributum acriter urgens, ordinibus Belgij, qui hoc modo commercia minui & in nihilum redigi videbãt, causã dedit ut consilia de ejiciendis Belgio Hispa-

Hispanis agitarent: Hinc omnis Hollandia, Zeelandia, & reliquæ unitæ provinciæ, quas modo florentes videmus, excusso jugo Hispanico, se in libertatem generose vindicarunt.

22 Qui Proceres minores majoribus sunt superbi, & præter officium contumaces ac molesti, tale quidpiam nec audent, nec faciunt, nisi jussu summi Magistratus, aut superiorum secreto mandato ac insidioso instinctu. *Sic peccatum à Germanico, quod Pisonem non punivit.*

23 Quæ regiones, loca, aut opida Regni intercepta, totum regnum in discrimen adducunt, à nemine ex Proceribus inscio rege sunt adeunda, neque in iis quicquam pro imperio geri debet, præterquam ab eo qui præfectus est. *Sic Ægyptus seposita ab Augusto, ne quis Senator in eam ingrederetur.*

24 In Regnis quæ nobis sunt formidolosa & suspecta, serendæ seditiones & discordiæ, ut tuti adversus ea simus, & frangantur eorum vires. *Sic Drusus in Germania egit.*

25 Cum Crete Principe, id est, astuto & potente, cretizandum, modo fides à nobis data non violetur, ut suis ipse artibus tandem capiatur. *Sic Rhescuporis Rex Thraciæ à Tiberio captus.*

E. Lysandri Spartani regis monitum est: ubi leonina pellis non pertingit, oportet vulpinam assumere. Princeps enim in periculo referre debet animum graviter frementum leonum: in consilio vero vulpem se gerere. *Lips. libro 4. Polit. Cap. 13.*

26 Qui è subditis Provinciam aliquam etiam sibi datam armis invadit, est seditiosus. Nam ad summum Principem recurrere debet. *Sic Piso damnatus.*

27 Tyran-

27 Tyrannis displicent civilia Procerum ingenia : quamobrem eos maxime, sed astu trucidandos curant. *Dictum Drusi.*

28 Meretrices et libido feminarum etiam Romæ coercita legibus, tempore Tiberii.

E. Gravissime scortatio punita fuit in populo Dei. Hinc cum Moabitarum speciosæ mulieres submissæ in castra Israel, consilio Bileam mali Prophetæ, ut Israelitæ amore illecti scortarentur cum eis, & idololatricum ipsarum cultum admitterent, conciderunt uno die viginti tria hominum millia. *Num.* 29. 1. *ad Cor.* 10.

29 Constituendum maximè tempore famis pretium frumenti à Magistratu, ut seditio tollatur. *Sic Tiberius fame ingruente Roma.*

30 Ferro & bello aperto, non autem perfidia et veneno tollendus extraneus hostis publicus. *Sic responsum à Senatu Adgandestrio Catto.*

E. *Crescentii* uxor, quæ *Othonem* III. Imper. spe regnandi ad amorem sui pellexerat, Roma discedentem dolens, venenatarum cheirothecarum simulatæ amicitiæ munus ad eum misit : quo ille sensim infectus apud Paternum ex vaticinio sancti viri extinguitur.

Cum Timochares Ambraciensis Fabricio Consuli pollicitus esset, se Pyrrhum per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum, eaque res ad Senatum delata esset, missis legatis Pyrrhum monuit, ut contra tales insidias cautius se gereret, memor urbem à Martis filio conditam, armis bella, non veneno gerere debere.

Philippus Rex Hispaniæ, proh dolor Illustrem Principem Gulielmum Auriacum, ter per proditionem perfide vulnerari, et tandem occidi curavit.

Henricus VII. Imp. Lucelburgensis, cum gravissi-

vissima obsidione Florentiam premeret, à monacho quodam prædicatorij Ordinis Iohanne Politiano Senensi, subornato à Florentinis, extinctus est veneno, quod missali hostia toxico oblita ei dederat monachus in opido Bonconvento; ei symbolum adscribitur; *Calix vitæ est mihi calix mortis*; hinc venenum et non in hostia, sed in calice oblatum fuisse aliquorum est sententia, at hodie in eucharistia calix benedictus denegatur omnibus principibus Laicis, imo ipsi Imperatori, excepto Rege Gall. qui bis calice dignatur in cœna, nempe die coronationis & die mortis.

31 Qui ex bonis Principibus & patriam amantibus evadunt tyranni, aut affectant tyrannidem in patriam, etiam ab ijs ipsis fere tunc tolluntur, ac trucidantur, quos prius in libertatem asseruerunt. *Sic Arminius sublatus à Germanis.*

EX LIBRO TERTIO

ANNALIUM.

IMpatientia, aut desperatio, in malis & afflictionibus, tum pessima, tum intempestiva consilia, imo etiam noxia & periculosa suggerit. Itaque in afflictionibus animus obfirmandus est, & ferocitas etiam à Principibus ipsis deponenda. *Sic Agrippina uxor Germanici peccat.*

E. *Pittacus Mitylenæus* unus è septem sapientibus dicebat, prudentium virorum esse, priusquam adversa contingant, prævidere ne veniant, fortium vero, cum ea contigerint, æquo animo ferre.

Cato

Cato quo die repulsus est à prætura, pila lusit, qua nocte periturus fuit, legit. Eodem loco habuit prætura & vita excedere, omnia quæ acciderant, patienter ferenda esse sibi persuasit. *Seneca l.10 epist.72.*

Epictetus: invictus esse potes, si in nullum certamen te dimittas, quod in te non est vincere.

BIAS rogatus, quis esset in hoc mundo ærumnoso infœlicissimus, respondit, qui ferre nequit infœlicitatem. Neque enim res adversæ occidunt hominem, sed quam in iis habemus, impatientia.

2 Tyrannis suspecta est etiam fæminarum illustrium & sobolis ex magnis clarisque parentibus natæ laus publica & commendatio. Itaque utramque, quum possunt, tollunt. *Sic Agrippina Germanici uxor à Tiberio tandem sublata; & virorum illustrium filij.*

3 Tyrannorum oratio & facta omnia primum sunt ancipitia, & sic ambigua, ut in utramque partem interpretari quidem possis: illi tamen inde animos aliorum explorant. *Sic Tiberius Cæsar.*

E. In vita *M. Aurelij Imperat.* relatum extat, quod Princeps Tyrannicus suspicionibus semper indulget.

4 Principum, & bene de Repub. meritorum injustæ cædes acerrime vindicandæ: alioqui seditio nasci solet. *Sic mors Germanici Cæsaris vindicata.*

5 Laxior disciplina militaris, & militum timiditas aut turpis fuga, severitate restituitur, qua sola fortiores fiunt. *Sic à L. Apronio Romani milites confirmati.*

E. *Scipio Africanus* dux exercitus Romanorũ missus in Hispaniam ad debellandam Numantiam

tiam urbem, eodem temporis momento, quo castra intravit, edixit, ut omnia quæ voluptatis causa parata erant, submoverentur. Nam constat tum maximum inde institorum & lixarum numerum cum duobus milibus scortorum abiisse. *Livius l.2. decad. 3.* Milites jurejurando à tribunis militum adacti, jurabunt se fugæ aut formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut hostis feriendi, vel civis servandi causa. *Halicar. lib. 4. antiq.* Centurionum, quorum manipuli fugerant, & antesignanorum, quicunque signa amiserant, aliis securibus decisa sunt colla, aliis fustibus percussi periere. Ea enim est Romanorum in desertores aciei, signave abjicientes patria punitio.

6 Adversus vagum hostem equitatu pollentem & minime certis locis consistentem, difficillima est belli gerendi ratio. Vnde nisi præda ille oneretur, aut ad maritima loca compellatur, vix fundi potest. *Sic Tacfarinas Numida tandem fusus à L. Apronio, & libro 4. à Dolabella accisus.*

7 Adulteria, & suppositi partus Romæ etiam puniti sub impuris Imperatoribus. *Exemplum Lepidæ sub Tiberio: Silani sub Augusto.*

8 Parentum quam orborum civium privilegia majora esse in Repub. debent, quo sint alacriores homines ad sobolem procreandam, & alendam. *Sic Lex Papia Poppæa sancita ab Augusto Romæ.*

E. In jure Romano à tutelis & legationibus excusat munerus trium liberorum, à cæteris muneribus personalibus numerus quinque, ab omnibus numeribus tam personalibus quam patrimonialibus numerus XVI. liberorum excusationem præbet. *lib. 1. C. delegatio. semper ff.*

de

de ju. immun. l. si quis decurio 24. C. de decurio.

Romanorum vetus institutum erat, quo tergemini si ulli nascerentur, publicis impensis alerentur.

9 Præsidum Provinciæ uxores una cum suis maritis in Provincia esse non est indecorum, modo sint illæ abstinentes, minimeque rapaces & avaræ. *Sic decretum à Senatu sub Tiberio.*

10 Tyrannidis inducendæ ac stabiliendæ prima initia sunt, frequens accusatio, & in quovis crimine adjuncta de læsa majestate Principis; itemque delatorum auctoritas. *Sic Tiberij tyrannis introducta.*

11 Tributorum immoderata summa, & æris alieni magnitudo publice conflata, facile Provincias sic oneratas ad rebellionem & seditionem incitant. *Sic Galliæ sub Tiber.*

E. Hæc una ex præcipuis causis fuit, cur *Noviomagum* ad hostes defecerit, quod scilicet aliqui ex ministris & officialibus publicis, qui colligendis tributis, telonijs, alijsque publicis pecunijs tractandis præfuerant, easque negligenter administraverant, quærebant occasionem, ne rationes accepti & expensi reddere cogerentur. Sic etiam ob immoderata tributa exacta à *Roboamo* filio Regis *Solomonis*, magnus motus ortus inter Iudæos, & scissum regnum fuit in Iudam & Israelem *lib.* 1. *Reg. Cap.* 12. In Hispania, sub Imper. *Carolo* V. ut est *apud Iovium* videre in vita Adriani VI. In Gallia sive Aquitania, sub rege *Henrico* II. Sic An. Christi 1509 *Erphurti* magna seditio mota est ob grande æs alienum, quod à Senatu inscia plebe contractum fuit, item ob exactiones cotidianas quæ sine ulla intermissione fiebant. Quam etiam ob causam Consul *Kelnerus* in vincula conjectus, sequentique anno in pa-

patibulum sublatus, multaque indidem alia mala & incommoda sunt exorta.

12 Magnus est in potente & late patente Regno Legionariorum militum usus, nimirum ut in singulis Provinciis sint adversus quosvis popularium motus & seditiones parati. *Sic Romani orbem terrarum in officio continuerunt.*

13 Aut non tentanda, aut leviter primum aggredienda rerum aliarum præterquam religionis, emendatio, quæ corrigi absque publico totius Regni motu non possunt. *Sic leges sumptuariæ à Tiberio neglectæ.*

14 Sumptuosa convivia & nimium luxum publicum exstinguunt tum Principum Reip. virorum continentia sobrietasque : tum publica paupertas & calamitas ; qua res singulorum fiunt accisæ.

E. Digna principibus imo necessaria cura esse debet, providere ne dites familiæ, aut stemmate insignes ostentu magnificentiæ prolabantur: at forte hodie persuasum est principibus, ex aliorũ tandem inopia sibi securitatem conciliari.

Marci Antonij Trevisani ducis Venetorum LXXXII, insignis temperantia & abstinentia laudatur. Hic anno 1553. Venetiis edicto inter Decemviros edito statuit, ne noctu usquam solita illa convivia & comœdiæ, quibus cives se ipsos exedunt, instituerentur. Hæc namque luxuriosa convivia, lascivique ludi, magnam præbebant materiam mali, maximaque vitiorum licentia inde alebatur.

15 Iudicum capitalium sententias, etiam Principis ipsius, ad tempus aliquod differri satius est, quam statim executioni mandari, quo maturius deliberentur, & dictæ examinentur. *Sic decretum sub Tiberio, ne Senatus-cons. capitalia ante de-*

te decimum diem ad ærarium deferrentur.

Apud Proconsulem Asiæ *Dolabellam* Smyrnea materfam. filium proprium & maritum necasse confessa est, quod filium suum ex priore matrimonio susceptum ab eis occisum comperisset & comperendinata, cum consilium, ad quod ex more delata est, anceps quid inter ultionem & scelus statui debeat, hæsitaret, ad Areopagitas missa est. Hi causa cognita centesimo post anno cum accusatore mulieré adesse jusserunt; ne aut absolverent veneficã, aut filii ultricem punirent. Ita *nunquã tardũ existimarunt, quod est omnium ultimũ.* Ammian. *Mar.* 29. *Val. Max.* 8. *c.* 1. A. *Gel.* *l.* 12. *c.* 7. Cunctator esse debet, qui judicat de salute hominis, alia sententia potest corrigi, de vita transactũ non patitur immutari. *Cassiod.* 8. *var.* 1.

Elizabetha regina Angliæ, cum sententiam definitivam, parlamenti regii confirmasset, de capitis pœna *Mariæ* Scotiæ Reginæ infligenda, quod proprium maritum Regem Scotiæ interfici curasset, amplius quam integrum annum executionem ejus sententiæ differri & prorogari voluit: *Demetr lib.* 13. *histo. Belg.*

Sic *Theodosii* Imp. lege; quæ *Ambrosii* Mediolanensis episcopi rogatione lata fuit, *in l. si vindicari* 20. *C. de pœn.* cavetur, ut totos dies 30. principis jussa sustineantur, si severius aliquos puniri mandaverit, ut videatur, an interim Princeps pœnam relaxet. Cui legi ferendæ occasionem dedit septem hominum millium cædes in Thessalia jussu Theodosii Imp. facta quod quæstores ac magistratus aliquot Principis interemissent. Extat hæc historia & causa legis apud *Sozom. l.* 7 *hist. Eccles. c.* 24. *& in decr.* 11. *q.* 3. *c. apud Thessal.*

16 In regnis electivis, quo seditiones vitentur, satius est quempiam virum bonum, nobilem

& bene de Repub. meritum, ex ordinum sententia designari, etiam adhuc vivente Principe, ad Imperij successionem: quam incertum relinqui, quis eo mortuo sit successurus. *Sic Augustus Tiberium designavit: Tiberius* Drusum: *Nerva Trajanum.*

E. *Hugo Capetus*, ad quem à Caroli Magni familia Francicum regnum transiit, ne in nondum firmato regno exoreretur, tanta mortalium cupiditate rerum novarum moles, Robertum filium sibi cooptavit. P. *Æmil. l. 3. de reb. gest. Fr.*

Cosmus Hetrur. Dux imperium vivus filio tradidit. *Iohan. Bapt. Cin. de vita* Cosmi. *Thuan. lib.* 35.

17 Designatio novi Principis, illiusque dignitatis acceptatio ab eodem fieri debet ceremoniis, more & loco solitis, & cum illius præsentis publica gratiarum actione tum ad Deum, tum ad homines ipsos, qui hujusmodi honorem deferunt. *Sic accusatus Drusus à Senatu.*

18 Templa facinorosis aut servis, aut debitoribus ne sint asyla, *Sic sub Tiberio ea licentia coercita.*

E. Olim in asylis securitas erat illis, qui non tam scelere noxii, quam humana imbecillitate lapsi veniam & miserationem, quam pœnam merebantur; nunc flagitia hominum etiam in ipsis Dei templis proteguntur; Exempla in Italia sunt obvia, ubi latrocinia, homicidia, conspirationes in rempub. patrocinium suum habent in monasteriis; at modus est præscribendus, & hominum non item scelerum securitati providendum. Præter templa, etiam *Legatorum* domus asylorum loco habentur, at nec in abusus illæ trahendæ, *apud Mauroc. ad an.* 1542. *sub fin.*

Ve-

Veneti vi extrahunt proditores patriæ è domo Oratoris Gallici Mompolerii, iique statim severæ quæstioni subjecti, crimen fassi, geminas inter columnas in campo D. Martii meritæ necis pœnas laqueo suspensi dedere.

Imper. Arcadius *&* *Honorius* statuerunt, quod qui reatu aliquo vel debitis fatigati ad ecclesias confugiunt, ut evitare possint crimina, vel pondera debitorum, inde arceantur, donec universa debita reddiderint, vel fuerint innocentia demōstrata purgati. *l. 1. C. de his qui ad eccles. confug.*

19 Tyrannidis obscure & pedetentim serpentis hæc sunt initia, cum qui Princeps electus est, majorum negotiorum cognitionem sibi uni reservans, & ex suo unius arbitratu ea statuens, leviorum, & quæ Reipub. incolumitatem non attingunt, disceptationem ad Ordines remittit. *Sic Tiberius ad Senatum remittit postulata Provinciarum de templorum immunitate, vim principatus sibi firmans.*

E. Iohannes Austriacus, excluso Senatu Ordinum, consiliis suis adhibuit exteros & peregrinos tantum, *Octavium Gonzagam* hominem Italum, *Baptistam Taxis*, quondam ducis Albani secretarium & *Escovedum* callidum fraudum Hispanarum ingenium, qui scripserat ad Regem Hispaniæ, *non posse turbis Belgij nisi per ignes & gladios medicinam inveniri.*

20 Principum virorum ac procerum nimia in honoribus ambiendis festinatio, dum æquales, deinde superiores, postremo suasmet ipsi spes anteire parant, eos funditus tandem perdit.

21 Quanto plus gliscit imperantis potestas, tanto jura minuuntur. Itaque non permittendum, ut is utatur imperio, ubi legibus agi potest. *Tiberij sententia.*

22 Repetundarum neglecta accusatio & cognitio cùm præsides ipsos facit ad provincias expilandas audentiores, tum verò ipsas Provincias impellit ad rebellandum. *Ea etiam sub malis Imperatoribus sæpe repetita Romæ.*

Ordines Frisiæ contra publicum Quæstorem provinciæ suæ judicium criminale repetundarū instituerunt, carcerique & justis pœnis, scilicet ictibus fustium & exilio subdiderunt, quod rationes accepti & expensi pecuniæ publicæ non rectè & fideliter reddere posset, & pecunias provinciæ in privatos usus consumsserat.

23 Opera publica propria quarundam Principum familiarum, decorè ab iisdem sumptibus propriis resarciuntur & conservantur. *Sic Lepidus Basilicam Pauli Æmilij sub Tiberio: & alij.* E. *Cosmus Magnus Hetruriæ* Dux, in parvo imperio amplissimā Augusti fortunam æmulatus, cujus & insigne Capricorni sibi sumpsit, ac passim in ædificiis à se regia magnificentia instructis insculpi curavit, ita ut de se dici voluerit, urbem quā lapideam acceperat, marmoream reliqvisse. *Thuan. ad ann.* CIↃ IↃLXXIV. Et sane ædificandi studium magnificentiam Principum auget, cives ad architecturam, sculpturam, picturam aliasq; egregias artes excolendas invitat: pauperes denique inde quotidiano labore victum sibi procurant. Vias publicas lapidibus sternere, flumina pontibus jungere, muros civitatum reficere, adque eam redigere securitatem, quam diabolicæ oppugnandi artes atque instrumenta hodie requirunt; munimenta locis opportunis; templa item & nosodochia, gerontocomia, orphanotropheia constituere, porticus & bibliothecas aperire: denique sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera eodem quo extructa sunt

animo-

animo, ab interitu vendicare, &c Hæ sunt structuræ principis curas exercere dignæ. *Forstn.* Vt visu hæc, quæ hic dicuntur, usurpes, opus est adire Italiam, Belgium & urbes Hanseaticas, inter quas caput extollit DANTISCUM, in quo junctim singula ad usus politicos & militares cum stupore videbis, laudabis.

24 Fugax & vagus hostis est pluribus diversisque in locis per præsidia posita coërcendus & comprimendus. *Sic Tacfarinas à Blæso.*

EX LIBRO QUARTO

ANNALIUM.

1 IN regnis tum electivis, tum hæreditariis ij meritò Regibus & Regno suspecti esse debent, tanquam regnum præter jus & fas affectantes, & invasuri tyrannidem, qui ex parvis opibus ad magnas dignitates evecti, militum animis sese clam insinuant, & benignè eos sibi conciliant: etenim summum imperium ambiunt qui suos clientes exercitui aut provinciis præficiunt, alios præfectos sibi non devinctos deturbant ex suis gradibus, qui Principibus ad succedendum designatis pares se faciunt, aut etiam injurias iis inferunt: denique qui potentum & procerum uxores vel famulos stupro vel promissionibus sibi ad idem conandum devinciunt. Itaque hæc signa sunt notanda. *Sic Sejanus affectans tyrannidem egit.*

E. Hodie, quamvis indigna res sit, aulici variis artibus suos Principes devinciunt, idque sæpe non fit solertiâ eorum, sed Dei ira in dominatum. Ita Tacitus de Tiberio, quem à Se-

jano falsum non solertiæ ejus sed Deorum iræ in rem Roman. adscribebat. Hodie Principes non extraneos modo, sed filios ex se genitos (*exemplum est Philippi* II. *Hispan. in filium Carolum*) & domesticos proximos in ambitionis suspicionem & crimen trahunt, dumque nullum dominationis, sese vivis, vel socium vel successorem ferre queunt, aliena nihilominus fraude vel sensuum stupore circumventi eo adducuntur, ut infamia sese reddant mancipia suorum servorum. *Galba* nihil poterat sine tribus nequam *Suet. in Galb.* 14. *Claudium* regebat uxor & liberti, ut æthiops elephantem. *Suet. in Claud.* 28. Iohanna I. Neapolitana regina ad Philippæ Catanensis (fuerat hæc in castris lotrix, maritum habens hamiotam; *plene historiam scripsit Petrus Matthæus, inscriptam : histoire des prosperitez malheureuses d'une femme* CATHENOISE, *grande Seneschalle de Naples*) & Ioanna II ad illorum nutum imperabat, quibus corporis sui inhonestam permittebat usuram. *Guicciard. In hist. Scip. Amirath. de Iohan.* II. Apud Carolum V. Imp. Gonzaga, Mendoza, & Antonius Perenottus Granvellanus (hic Vesontione Sequanorum urbe natus patre fabro ferrario, (*Strada l.* 2. *M. Anton. Gratian. l.* 5. *de bel. Cypr.*) omnia poterant. Philippo II. Hispan. inserviebant Perezius & Episcopus Atrebatensis. *Thuan.* & *Conestag,* 1. *de bel. Belg.* Philippus III. mancipium erat Ducis Lermæ, *præter Euphormionem omnis historia loquitur.* Quis Conchinus sive Marchio Ancoritanus cum sua uxore Galigaya fuerit nupere in Gallia, legatur *conjuratio Conchini*: Omnes at quo lubrico loco fuerint, exitiales de ipsis videantur historiæ.

2 Legionarii sæpe sunt à summo Principe lustran-

strandi, & recognoscendi, eorum numeros supplendus, ac modestia disciplinaque observanda. *Sic Tiberius monuit.*

E. Urbis Romæ instituta militaria erant, ut post maximos cæsos exercitus, semper majores in hostem educi potuerint, idque commode fieri & numerus cæsorum suppleri poterat per triplex hoc medium; *Tribus, Colonias, Socios.* Hodie cum tympanum strepit, insanit fæx in urbibus, pagis & campis, coeunt protervi, otiosi, legum impatientes, parentibus & magistratui immorigeri, infames mulierum mœchi, aleatores, ebriosi, urbium & regionis purgamenta; quibus neque boni intellectus, neque mali est cura: qui neque in victoria decus, neque in fuga flagitium putant. Romani vero ex *tribubus, coloniis, sociis* militem habebant electum, belli & munerum militarium gnarum, acie invictum, & qui annos non plus ex factis quam stipendiis suis numerabat. *Vide Cl. Forstn. prudenter disserentem ad* Tac.

3 Boni Principis est, annonæ publicæ deficienti, infæcunditati terrarum, asperis obviam ire edictis, impensis, ac cura diligenti: denique providere ne provinciæ novis oneribus turbentur, & ut vetera sine avaritia, & crudelitate Magistratuum tolerentur.

E. Cum annona laboraret Roma ita ut multi fame coacti se obvolutis capitibus in Tyberin præcipitarent. Sp. Melius equestris ordinis largitiones frumenti instituit, frumento in Hetruria per suos clientes coempto. Quo beneficio delinita plebs, eum in futurum annum Consulem designavit. Ipse, ut est animus humanus honorum insatiabilis, de regno consilia agitare incœpit. *Liv. l.* 4.

4 Aulici, in quorum potestate est Rex, & ex quorum voluntate gerit omnia, quandiu tyranni non sunt, aut tyrannidem non affectant, vel ultores metuunt, bonis consiliis & salutaribus Reip. ferè notescere volunt. *Sic Sejanus.*

5 Dominandi & tyrannidis usurpandæ spes prima difficilis et in arduò: ubi verò quis eam spem fuerit ingressus, adsunt hominum studia, & ministri non desunt: Ac proinde eorum, qui tyrannidem affectant, studia primo quoq; tempore videturbanda: & ij necandi, qui tales deprehenduntur, vel eorum ministri.

6 In Rebuspub. bene moratis histrionum immodestia severè est coërcenda. *Sic sub Tiberio Romæ Senatus consult.*

E. Vovendum esset, toto orbo pellerentur; Romæ dicebantur sententiæ, ut jus virgarum in histriones prætoribus esset. *Tac.* I. *Ann.* dum in scenis, quicquid obscænitatis occultum alibi, in publicum producitur; nulla ibi turpis voluptas, adulteria stupra cum attentione conciliantur, coagulantur; furtorum, fraudum schemata proponuntur argutiis laudatis; Principibus illuditur, Magistratuum reverentia exsibilatur; prodigi ad lupanar ducuntur, ut pudore & castitate cum vestibus exutis, morbus corpori, infamia genti, & jactura animæ inferatur. Ita ibi denique paulatim patrii mores funditus evertuntur per accitam lasciviem, ut quod usquã corrumpi & corrũpere queat, in urbe visatur, degeneretq; studiis externis juvẽtus, gymnasia et otia & turpes amores exercẽdo *Tac.* 14. *An.*

Sic *Lycurgus* omnibus rebus supervacaneis Spartæ interdixit. Quare nullus mercator, rhetor, ariolus, aut circulator, aut supervacuæ suppellectilis opifex Spartam veniebat.

7 Prin-

7 Principibus iis qui tantum sunt designati, vivo adhuc prædecessore, est maximè cavendum, ne se illi pares faciant, eodemque cum eo gradu & loco & favore publicè privatimque se coli patiantur, aut eosdem honores sibi delatos admittant, comitatum tam frequentem habeant, nimium illam spem urgeant, præferant, & jactent: denique ne quicquam ad regnum obtinendum moliri videantur. Summum enim prædecessoris adhuc regnantis odium in se hac ratione concitant, & sibi perniciem parant. *Sic filij Germanici odio à Tiberio habiti, & ipsa quoque Agrippina, seq. illi everterunt.*

8 Principi collata beneficia neque obscurè neque apertè sunt à privatis vel Proceribus illi exprobranda vel nimium jactanda. *Silij exemplum sub Tiberio.*

9 Tyrannorum est, potentes de Repub. bene meritos occultis odiis per veteres inimicos à se incitatos evertere, & scelerlbus suis honestos tamen prætextus & jura vetera prætexere.

10 Seditionum initia primo quoque tempore exstinguenda.

E. In obsidione Leydensi anno 1574 exarsit Hispanorum seditiosorum flamma in Ducem *Valdesium* ob stipendia non numerata, eaq; comprehendit militum ferme quatuor millia. Qui capto constrictoque Valdesio, Electoque in ejus locum substituto, signis Trajectum ad Rhenũ versis, aggressi urbem, non antè, quam ipsius Valdesii operâ repræsentarentur à Requesenio stipendia, sedati sunt. *Strada ad an. dictum.* Aliud exempl. vide apud eundem *ad an.* 1578, ubi ex una legione seditiosa sub Ioanne Austriaco, XII. seditionis authores protrahuntur ad supplicium; ex his militari sortitione secernũtur 8. ex quibus eodem

eodem fortunæ arbitrio IV neci adjudicantur; tot enim plecti Austriacus mandaverat; variarum tamen ambitu nationum pro singulis deprecantium, duobus è mortis confinio liberatis, ad duos denique supplicium sortito contractum est. Sed horum altero, veteri sane milite fidoque ad eum diem, dum ad necem cum ignavissimo compositus cicatrices ostendens, ac merita non falso commemorans raperetur; exorta omnium commiseratione, nobilibus aliquot Hispanis deprecatoribus condonato: una demum hostia scelus omnium expiavit, seditionemque compressit.

Sic cum Germani stipendiarii milites Regis Hispaniæ, ductore Comite *Ladronio*, propter non soluta sibi stipendia tumultuarentur Valencenæ, ac Centuriones suos carceribus inclusissent, jussit eos Dux Albanus sub promissione veniæ & remissionis Antverpiam accersiri: Quo cum venissent, undique ab Hispanis circumcincti sunt, & præcipui factionis duces evocati, ac 44. ex illis Antverpiæ in crucem sublati sunt. Anno 1570 mense Novemb.

11 Vbi delatorum auctoritas magna, & læsæ Principis majestatis crimen frequens objicitur, ac boni cujusque viri invadendi ac fatigandi vel tollendi prætextus est, ibi maximæ Principum tyrannidis durissimæque initia ac fundamenta collocantur. *Sic sub Tiberio illecti præmiis delatores.*

12 Tres sunt in universum Reipub. formæ. Nam cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt. Delecta ex his & constituta Reip. forma est.

E. Vulgatissimum est inter omnes quærere, quodnam optimum sit in genere vivendi imperium:

rium : at dum nihil in hac mundi vanitate est perfectum, id perfectissimum judico, ubi virtutum est accrementum & præmium, contra vitiorum decrementum & pœna.

31 Noscenda populi, quem regere vis, natura est, quique eam callet, prudens dicitur.

E. Novit Lector ante, quid *Iulius Maternus*, *Lipsius*, in constantia; *Iunius* in Batavia: *Alex. ab Alex. l. genial. c.*13. de moribus gentium scripserint: nemo penitius illas inspexit *Euphormione* in iconibus animorum, quo lectorem, ubi libuerit, remitto. Vnicum hoc duntaxat hic moneo: plerosque *Germanis* adscribere prudentiam inventæ artis fundendi tormenta: novimus ab omni ævo fuisse bellicosos, nec facile, irritati ubi fuerint, deponunt arma: provoco ad bellum hoc vicennale, cujus quis novit ultima? Attamen artem tubos illos æreos fundendi, negat illis *Garcia de Silva & Figaroa in breviario hist. Hispan*: L I X, cujus verba adponam cum libellus *Olysippone* impressus, non ubivis est obvius: *Ita vero ille ad annum* 1344. Longe clarissima omni ævo *Algeziarum* obsidio existimabatur, quia ibi horrendum, & nunquam antea usquam terrarum visum *Bombardarum* tormentum in lucem prodiit; ab Agarenis tunc; & solertissima philosophiæ ratione inventum, & contra Hispanos per totum triennium, maximo nostrorum damno, vibratum: biennio toto antequam Angli ad Cresciacum, ignobile Veromanduorum vicum, anno M.CCCXLVI. illo primum uterentur, in memorabili pugna, qua profligatus Philippus Valesius Francorum rex: & triginta & sex annis, antequam apud Clodiam fossam, anno M.CCCLXXX Veneti etiam primum usi, à Genuensibus cruentam victo-

victoriam obtinuissent. Quod animadvertisse oportuit viros dictos, ne Italis, Gallis, Germanisve perperam tribuerent, quod apud Hispanienses Arabes indubitanter ortum habuit. *Hucusq; ille. Polyd. Virgil. de invent. lib.2.cap.11.* adscribit inventionem Bertholdo Nigro, Germano monacho ad an.1380. qui videatur.

14 Constituta Reipub. forma laudari facilius, quàm evenire. i. perfecta haberi potest: & si evenit, haud diuturna esse solet.

15 Sub Tyrannis nihil tutum est. Nam dicta, scripta, facta, somnia recitata, & quæ duntaxat sunt meditata, in crimen læsæ majestatis vel religionis læsæ rapiuntur. *Sic sub Tiberio, Caligula, Nerone.*

16 Quæ Magistratus vult & citò, & accuratè esse perfecta, ipsemet curet, alii non deleget.

17 Plerunque evenit ut qui Principes famam hominum contemnunt, iidem etiam contemnant virtutes, & præclarum quidpiam, dum vivunt, agere negligant.

18 Principes eo difficiliùs consilia capiunt, quod etiam famæ suæ rationem habere coguntur & debent. *Tiberij sententia.*

19 Aulici, quantumvis gratiosi, matrimonia sua sorte longè potiora semper cum magna aliorum aulicorum invidia, & suo cum contemptu & periculo ipsi ambiunt: oblata vero à Principe non prudenter aspernantur. *Sic Sejanus eversus sub Tiberio. M. autem Agrippa evectus sub Augusto.*

20 Aulicorum affectantium gubernacula Reip. hæ sunt artes, ut Principes à rebus publicis cognoscendis avertant, illisque voluptates pro hujusmodi tædio objiciunt: aut in secessus aliquos & peregrinationes procul à concilio publico

blico abducant. Tunc enim ipsi rerum omnium arbitri fiunt. *Sic Sejanus Tiberium abduxit.*

E Novit aula Brunsvicensis, quibus artibus ducem *Fredericum-Vlricum* regebant nuperis annis quinque Satrapæ: ipsum Principem ab intima publicarũ rerum cognitione excludebant; omnia tutissime poterant, cum Dominus rerum ignoratione & credulitate in ipsos laborabat: Industriæ erat, omnes alias arcere à propiore Principis aditu, ne quis erroris illum admonere potuisset. Sed quod omnibus Germaniæ aulis innotuit, supersedeo heîc delineare.

21 Invia & ardua opida, præsidia, & castella non nisi munitis aliis circà præsidiis commodè obsidentur. *Sic Thraces in montibus obsessi à Romanis.*

22 Coacta sui deditio muniti alicujus opidi & castri, proxima quoque dedere cogit. *Sic Sabinus Thracia loca recepit.*

23 Tandiu mollibus responsis hostes sunt destinandi, donec exercitum justum collegeris, aut rerum tuarum securitati prospexeris. *Sic Sabinus Thracibus illusit.*

E. C. Cæsar Helvetios transitum petentes distulit, ad præstitutam diem redire jussos: interim aditus omnes validis præsidiis firmavit: reversis deinde transitum negavit. *Cæs. 1. de bel. Gal.* Philippus Rex Hispan. Cardinalem Riarium à Pontifice ad se missum, in itinere per præfectos suos magnificè excipiens, ludis & spectaculorum varietate tam diu detinebat, donec Albæ Dux Lusitaniæ regnum (de cujus controversa successione Pontifex sibi cognitionem arrogabat) subegisset. Cosimus Medicæus Salviatum & Ridolf. Cardinales, ne noviter jacta imperii fundamenta

damenta convellerent, extra urbem per amicos detinebat. *Iohan. Bapt. Cin. lib. 1. de vita Cos.* In obsidione Ostendana Albertus archidux hoc modo à præsidiariis delusus est: cum hi inducias pepigissent, quasi de deditione acturi, dum simulant colloquium, furtim V. Cohortes auxiliares cū ingenti vi commeatus intromissi sunt.

24 Quando Principes fæminæ ad secundas nuptias convolant, magnum futuris Regni successoribus periculum creari plerunque solet, & multum ex Repub. petitur. *Sic Tiberius sensit de nuptiis Agrippinæ.*

25 Procerum suspiciones mutuæ, licet falsæ aliorum in alios, eos in mutua odia concitant, ac tandem evertunt. *Sic Agrippina eversa propter suspicionem suam in Tiberium.*

26 Ferocia Principum ingenia & libera magis patent insidiis. *Sic Drusus uterque, filius & nepos Tiberij.*

27 Post magna prœlia, vel clades à Repub. acceptas, in civitate bene morata sauciis, egenis, & afflictis procerum ædes patere solent, ut eorum largitione & cura afflicti sustententur. *Sic post cladem Fidenis acceptam.* Idem à Regibus quoque fieri debet, ut afflictos extraordinarie subditos de suo sublevent. *Sic Tiberius Cæsar in incendio montis Cælij.*

E. Senenses in bello quod contra Florentinos anno Christi CIↃ CC LX gesserunt, Germanis à Manfredo Siciliæ rege auximilio missis donativum præbuerunt IↃ libras, præter sumtus in curam vulneratorum ex publico præstitos. *Decretum consilij publici in archivo Senensi hodiè extat.*

Iidem illi Senenses in pugna ad Arbiam læsos vulneratosque publico ære sanari jusserunt, & cæsis

cæsis præter illorum temporum consuetudinem in templis sepulturam permiserunt. *Malavolt.* VI. *hist. Senen.*

Franciscus Mendoza Hispanus cum urbem Dotecomium in Comitatu Zutphaniæ occupasset, & in castris multos saucios & ægrotos reliquisset, passim in agris prostratos, denuntiavit gubernatori urbis *Mauricius Princeps Auraicus*, ut saucios & ægrotos in urbem curandos reciperet: Cui respondit Mendoza inhumaniter, quod sibi cura opidi commissa esset, & non ægrotorum suorum militum, ideoque se non posse eos in urbem recipere.

28 Sub Tyrannis, maxime ab Aulicis, ac omnibus tyranni favorem captantibus, cavendum est bonis omnibus, & ne quid illis secreti sui communicent. *Sic Sabinus eversus à Latiare Senatore.*

29 Nimia in exigendo tributo severitas: itemque nimium ipsum tributum impositum, movet subditos frequenter ad seditionem. *Sic Gallia, sic Frisii, sic Hispania sub Tiberio.*

E. Superiori tempore cum à Fontano comite & Hispanis Cameracum obsidione cingeretur, & jam Fontanus autumnali intemperie attrito exercitu de receptu cogitaret, nihil illi ad urbis occupationem magis profuit, quam civium in Balagnium, qui se nuper Cameracensem Regulum appellari à Galliæ rege impetrarat, odium. Exasperaverat illos, quod pro mercibus in foro venalibus numisma æreum Balagnii jussu percussum, accipere cogerentur: cum pro indictionibus tributisque nonnisi aureum & argenteum Balagnii exactores reciperent.

Trajanus Imp. ærariũ Reip. lienem appellabat: Nam ut liene crescente reliqui artus seu membra

bra tabescunt, ita fisco Principis turgente, civitatis corpus, una cum membris languescit, & intermoritur. Idem Imp. Fisci nunquam est mala causa, nisi sub bono Principe.

Darius caupo regni sui dictus est, quia subditos suos nimiis vectigalibus onerabat. *Alexander Mag.* dicebat ise eos olitores odisse, qui una cum radicibus stirpes & herbas evellerent.

EX LIBRO SEXTO

ANNALIUM.

I TYRANNI ubi semul se suumq; statum sibi videntur in tuto collocasse, tunc sese omni turpitudini, libidini, sævitiæ, & avaritiæ dedunt. *Sic Tiberius sublato Sejano.*

E. Cosimo I. *M. Hetruriæ duci*, postremo quod ferè maximis viris usuvenire solet, *accidit, ut quos adversitates mergere non potuerant, eos prosperitates frangant.* nam pace facta, & constitutis novi imperii rebus, dum ætate hactenus temperanter & sobriè acta laxamentum quærit, firmam naturam ac valetudiné solvit, ac nimio voluptatum usu corrupit, prudentissimoque ac moderatissimo alioqui viro quædã reliqua vita indigna exciderunt. Nam & unum & alterum ob causam, quam ignorari voluit, ira impotenti abreptus propria manu occidit; & post *Helionoræ Toletanæ* uxoris mortem, cum ad quietem domi stabiliendam in posterum nuptiis aut omnino abstinere deberet, aut si novas appeteret, ad firmandum novum principatum illustri adfinitate opus habebat, *Camillam* Martelliam in uxorem duxit. *Thuan. ad an.* 1574.

Here-

Herodem juniorem Philo scribit, sex annos juste imperasse, at confirmato jam imperio, 32. annos crudelissimam tyrannidem in omnes exercuisse, nam 70. Senatores regiæ stirpis, excepto *Semnea* interemit, nobilissimã conjugem occidit, tres filios trucidavit, ac jam jam moriturus optimos quosque viros ac Principes trucidari jussit, ut se mortuo luctus ingens sequeretur.

2 Nimiæ in tyrannos adulationes sunt iis tum suspectæ, tum exosæ; & ipsis adulatoribus sæpè exitiabiles. *Sic Gallioni sub Tiberio.*

3 Ipsis quoque Tyrannis sua flagitia & facinora in arcanum supplicium vertuntur: & sæpe suas ipsi pœnas & cruciatus, quos in animo sentiunt, fateri coguntur. *Sic Tacitus de Tiberio.*

Carolus IX. Rex Galliarum à laniona Parisiensi modicus ut cibi, sic & somni, quem etiam nocturni horrores post casum Sanbartholomæum plerũq; interrumpebant, & rursus adhibiti symphoniaci pueri suavissimo cãtu expergefacto conciliabant. Thuan. lib. 57. Histor. ad an. 1574.

4 Nova & inusitata potestas æquitate ejus, qui eam gerit, tandem probatur, & invalescit. *Sic Romæ Præfectura Vrbis sub Mæcenate & Pisone.*

5 Annonæ caritas, & Fœneratorum avaritia, atque præter legum edictum exactio ad seditionem populum movent. *Sub Tiberio hoc contigit S. Galba & L. Sylla Coss.*

Socrates quinque hominum genera expelli voluit è Republica, uti sunt:

Fœnerator seu fraudulentus mercator in foro,
Falsus Iudex in consistorio,
Cupidus sacerdos in templo, Adulator in palatio,
Pulchra meretrix in prostibulo.

6 Qui externis Regni finibus & Provinciis præpositi sunt, aut magnis exercitibus præsunt formi-

formidabiles sunt tyrannis ; & nisi ab iis Provinciis discedant , non facile à tyrannis trucidantur. *Sic Getulicus tutus sub Tiberio.*

7 Est prudentis Principis, arma externorum procul à se removere, ac proinde eos ipsos astu & consiliis suis inter se committere & distinere. *Sic Tiberius Parthos.*

E. Principibus sœpe magis conducit, ut astu potius quam armis res hostium subvertant. Igitur *quandoque Constanti pace , quam armis non possunt, arcent vim :* Ita Tusculani apud Camillum avertebant togati quod sagati non poterant. *Liv. 6.* Ita Amalasuntha Gothorum regina respondit Iustiniani Legatis : nolle se armis contendere : nec fore decoram de non adversante victoriam. *Procop. 1. Goth. Quandoque potentiorum patrocinium subeunt.* Ita Pisani, Aretini & Florentini, ut ab hostibus externis tuti essent, V. annos se subjecerunt Roberto Neapolitan. regi : Florentini in X. an. Carolo Calabriæ Duci : Senenses Ioanni regi Boh. Genuenses in tres annos Carolo Gal Regi. *Orland. Malavolta in hist. Sen. Quandoque numerata pecunia bellum depellunt.* Hoc Florentinis in more semper, quem tamen ultimis bellis neglexerunt avaritia , ita respublica ad Medicæos devoluta, cum XLCIↃ aureis Cæsarem placare potuissent , alii volunt P. Soderini perverso consilio id factum. *Guic. XI. Quandoque quod viribus suis non possunt, fœderata aliena potentia id obtinent.* Sic Lacedæmonii Siciliæ regem in commune contra Persas bellum hortabantur : quod victis reliquis Persæ ad Siculos quoque arma translatura sint. *Herod. 7. Quandoque non expressis fœderum contractibus in libertatis suæ defensionem ita coeunt principes & respub. sed tacita interdum inter quosdam est conven-*

ventlo, ne quem nimis magnum velint. Guic. 1. *histor. de Laur. Medicao & 16. de Lanojo Neapolit. R.* exempla, si longior esse vellem, è Belgio unito adderem. *Quandoque odia aliis populis subjiciunt. Nicet. 7. de Comneno. Quandoque hoste excitant ei, cujus in se impetum timent.* ita M. Palæologus excivit Siciliæ R. & Venetos contra Cæsarem. *Nicephor. Gregor.* 5. *histor. Quandoque suadent, eatenus bellum inter alios sustineri debere, ne inopia deseratur.* Ita Hispanus contra Henric. III. & Henr IV. Gall. Reges fecit: Ita Gallus hodie fovet bellum Sueonum contra Austriacos mittendo auxilia pecuniaria & populos.

8 Barbaris cunctatio quævis servilis: statim quidvis exsequi, regium habetur.

E. Agesilans Spart. rex cum transmisso Hellesponto iter faceret per Thraciam, nulli barbarorum, ut daretur transitus, supplex fuit, sed missis ad singulos nunciis, quærebat, utrum per hostium an amicorum regionem iret? cumque Macedonum rex, se cum amicis consulturum respondisset: consultet igitur, inquit Agesilaus, nos interim iter faciemus, *Erasm. in Apopht.*

9 Tyranni quos vi aperta non audent tollere, necant veneno: vel dissimulatione & donis apud se retinent. *Sic Artabanus Proceres Persarum.*

10 In prœliis fama etiam falsa occisi Ducis sed credita, illius partes terret. *Sic in certamine Orodis & Pharasmanis.*

11 Externi milites mercenarii, & custodes corporis, facile fiunt Regibus ministri scelerum.

E. Anno Christi 1329 equites Germani, cum à Ludovico Imp. stipendiis fraudarentur, Lucam occuparunt, quam postea Spinolæ Genuè-

si 36000 florenis vendiderunt. Anno 1357, Germani milites bellis Neapolit. exerciti, duce quodam Lando, tota Italia vagabantur incendiis, cæde, præda cuncta miscentes. Senenses incolumitatem suam 13000; Pontifex Innocentius Sextus 50000 aureorum redimere coacti sunt.

12 Tyranno cedenti & fugam è regno capessenti instandum, nam collectis viribus statim est rediturus. *Sic Artabanus Parthorum Tyrannus.*

13 Populi imperium juxta libertatem: Paucorum dominatio, regiæ libidini propior est. Hanc igitur tyranni præferunt populi libertati, & potiùs obtinere volunt. *Sic Artabanus constituit in Seleucia.*

E. Populo, quia omni momento variabilis, non tam tutum est res suas credere quam uni aut paucis. Vnde Carolo V. Imperatori è re Reipub. visum, Florentinis subjugatis rempubl. ad Medicæos, urbem Augustam & alias Germaniæ civitates à populo ad Senatum à se constitutum transferre.

14 Dum novum imperium justè occupatur, cujus rex est adhuc superstes aut aliquis ex ejus factione, non circa castella immorandum; sed Regia ejus imperij primùm invadenda, deinde interiore regni petenda, & cunctantium accedere ad novum Regem dubitatio ostentatione armorum est tollenda. Denique non nimium tribuendum uni cuipiam aliis omnibus exoso & suspecto aulico. *Peccatum hac ratione à Tiridate, & à Bardane.*

E. Francisci Sfortiæ bellicosissimi ducis sententia fuit: devicto hostili exercitu debellatum esse; at expugnatis urbibus & castellis sœpe bellum

bellum longe majus superfuisse. *Machiav. v. hist. Flor.*

15 Qui deceptus est in eo quem delegit ad imperandum, & quem prius amabat : credendus est, si eundem, quem prius delegit, accusat postea, vere odisse. Neque enim odium simulare aut fingere is solet.

EX LIBRO UNDECIMO
ANNALIUM.

TYrannis sunt suspecti omnes opulenti, validis generosisque propinquitatibus subnixi : item viri militares & strenui qui militibus præsunt. *Sic Corbulo Claudio.*

E. *Sueto. de Nerone.* Nec minore sævitia foris & in exteros grassatus est, Stella crinita quæ summis potestatibus vulgo exitium portendere putatur, per continuas noctes oriri cœpit. Anxius ea re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere Reges talia ostenta illustri aliqua cæde expiare, atque à semet in procerum capita depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit.

2 Delatorum & accusatorum præmia tollenda omnino, aut moderanda. *Sic Senatus sub Claudio.*

E. Delatores qui non castigat, irritat. *Suet. in Domit. cap.* 10.

Sueto. de Germanico. Libellum de salute sua oblatum non recipit, contendens : Nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset, negavitque se delatoribus aures habere.

3 Novus Princeps initio regni in Proceres aut populares severior, omnes in se concitat, & fere dejicitur vel occiditur. *Sic Bardanes,*

sic Gotarzes Parthi dejecti : sic Italus in Germania.

4 Obsides ex suspectis gentibus vicinis vel remotis retineri à nobis satius est, ut pacem nobiscum illi colant. *Sic Romani Imperatores factitarunt, dum Parthorum, Cheruscorum, Germanorum Regum filios habent obsides.*

E. Polybius Carthaginensium imprudentiam arguit, quod mercenariorum, quibus cum postea bellum ipsis fuit, uxores liberosque dimiserant; quibus obsidum loco uti potuissent. Xenophon Seutę Thracum regi suasit, à Thinis, populo nuper à se victo, obsidum loco acciperet, quibus ad lædendum plurimum esset virum *Xenoph. 7. de exp. Cyr.*

5 Falso & insidiose libertatis nomen obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias, habent. Itaque hi statim, ut seditionis auctores, tollendi.

6 Qui populi dites sunt & imbelles, facile aliorum, & præsertim bellicosorum vicinorum, prædationibus patent. *Sic Galli Germanis.*

7 Imperatoris in disciplina militari servanda severitas; tum exercitum confirmat & bellicosiorem reddit: tum etiam hostem terret.

E. Extat severum militaris disciplinæ exemplum de *Epaminonda Thebanorum duce*, qui cum in magno periculo vigilias circumiret, vigilem quem dormientem invenerat gladio transfixit: Asserens hominem mortuum inveni, mortuum reliqui.

8 Exercitus absque disciplina & labore in castris populationibus & latrociniis potius vacat, quam rei militari. *Sic Germanicæ legiones ante Corbulonem.*

E. In

E. In ipso otio castrensi fatigandi sunt milites continuo labore: hoc intuitu vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum adgestus adversus otium castrorum excogitata *Tacitus ait*.

9 Etiam extranei modo fidi, prudentes, ingeniosi, & Reip. utiles sæpe possunt, imo debent ad extraneæ Reipub. gubernacula & Senatum admitti. *Hoc Claudius Imperator in Senatu disseruit. Sic Romæ multi advenæ Senatores facti.*

10 In quavis Reipub. forma bene constituta publicorum morum Censor aliquis sincerus est deligendus, qui eos corrigat. *Sic Romæ Censores fuerunt*.

E. *Liv. lib. 5.* Hic annus initium censuræ fuit, rei à parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ, penes eam, regimen Senatus, equitumque centuriæ, decoris dedecorisq; discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum privatorumque locorum, vectigalia Populi Romani, sub nutu atque arbitrio ejus essent.

Apud Romanos Censorum fuit summa potestas maximusque honos. Quod patet ex formula legis censoriæ, quæ talis fuit: Censores populi soboles familiasque censento, pecuniasque urbis, templa, vias, ærarium, vectigalia tuentor, populique partes in tribus distribuunto, & pecunias in civitatis ordines partiuntor, equitum, peditumque prolem distribuunto, cœlibus esse prohibento, mores populi regunto, probrum in Senatu ne relinquunto, bini sunto, magistratum quinquennium habento, reliqui magistratus annui sunto, eaque potestas semper esto. *Alex ab Alex. lib. 3 genial dier. cap.* 13.

11 Summorum Imperatorum & Regum uxores sæpe turpissimæ adulteræ extiterunt, quę suis

ſuperiorum Magiſtratuum, certe illa non evadent impunes. Chriſtiani principes nomine, non re, audent illud & quidem cum triumpho, cum gratulationibus (*arcanum eſt Eſauitarum*) quod Ethnici legibus prohibiti abhorruerunt, ut cum inceſtuoſo licet familiæ augméto imperium & dominationem eant auctum: at inſuper habentes & conſcientiam, & cœleſtia mandata, nec papales diſpenſationes, nec purgatoria (figmentum monachorum) abſolvent ab infernalibus pœnis. Sic Nerva Imperat. legem tulit, ne quis neptem, ſeu fratris ſororiſve filiam in uxorem duceret. *Dio. lib.* 67.

3 Etiam in Electivis regnis non ſunt uſui crebræ Regum mutationes. Itaque ferenda ſunt regum ingenia. *Claudii ſententia.*

4 Imparatus ne prœlium excipiat; ſed cunctetur, & flumen, & munimenta hoſti laceſſenti objiciat. *Sic Gotarzes adverſus Meherdatem.*

5 Muniti opidi expugnatio ab externo exercitu ſtatim facta terrorem ejus omnibus injicit.

6 Sæpe victi ad victorem confugientis ſumma miſeria & ingenua ſupplicatio eum ad miſericordiam flectit. *Sic Eunones Mithridati Pontico pepercit.*

E. Contra horret animus, cum Rhadamiſti illius barbarum & crudele facinus memoria repeto, qui. (*ut Tac. libro* 12. *an. refert*) primo in Mithridatis amplexus effuſus ſimulare obſequium, ſocerum et parentem appellare. Adjicit jusjurandum non ferro, non veneno vim allaturum. Simul in lucum propinquum trahit, proviſum illic ſacrificium imperatum dictitans, ut Diis teſtibus pax firmaretur. *Quid?* mox Rhadamiſtus quaſi jusjurandi memor, non ferrum, non venenum in ſororem & patruum expro-

promit, sed porrectos in humum et veste multa gravique opertos necat.

Cum dux Clivensis Gulielmus à Carolo V. Imper. devictus bello, illi flexis genibus supplex fieret, Imperator eum suo ducatui restituit, & in gratiam recepit.

Contrarium exemplum notavit *Thuan. ad an.* 1574 in Ivonia, dicens: Capta castra, & ex hostibus cc. qui Ivoniæ jussu à pedite victore ad unum omnes falcibus grandioribus, quibus fænum secatur, in frusta concisi sunt; Dux ipse cum se ingenti summa redimere voluisset, quippe *qui sexies librati in statera corporis pondus, bis auro, ter argento, semel margaritis*, appensum polliceretur, nihil Cosacos permovere potuit, qui fidei Ivoniæ datæ, magis quam prædæ, qua in dies largissime ditabantur, memores dedititium in ipsius manus tradiderunt. Is vero plurium dierum colloquio cum de rebus Turcorum abunde, ut rebatur, ab eo cognovisset, tandem captivum membratim peditibus discerpendum præbuit.

De Augusto Suetonius ita: Nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris subjiceretur in splendidissimum quenquam captivum non sine verborum contumelia sæviit, ut quidem uni suppliciter sepulturam petenti respondisse dicatur: Iam istam in volucrum fore potestatem, alios patré & filium pro vita rogantes, sortiri vel dimicare jussisse, ut alterutri concederetur: ac spectasse utrumque morientem, cum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque voluntaria occubuisset nece.

Sic *Gilimer rex Vandalorum à Bellisario* victus, petiit sibi ab amico mitti panem unum, spon-

suis maritis periculum crearunt. Itaque prospiciant illi, ut sancta sit sua familia. *Sic Messalina Claudij uxor.*

E. *Ælius Sajanus* cum Romano imperio flagitiosa spe, cui Drusus Tiberii fil. obstabat, inhiaret, *Livillam* Drusi uxorem, ut amore incensus, adulterio pellexit: & postquam primi flagitii potitus est; neque fœmina amissa pudicitia alia abnuerit, ad conjugii spem, consortium regni & necem mariti impulit. Atque illa venenum ei dedit, quo paulatim irrepente, ut fortuitus morbus assimularetur, post aliquot dies periit. *Tac. V. an.* *Sabina Poppæa* famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non distinguens; neque affectui suo aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. *Tacitus* XIII.

12. Principes tutius cautis quam acribus consiliis admonentur de suis vitiis. Itaque multi periculo aut displicendi metu ab iis monendis abstinent. *Sic Liberti Claudii formidant monere Meßalinam.*

E. Sic *Plato* accersitus ad *Dionysium* tyrannum venit, quem cum liberius reprehenderet, offendit, adeo ut periculum incurreret, exoratus tamen Dionysius, eum ut mancipium quinque minis vendidit: At amici collata pecunia Platonem redemerunt, & libertati restituerunt. Hoc modo Plato didicit, quod alibi tradit, cum regibus *aut pauca, aut jucunda loquendum.*

Principi siquidem non frustra obnitendum. Talis *Piso* fuit, de quo ita *Tacitus scribit 6. Annal.* Nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret, prudenter moderans. *Plato* ad *Dionem, epist.* 7. Hoc eodem animo

animo erga patriam suam affectum vivere prudentem virum oportet. Dicere quidem, si quid non recte ei administrari videatur, sed ea lege, si futurum putet, ut neque frustra dicat, neque dicendo vitæ periculum incurrat.

13 Princeps quantumvis graviter offensus prius securitati, quam vindictæ suæ consulat. *Sic amici ad Claudium.*

EX LIBRO DVODECIMO
ANNALIUM TACITI.

AVlici tunc quidvis pro libitu suo exequuntur, æquum vel iniquum: cum Principis neque judicium, neque odium est, nisi ab illis ipsis Aulicis jussum aut inditum; id est, cum illi ipsi Principem in potestate sua habent.

2 Incesta conjugia etiam apud profanos damnata, & ne à Regibus quidem ipsis, nisi cum summa cunctatione & raro celebrata. *Sic Claudius dum Agrippinam neptem ducit in uxorem.*

E. Apud Herodot. lib. 9. videatur historia Xerxis, fratris sui uxorem libidinis ergo ambientis, & pœna insequuta.

Claudius Cæsar fratris sui germani filiam Agrippinam contra leges Romanas uxorem sibi duxerat, à Nerone suo privigno veneno sublatus est.

Heraclius Imp. sororis suæ filiam incestuoso matrimonio sibi junxerat, quoties urinam reddere cogeretur, veretro sursum verso semper faciem urina conspersit, nisi tabula lignea eam tegeret. Pomp. Lætus. Hodie Principes incestuoso matrimonio se polluunt peccantes in divina & humana jura, sed si hæc non puniunt, quia supra illa videntur esse conniventia

superiorum Magistratuum, certe illa non evadent impunes. Christiani principes nomine, non re, audent illud & quidem cum triumpho, cum gratulationibus (*arcanum est Esauitarum*) quod Ethnici legibus probibiti abhorruerunt, ut cum incestuoso licet familiæ augmẽto imperium & dominationem eant auctum: at insuper habentes & conscientiam, & cœlestia mandata, nec papales dispensationes, nec purgatoria (figmentum monachorum) absolvent ab infernalibus pœnis. Sic Nerva Imperat. legem tulit, ne quis neptem, seu fratris sororisve filiam in uxorem duceret. *Dio. lib.67.*

3 Etiam in Electivis regnis non sunt usui crebræ Regum mutationes. Itaque ferenda sunt regum ingenia. *Claudii sententia.*

4 Imparatus ne prœlium excipiat; sed cunctetur, & flumen, & munimenta hosti lacessenti objiciat. *Sic Gotarzes adversus Meherdatem.*

5 Muniti opidi expugnatio ab externo exercitu statim facta terrorem ejus omnibus injicit.

6 Sæpe victi ad victorem confugientis summa miseria & ingenua supplicatio eum ad misericordiam flectit. *Sic Eunones Mithridati Pontico pepercit.*

E. Contra horret animus, cum Rhadamisti illius barbarum & crudele facinus memoria repeto, qui. (*ut Tac. libro 12. an. refert*) primo in Mithridatis amplexus effusus simulare obsequium, socerum et parentem appellare. Adjicit jusjurandum non ferro, non veneno vim allaturum. Simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificium imperatum dictitans, ut Diis testibus pax firmaretur. *Quid?* mox Rhadamistus quasi jusjurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem & patruum ex-

pro-

promit, sed porrectos in humum et veste multa gravique opertos necat.

Cum dux Clivensis Gulielmus à Carolo V. Imper. devictus bello, illi flexis genibus supplex fieret, Imperator eum suo ducatui restituit, & in gratiam recepit.

Contrarium exemplum notavit *Thuan. ad an.* 1574 in Ivonia, dicens: Capta castra, & ex hostibus cc. qui Ivoniæ jussu à pedite victore ad unum omnes falcibus grandioribus, quibus fænum secatur, in frusta concisi sunt; Dux ipse cum se ingenti summa redimere voluisset, quippe *qui sexies librati in statera corporis pondus, bis auro, ter argento, semel margaritis*, appensum polliceretur, nihil Cosacos permovere potuit, qui fidei Ivoniæ datæ, magis quam prædæ, qua in dies largissime ditabantur, memores dedititium in ipsius manus tradiderunt. Is vero plurium dierum colloquio cum de rebus Turcorum abunde, ut rebatur, ab eo cognovisset, tandem captivum membratim peditibus discerpendum præbuit.

De Augusto Suetonius ita: Nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris subjiceretur in splendidissimum quenquam captivum non sine verborum contumelia sæviit, ut quidem uni suppliciter sepulturam petenti respondisse dicatur: Iam istam in volucrum fore potestatem, alios patré & filium pro vita rogantes, sortiri vel dimicare jussisse, ut alterutri concederetur: ac spectasse utrumque morientem, cum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque voluntaria occubuisset nece.

Sic *Gilimer rex Vandalorum à Bellisario* victus, petiit sibi ab amico mitti panem unum,

spongiam, & citharam, significans se ad eam redactum fortunam, ut optet integrum panem videre ad famen levandam, quod jamdiu nullum coctum vidisset panem: spongiam ei necessariã esse ad abstergendas lachrymas; Citharam vero ut præsentem calamitatem flebilibus modis leniret. Postquam vero Gilimer inter captivos in hippodromo constitit, ac Imper. Iustinianum in alta sede constitutum, populumque circumfusum conspexit in urbe Constantinopoli, consideravit, nec flevit, nec aliud quicquam dixit, quam illud Salomonis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Tandem Iustinianus cum Gilimer eum supplex adorasset, in Gallia non contemnenda prœdia cum suis eum incolere jussit.

7 Præstat arduum & difficile bellum evitare, honestis conditionibus hosti concessis, quam se cupiditate vindictæ in incertum Martis eventũ conjicere. *Sic Claudius Mithridati concessit, ne triumpharetur.*

8 Tyrannidis occupandæ astutus modus ratioque est, extraneos legitimis successoribus præferre honesto prætextu, vel adoptione, vel publicorum munerum honestiorum delegatione: item removere honestis ex causis eos qui legitimis successoribus favent: vel criminationibus tollere. *Sic Agrippina filium Neronem Britannico præposuit.*

9 Principis mulieris zelotypæ est in alias mulieres, quas suspectas habet, odium implacabile. *Sic Agrippina in Lolliam & Calphurniam sub Claudio.*

E. Exemplum accidit in *Lanceloto* Hungariæ & Bohemiæ Rege. Hic consuetudinem habebat cum fœmina quadam nobili, quæ ægre ferens illum

illum in matrimonium ducere Caroli septimi Galliarum Regis filiam, contra datam sibi fidem & promissum: in balneo pomum ei dedit per medium cultello divisum, qui veneno tinctus erat, quo veneno è medio sublatus est Pragæ in Bohemia. *Comina lib. 10. Comment.*

10 Hostis opprimendi facillima tunc ratio, cum prædabundus, & improvisus vagatur. *Sic Pomponius Cattos oppressit.*

11 Qui hosti ad prœliandum est impar, sese castellis contineat. *Sic Vannius Suevus peccat sub Claudio.*

12 Vicinis prœlio & bello inter se certantibus, vicina utrisque loca nostra sunt valido paratoque subsidio firmanda, ne victoria elatus vicinus nostram quoque partem turbet. *Sic Claudius rescripsit Attilio Histro.*

13 Sociorum defectio, vel subditorum rebellio antequam confirmetur, est primo quoque tempore vi obviam eundum. *Sic P. Ostorius Britannis deficientibus.*

14 Coloniæ in veteres & obstinatos hostes deducendæ, ut facilius in officio contineantur & domentur. *Sic in Britannia colonia Camalodunum deducta.*

15 Tunc maxime miles in aciem & prœlium deducendus, cum alacri animo & infenso in hostem ob injuriam quam putat sibi ab hoste factam, prœlium poscit. *Sic semper Imperatores Romani.*

16 Plerumque post cladem acceptam acrius incumbunt in vindictam victi præsertim generosi. Itaque & moderate, non barbare utendum victoria: & victoribus etiam post partam victoriam nihil est de pristina diligentia remittendũ. *Sic Britanni exarserunt capto Caractaco.*

17 Prædæ & Spolia ex hostibus capta & ad vicinos honoris ergo missa, eos nobis conciliāt, & sæpe in eosdem hostes proritant. *Sic Silures Britanniam commovent.*

18 Durior aut contumeliosa vox Imperatoris hostilis exercitus in nos audita & pronuntiata, sæpe nos acrius ad bellum incitat: aut prius quietos excitat tanquam jam ad exitium destinatos aut contemptos. Itaque ea semper est abstinendum. *Sic Silures excitavit vox T. Ostorij.*

19 Quantum fieri potest, agri nostræ regionis colendi, ut ex iis nobis annona abundet potius, quam ut duntaxat invectitio & incerto. i. casibus exposito frumento vivamus. *Tacitus sic ea de causa accusat Italos.*

20 Is quem regno successurum nimium præceps regnandi libido nimiumque festinata rapit, tum in ipsum antecessorem suum adhuc vivum, tum in vicinos multa partim vi, partim dolo & scelere molitur. Itaque omnibus est cavendus. *Sic Rhadamistus.*

21 Semina odiorum & bellorum inter vicinos nobis populos ut plurimum tutam pacem nobis præstant. *Sic Quadrati responsum.*

22 Vbi discordibus ejusdem regni provinciis discordes Præfecti præponuntur, facile discordiæ inter Provinciales quoque crescunt, & latrocinia inde bellaque tandem exardescunt & excitantur. *Sic inter Galilæos & Samaritanos Felice & Cumano præsidibus.*

23 Tributis non sunt onerandæ Provinciæ, quæ bellis fuerint vexatæ & vastatæ. *Sic Claudius Byzantios.*

24 Magnas imperiorum mutationes præcedere plerunque solent prodigia. *Sic mortem Augusti & Claudij præcesserunt.*

E. An-

E. Anno 1576. cum post pacificationem Gandavensem aliquot provinciæ puta Hannonia, Artesia, Flandria, inciperent ab Hispano deficere, terribilis Cometa apparuit cujus cauda instar dissolutarum scoparum Occidentem versus se diffundebat, qui ruinam imperii Hispanici videbatur portendere.

Cum Iohannes Fredericus Elector dux Saxoniæ in lucem editus esset Anno 1503. 30. Iunii, futuri fati sui omen ex aluo materna secum tulit. Nam nascenti visa est in dorso crux aureo colore fulgens, quam ubi conspexit à matronis aulicis accersitus sacerdos vir pius & admodum senex, pro omine hoc arripiens. Hic puer, inquit, gestabit auream crucem toti orbi conspicuam, cujus indicium tam manifestum in ipsius ortu sese exerit. *Bucholzerus in indice Chronologico.*

25 Principis matrem aut sororem aut cognatas nimium opibus & auctoritate crescere in Reipub. administratione nunquam tutum est. Nam cum per se est muliebre ingenium insolens & superbum, tum etiam avarum, & crudele. Itaque optimos quosque & quidem astu & dolo, aut falsis accusationibus, aut simultatibus inter eos excitatis perdunt istæ potentes feminæ. *Sic Agrippina sub Claudio & Nerone.*

E. *Dalia uxor Samsonis* postposito amore & fide conjugali, avaritia opum ducta maritum honoribus & vita exuit, cum Philistæi ei dicerent: *Decipe eum, & disce ab eo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quando eum superare valeamus, & vinctum affligere: quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos:* quo audito mulier stimulo avaritiæ clam ad maritum: *dic mihi, obsecro, in quo sit maxima tua fortitudo.* nec cessabat donec penetralia cordis ma-

riti haberet in aperto, ut argento promisso poriretur cum ruina suæ gentis. Gallia habet exemplum in *Katharina Medicæa*, muliere, quam quartam furiam infernalem autores non erubescunt appellare, impotentissima; huic Carol. IX. filius curam regni offerebat moriturus absente fratre Henrico: at constabat, eum, si diutius vixisset, matrem ab omni publica cura rerum procuratione summovere voluisse. *Thu. ad an.* 1574.

EX LIBRO XIII

ANNALIUM.

TYrannis suspecta est tota eorum, quos injuste trucidarunt, familia. Itaque in eam quacunque arte vel vi possunt, delendam grassantur, estque huic ab iis semper timendum. *Sic Junio Silano ab Agrippina occiso.*

E. *Guic. in hypomn. polit.* 114. *ait:* Civitas à tyrãnide semel liberata, nunquam libertate secure fruetur, nisi extinguat omnem stirpem progeniemque tyrannorum. Quod tamen de masculino sexu puto esse intelligendum.

2 Tenera adhuc Principis ætate, prodest adversus eos, qui nomine Principis impotenter, crudeliter vel avare imperant, alios opponere; Principi admovere, & dignitatibus cohonestare qui moderati sint, & ingenio mansueti & inter se concordes. *Sic Agrippinæ oppositi Burrhus & Seneca.*

3 Nihil lætius populo, aut Principi novo favorabilius, quam si veterem Reip. formam restituat, & sua cuique Magistratui munia relinquat. *Sic Nero in primo quinquennio.*

E. Illustris Comes Mauricius Nassavius, in captis bello & devictis à se urbibus nunquam aut rarissi-

rarissime veterem Reipub. formam vel statum mutavit. nam omnes Rerumpublicarum mutationes sunt perniciosæ & exitiales.

4 A regibus plura consiliis & nominis fama & auspiciis, quam telis & vi geruntur.

E. *In vita M. Aurelii Imp.* Sic Alexander Macedonum rex Magni cognomen, non tam quod in exercitu multa militum millia, quam quod plures, quam alii Principes in Senatu habuit philosophos, & consiliarios promeruit.

5 Quale sit futurum novi Principis ingenium & regimen, apparet ex iis, quos primos publicis muneribus præficit. Si enim bonos & egregios viros eligit amicos & Magistratus, bonum & felix regimen futurum est: Sin malos, & gratia, pecunia, vel ambitu potius quam virtute subnixos admovet, infelix futurum est. *Sic populus Romanus de iuventa Neronis.*

E. *Cominaus.* Optimum est, ut Principes sibi adhibeant Consiliarios & belli Duces viros magna, & eximia virtute præditos. Sic enim existimabunt omnes, quandoquidem ejusmodi virorum consuetudine delectantur, ipsos quoque iisdem virtutibus esse ornatos.

Bene Lipsius: Sicut aromata bonum aliquem odorem semper adfricant tangenti; sic boni & modesti auram aliquam suæ virtutis.

6 Fama in novis cœptis validissima ad multos nobis conciliandos: itaque ejus favore apud animos jam ea præoccupatos, utendum. *Sic Corbulo usus ea.*

7 Repentina Aulicorum, qui consilia & mores Principis mox improbant, mox laudant, mutatio animi semper & Principi & aliis Aulicis, uti insidiosa, suspecta esse debet. *Sic Agrippina suspecta Neroni.*

8 Sæpe

8 Sæpe leviora mala domestica Principi concedenda, quo à gravioribus & publicis malis abstineat. *Sic Acte liberta cum Nerone consueverat.*

9 Periculosum est, neque unquam cuiquam subdito bene ac feliciter tandem cedit, si se à suo Principe metui velit, & id conetur vel faciat. *Sic Pallanti, sic Agrippinæ male cessit.*

E. *Thuanus libro hist.* LXXI, dictum esse vere à sapientissimo quodam principe notat: raro ac fere nunquam accidere, ut præpotentes Reges illatam à subditis injuriam relinquant inultam, dissimulare eos aliquando, nunquam tamen injuriæ sensum deponere.

Ob hoc crimen Ludovicus XI. Comiti stabuli de S. Paulo caput amputari jussit: nec Bironio aliud evenit, dum conabatur clam metum injicere Henrico IV. Gall. Regi.

10 Qui in spem futurarum ac excitandarum seditionum aluntur, fere ab ipsis, à quibus alebantur, Principibus, vi aut veneno trucidantur. *Sic Britannicus à Nerone occisus.*

11 Nihil tam fluxum est, quam potentia non sua vi nixa, sed alieno duntaxat favore. *Tacitus de Agrippina dejecta à Nerone.*

12 Est prudentum Consiliariorum, irritatum Principis animum lenire, non accendere: & detrectatorum ac delatorum fraudibus obviam ire. *Sic Seneca & Burrhus Neronem adversus Agrippinam placant.*

E. *Bene Seneca epist.* 14. sapiens nunquam potentum iras provocet, imo declinet, non aliter quam in navigando procellas.

13 Quæ provinciæ inter vicina Imperia magna intermediæ jacent, præsertim quum rege carent, sunt utriusque imperii direptioni & injuriis

juriis obnoxiæ. *Sic Armenia inter Romanum & Parthicum imperium.*

E. Contra, Galliæ regnum, ut bene compactum corpus, Hispaniæ viribus & potentia minime cedere statuunt Politici. Hispaniarum rex patrocinio Genuensium, & affinitate cum Allobrogum Principe contracta, regnorum suorum diffusam magnitudinem connectere tentavit: quod an assequutus sit, aliorum judicio relinquo. Sane non semel infida Allobrogis amicitia apparuit; & Genuenses aurum magis Hispani, quam ejus imperium amare videntur. Ioh. Boterus, Hispanum maris dominum valida classe cunctis regnis provinciisque præsto esse posse, & ideo nec disjunctas eas asserit, at id me non capere fateor. Quid enim? quomodo in utrasque Indias, aperto ultimi, & quod sine terris putabatur, maris secreto Batavi & Angli penetrare potuerunt? cur tot ex Indiis redeuntes & auro onustæ naves ab Hollandis interceptæ? quomodo ante non ita multos annos Gades ipsę vi expugnari, et trucidatis præsidiariis incendi potuerunt? Sane aut insignem Senatus Hispani væcordiam esse oportet, aut vires sibi deesse fateantur necesse est, qui hostem toto mari vagantem non coercent. *Cl. Forstn. in omis. ad Tacit.*

Provincia ducis Clivensis et Iuliacensis & Archiepiscopi Coloniensis, Leodiensis, et Monasteriensis, quia intermediæ jacent inter Regis Hispaniæ, et Ordinum unitarum provinciarum imperium, utriusque direptioni & occupationi sunt expositæ, & quædam opida illorum, modo ab his, modo ab illis invaduntur et occupantur.

14 Exercitus in luxum et lasciviam et otium dila-

dilapsus difficilius & impatientius exercetur, & ad munia revocatur, quam si primum collectus militaribus oneribus assuescat, & fatigetur.

E. Alfonsus sextus rex Legionis contra Mauros, qui magnis copiis è Carthagine profecti Hispaniam ulteriorem vastabant, septem comitib. regẽ comitantibus, exercitũ duxit, quibus omnibus in pugna ad unum cæsis, ægre barbaras manus ipse Rex effugere potuit. Causa hujus insignis calamitatis fuisse dicitur: quod milites Maurorũ balneis Toleti constitutis nimium in mollitiem versi, luxuriæ plus solito vacarent. Quamobrem Rex ejusmodi deliciarũ illecebris amotis, hastiludia, torneamẽta & similia exercitia bellica indixit, quibus militum animos ad pristinam virtutem & severitatem accendit. Annibale profecto sapientior, cujus milites ob unam hyemem Capuæ lubrice peractam, effeminati effœtique reddebantur, cui malo cum nullum cautus alioqui Dux remedium adhiberet effecit, ut Italiæ imperium & orbis amitteret. Verum Scipionem Cos. potius sequutus, qui fugatis à castris duobus Scortorum millibus bellicosam delevit Numantium. *Iohannes Baptist.* L*ambertin. ad anno* 1061.

15 Qui satellites Principum injusta & atrocia eorum jussa sunt executi, tandem & ipsi à Deo aliis in eos suscitatis puniuntur. *Sic Suilius damnatus sub Nerone satelles Claudij.*

16 Multorum ingenia in pace & otio lascivię & luxui dedita, si munera illis demandantur, sese emendant, & ad bonam frugem convertunt. *Sic Otho sub Nerone.*

17 Nihil scorto aulico, id est nobili muliere (quæ scortari cum Principe cupit) periculosius, pro-

procacius aut astutius. *Sic Poppæa Sabina.*

E. Henricus dux Brunsvicensis viva conjuge sua Maria, sorore Vlrici ducis VVirtenbergici concubinam habuit, Evam Trottinam: Quo nomine maximam sibi apud Principes Germaniæ conciliavit infamiam. Nam cum eo nomine graviter esset delatus apud uxorem ipse simulavit mortem hujus pellicis, & loco ipsius simulacrum aliquod ligneum sepeliri jussit, deinde per totum annum precibus & exequiis sacrificiisque missarum illam prosecutus est, mandavitque populo, ut pro ea mortua Deum deprecarentur. Interim cum ea Eva recte valente & detenta in arce Stauffenburgo, consuetudinem habuit, ab eoque tempore proles ex ea sustulit VII. uxori quoque persuasit, ut Evæ parentibus atque propinquis mortem illius nuntiarent. *Sleid. lib.* xv. *Comment.*

18 Tributis & vectigalibus nulla Respub. aut imperium, nedum magnum, carere potest. *Sic cohibitus Nero, qui omnia remittere volebat.* Sed severe sunt castigandi qui in iis immodeste & avare versantur publicani.

E. Imo cum nullum tetrius sit vitium avaritia, præsertim in Principibus, monendi sunt hi ne pecuniis acerbe conquirẽdis plus invidiæ sibi, quam virium addant (*Tac. 3. hist.*) Indignum rege est lucrum ex omni occasione odorari, vel à mortuo auferre. Pudeat Vesp. urinariũ vectigal; absint prædãdi vocabula, *centesima, quinquagesima, quadrages. decima, colũnaria, ostiaria*, & quæ alia exactionib. illicitis nomina gryphi isti invenere. *Balth. de Vias in Vulc.* Chrysoph. Quod olim vectig Athenis de prostibulis, id hodie Romę fiscũ papalẽ auget: nã Vrbs antiquũ obtinet, ut de sordibus niteãt Magistratus, olim foricariorum

vectigal.

vectigal erat: tandem urina, fimus et omnes sordes factæ in imperio Romano sunt vectigales. nescio vero nū hoc tributū auro argentcū, sit Christianorum an ethnicorum? ingratum certe Deo, licet gratum hominibus, hi cum debeant esse vasa spiritus sancti munda, fiunt immunda Diaboli. Apage!

Publicanorum avaritia namque legibus peculiariter notata fuit. Sic enim habet edictum Prætoris in L. 1. ff. de publica. et vectig. Quod publicanus, quod ve familia publicanorum vi ademerit, si id restitutum non erit, in duplum judicio solvat. Vnde Zachæus publicanus dicebat Salvatori nostro Iesu Christo Lucæ 19. Si quem defraudavi, reddo quadruplum: cum lex non nisi dupli restitutione publicanos condemnet.

Optandum esset in provinciis Imperat. subjectis, ut Iudæi, maledicta gens, arcerentur à teloniis et vectigalibus. Videas eos præfectos monetis, vectigalibus vini, quod ex Hungaria in Silesiam advehitur. Melius et sanius judicat Gallia, quod ejecerit istam gentem non nisi fraudibus cives circumvenientem. *Tac. l. 2. An.* ait: factum Romæ patrum consultum de Iudæis pellendis, ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infesta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis: et si ob gravitatem cœli interiissent, vile damnum: ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. Habent in hoc quod discant et imitentur Christiani principes ab ethnicis.

19 Publicas rationes cujusque tributi et vectigales extare, ne quam Publicani fraudem faciant, oportet. *Sic Senatus sub Nerone.*

20 Ir-

20 Irruentes novi populi non temere aut facile sinendi loca nostra aut nobis vicina occupare. Inde enim postea nos propellunt. *Sic Frisii, & Ansibarij prohibiti à Romanis.*

EX LIBRO XIIII

ANNALIUN.

QVæ mulier quantumvis Princeps se semel dominandi libidine, adulterio vel incestu polluit, ad omnia alia & stupra & flagitia ejusdem dominationis retinendæ gratia sese facile prosternit, & exercet. *De Agrippina matre Neronis.*

E. Lex Salica digna mascula Francorum virtute, quæ solis maribus, fæminis exclusis, Sceptrum & Diadema defert, muliebrem istam dominandi libidinem subvertit. Nulla unquam Iuno habuit in cœlis fulgura, nec in Francis sceptrum fœmina: inter calathos & colus titubat Majestas, quam bella tubæque, & viriles erigunt conatus. Itaque quicquid masculum, natura magis factum ad imperandum fæmineo, cui sufficere debet obsequii gloria: *Balthasar de Vias in sylvis regiis, in Icone* Lud. 13.

Recte Augustinus: quid pejus domo ubi fœmina habet imperium? recta autem domus, ubi vir imperat, fœmina obtemperat. In Achaja moris erat, scribente Plinio ad Sabatium: uxores dominabantur, negotiabantur, peregrinabantur per provincias & mundum ut rei familiaris curam haberent: contra mariti habitu uxorio induti manebant domi ut mensas & lectos sternerent, similesque operas serviles obirent; unde proverbium in eum, cui mulier domina-

minatur: *Tu vivis vitam Achivorum.* De *Barbara* regina Bohemiæ, narrat Pius II, quod cum contumelia mariti adulterio se polluerit publicis in locis; nulli fidé datã servarit, Paradisum & infernum negando, statuerit præter hanc vitam, nullam esse aliam: itaque nihil magis in hoc mũdo cordi esse debere fœminæ, quam concubitus carnales. Vnde privata marito Sigismundo, & monita ab amico ut vitam turturũ imitaretur avium, quarum una mortua, altera casta reliquũ vitæ transigit; respondit libidinosa mulier: si debeam imitari exempla avium ratione carentium, quare non eligam columbas & passeres? de harum luxuria constat. *Giuseppe Passi ne gli donneschi difetti.*

Vnde Sueton. refert, quod cum Genethliaci matri Neronis respondissent, imperaturum quidem filium, sed occisurum matrem, *Occidat* inquit, *modo imperet.* Tam impatiens erat in fœmina dominandi libido, & cupiditas: habuit tamen, quod optavit.

Irene Augusta Græcorum nimis severe ulta est acceptam à Constantino filio injuriam. Nam cum filius eam ab administratione dejecisset, contigit, ut postea filius cum male Rempublicã gereret, à populo in vincula sit conjectus; & Irene mater imperio restitueretur. Itaque mater filio in carcere manenti oculos effodi jussit, quo facto filius postea præ dolore haud diu superstes fuit. *Fulgos. lib. 5. dictor. factorumque memorabil. cap. 8.*

2 Cum cuivis alii homini, tum imprimis Principi molestissimæ & intolerabiles sunt subditi alicujus minæ, & exprobratio collati in eũ beneficii; itaque eos, qui ista exprobrant, vel minas inferunt, Princeps trucidare quocunque modo

modo solet. *Ea de causa Agrippina à Nerone trucidata, quamvis mater.*

E. C. Cæsar Pastoris splendidi equitis Romani filium, cum 522 in custodia habuisset, mundiciis ejus & cultioribus capillis offensus, rogante patre, ut salutem sibi filii concederet, quasi de supplicio ejus admonitus, duci protinus jussit; ne tamen omnia inhumane faceret adversus patrẽ, ad cœnam illũ invitavit eodem die. Venit Pastor nihil vultu exprobrante. Propinavit illi Cęsar heminam, & posuit illi custodem. Perduravit miser, non aliter, quam si filii sanguinẽ biberet. Vnguentũ & coronas misit, & observare jussit, an sumeret; sumpsit eo die, quo filium extulerat, imo quo non extulerat. Iacebat conviva centesimus, & potiones vix honestas natalibus liberorum podagricus senex hauriebat, cũ interim nõ lachrymas emisit, nec dolorem aliquo signo erũpere passus est. Cænavit tanquam pro filio exorasset. *Seneca. l 2. de ira. c. 33.* Ex hoc Pastoris exemplo discat privatus à Principe suo lacessitus patientiam necessariam sibi magnopere esse.

3 Crudelis & feri Principis animus iratus, prius in quempiam è suis & statim postea mutatus & in eundem comis ac blandus, certissimum est exitii in eundem structi & constituti ac futuri brevi tempore prognosticum. *Sic Nero in Agrippinam matrem.*

E. Apte profecto mortaliũ quorundam Principum ingeniũ subitis offensis, vel intempestivis blanditiis mutabile cũ ÆRE cõfertur, qui facile huc illuc agitatur, ac modo solis, Lunę, ceterorũq; siderũ fulgore collucet, modo nubibus atraq; caligine obducitur, excæcaturq; modo ad legendos flores choræasq; ducendas, puellas in agros invitat: modo easdẽ tõitru fulgureq; terret, atq;

in

in abditos quosque recessus abstrudit: modo segetum juvat incrementum, modo immodicis pluviis præcipitique grandine diram eisdem invehit calamitatem. *Ioseph. Miron.* Itaque aulicorum plerique speciem magis (*Tac. l. 3. an.*) in amicitia Principum, quam vim retinuere. *Sejanus* ipsius Fortunæ filius à suo Principe beneficiis opibusque locupletatus, nonne ejusdem fortunæ ludibrium & pila lusoria factus, nostris aulicis, ne nimium humanis ingeniis fidant, clarissimum monumentum esse potest?

4 Principum scelera non linquit inulta Deus. De *Agrippina matre Neronis, quæ multos occiderat, & à filio occisa est.* De *Nerone ipso exterrito, & postea seipsum occidente.*

E. Froila Alfonsi Castellæ Regis filius, vitio crudelitatis notatus fuit, quod Vimaranum fratrem, quem regno inhiare suspicabatur, sua manu occiderit. Sed facinus inultum non mansit: ipse enim vicissim à fratre Aurelio occiditur, relictis Veremundo & Alfonso filiis *Iohan. Bapt. Lambertinus in theatro regio.*

Sic Dio. de Imp. *Caligula.* Chærea & Sabinus tribuni militum insidias ei struxerunt, & cædem suis manibus peregerunt. Cum autem Caligula cecidisset, nemo eorum qui aderant, à vulnerando ejus cadavere abstinuit. Venit ijs, qui cædi aderant, in mentem quod ad Pop. quondam dixerat: Vtinam omnes subditi unam cervicem haberetis: at subditi multas sibi manus, unam ei vero cervicem esse ostenderunt.

5 Mature in earum artium odium inducendus Princeps quæ eum dedecent, uti Aurigarum, Ludionum, Citharistarum, Pictorum, reliquarumque similium: Principis enim in hujusmodi rebus occupatio ac studium tum illi parit

rit dedecus ac contemptum; tum à cura Reip. avocat; tum denique ingenio stolidum & impudentem reddit, *Sic Nero.*

Sueton de C. Cæsare Caligula. Sed & aliorum generum artes diversissimas studiosissime exercuit. Thrax & auriga, idem cantor atque saltator. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat extructo plurifariam circo. Canendi atque saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quominus & tragœdia pronuntianti concineret, & gestum histrionis palam effingeret. *Honestæ tamen recreationes Principi sunt concedendæ.* Sic Fabius cunctator, & Nero Imp. artem pingendi Romę exercuerunt. Carolus V. Imp. sphæras et horologia conficere solebat. Alphonsus dux Ferrariensis artem fundendi tormenta bellica addidicit. Turcarum Imper. artem conficiendi acus exercebat.

Seneca epist. 88. Non adducor, ut in numerum liberalium artium *Pictores* recipiam non magis quam *statuarios*, aut *Marmorarios*, aut cæteros luxuriæ ministros. Æque *Luctatores*, & totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus; aut et *unguentarios* recipiam, et *Cocos*, et ceteros voluptatibus nostris ingenia accommodantes sua. An liberale studium istud esse juventuti nostræ credimus, *hastilia jacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare?* Sed nec hæ, nec illæ docent, aluntve virtutem. Quid enim prodest equum regere, et cursum ejus fræno temperare, affectibus effrænatissimis abstrahi? quid prodest multos vincere luctatione vel cestu, ab iracundia vinci? Hæ viles ex professo artes, quæ manu constant, ad instrumenta vitæ plurimum conferunt, tamen

men ad virtutem non pertinent. *Thuan. ad an.* 1574. *de Caroli* IX. *Gall. Regis exercitiis:* Venationibus ad insaniam indulgebat, & ferarum cruori manus intingere assuetus, inde ferocior redditus, ad crudelitatem paullatim ferebatur, incalescente per violenta exercitia sanguine. nam cum à venationibus cessabat, aut ascobolo, aut saltationibus immodicis, aut denique fabricandis armis & ferro, malleo ac forcipe versando desudabat; eo minus in Venerem mollis, &c. *Wolsæus* Henrici VIII. Angl. Regis adhuc adolescentis animum blanditiis & morũ commoditate penitus occuparat; jubendo vitam jucundiorem sectaretur, consultationum tædia adolescenti non ferenda: ætatem hominis temporibus discretam, & unicuique sua studia convenire: Non recte facere, qui senilem severitatem tanquam personam nescio quam, intempestive obtrudant, & juveni invita conentur Minerva inducere. Futurum olim, si Deo placuerit, ut quæ huic ætati molesta videntur, provectiori non ingrata sint, aut etiam fortassis oblectamento: Donec ea veniret, præsenti frueretur: neque aliis inutiliter obsecundando, ejus felicitatis quam imperii sui magnitudo facile largiretur, cursum ullatenus retardaret. Iret igitur venatum, aucupia, aliasque honestas voluptates fortiter consectaretur: si quando fuerit ut senex derepente aveat senilibus curis se immiscendo, non deesse inquiens inter suos (seipsum volebat sub intelligi) qui uno aut altero verbo sub vesperam narrare possint, quæ multarum horarum altercatio, ne dicam totius diei consultatio expresserit. Hac oratione quidem multum apud regem adolescentem potuit; at exitus postea acta probavit in perniciem sui, qui fuit adulationis

præ-

præmium. *Annal: Angl. Francisci Episc. Herf. ad anno* 1514.

6 Vt gens quæque segnis ad pericula; sic infida, si qua occasio rebellandi datur. *De Armeniis. Tacitus.*

7 Ducis belli hæc summa prudentia ut utatur clementia adversus supplices, celeritate adversus fugientes, severitate adversus sese occultantes vel resistentes. *Sic Corbulo in Armenia.*

E. Livia ad Augustum maritum. Ego ita judico plus clementiam, quam sævitiam proficere, nam misericordes non ij tantum quibus delicti gratia facta est, charos habent, ac gratiam referre student, sed reliqui etiam omnes reverentur & colunt, ut nemo eos deinde lædere ausus sit. At eos qui ira inexorabili utuntur, non modo odio habent ij, qui sibi metuunt, sed cæteri quoque infensi, insidiis structis suam perniciem evitare student. *Dio. l.* 5.

Cum quidam Trajano Imp. objicerent, quod auctoritatem suam parvi penderet, & nimis benignus esset erga subditos, respondit, Talem me præstabo privatis, qualem ipse privatus optatem mihi Imperatorem.

8 Quum coloniæ deducuntur, non singuli & sparsi ex variis urbibus vel vexillis collecti; sed collectæ tribus & vicinæ vel vexilla simul mittenda. *Sic peccatum à Nerone dum Tarentum mittit colonias.*

9 In eos qui sese sponte dediderunt, aut ultro subiecerunt, sævitia, & quidem primo quoque tempore adhibita, eos ad seditionem concitat. *De Icenis Britannis. Maxime vero in ipsos Regionis illius Principes insignis contumelia & injuria facta.*

E. Hoc accidit, cum *Anno* 66. *mense Aprili*

deputati Nobilium & civitatum Principi Parmensi, Gubernatrici Belgii libellum supplicem obtulissent, quo petebant ut rigorem inquisitionis Hispanicæ nonnihil remitteret, & suppliciorum acerbitatem propter reformatam religionem indictorum leniret. Quas æquissimas preces ipsa per contemtum repellens, cum convitio supplicantes scurras & mendicos appellabat. Quo contumelioso responso irritati subditi tandem ad seditionem prolapsi sunt, unoque tempore per totum fere Belgium passim templorum destructio & iconoclasia secuta est, atque contra tyrannidem Hispanorum bello se defendere cœperunt.

Solemni apud Romanos formula DEDITIO fiebat, tali modo: Tarquinius Priscus Rex Romanus Collatinos interrogabat, quorum urbem obsederat: Estisne vos Legati Oratoresque missi à populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? responderunt Legati: Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque, in meã populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. *Satis hoc erat, Recipio*: & vel sine conditionibus parci urbibus populisque debet, etiam militibus, qui voluntate concedunt in ditionem. *Scipio* captis Asdrubalis castris nihil hostile fieri in hostem voluit: insigni exemplo ostendens, pulchrum esse vincere, quos servare possis.

10 Vnius opidi quantumvis egregii conservatio, non est totius regionis, & belli summæ et necessitati præferenda: sed illud deserendum est potius quam rerum summa periclitetur. *Sic Suetonius reliquit Londinum.*

11 Dis-

11 Discordes in exercitu aut Provincia duces amovendi. *Sic Suetonius & Catus discordes omnia perturbant in Britannia.*

E. *Pulchre Seneca.* Vt manus, oculi, pedes, ideo bini conditi sunt, ut se adjuvent, non impediant, sic decet collegas consilia, animos & actiones conferre & concordiæ esse studiosos.

12 Aulicum prudentem, ubi animum Principis erga se mutatum, & crescere qui sibi invideant agnoscit, oportet discedendi ex aula honestam veniam mature petere, honoribus cedere, quam pati, ut ex ea ejiciatur à Principe.

E. Cum à summo Pontifice ad Emmanuelem Regem Lusitaniæ litteræ magno ingenio elaboratæ perlatæ fuissent; Rex cum Aloysio Sylveira, qui erat Regi à consiliis, consultavit, statuitque quid rescribendum foret. Eum itaque jussit suo marte epistolam componere, addiditque se quoque velle in eandem rem calamum sumere, eloquentiæ namque laudem ut qui maxime affectavit Emmanuel. Sensit ilico Aloysius quam anceps ac periculosum sibi foret congredi cum Rege victoriæ avidô, paruit tamen, quamquam invitus, epistolamque pro suo ingenio compositam, postridie ad eum attulit. Ea ubi recitata est, subrisit Rex, manuque Aloysii apprehensa: Vicisti, inquit, Aloysi: Epistola tua plane digna est, quæ ob nitorem & acumen Romam mittatur. Et mittetur. Meam vix lectu dignam puto. Erubuit Aloysius, & gratiis de more actis, è vestigio domum suam reversus, equos insterni jubet, atque una cum liberis in ipso meridie, nullo cibo prægustato, magnoque silentio, solum vertit. Vt extra urbem fuere; substitit paululum Aloysius, & ad liberos conversus: Alio, alio, inquit, ô filii, nobis migrandum

dum eſt, nec enim in eo regno diutius vivere licet, in quo ſciat Rex me ſibi ingenio ac doctrina præcellere. Nempe vir prudens illud è ſacris memoria tenebat: *Coram rege noli videri ſapiens. Mironius ad Pſal 145. Marſel. in legat.*

Ii aulici ſapiunt, qui beneficio aliquo accepto aulæ valedicunt, ſic enim periculo ſe ſubducunt. Quia in curialibus frequenter accidit, *Ænea Sylvio monente,* ut veluti ſues, ubi ſaginati ſunt, in cœnam Domini mactentur.

13 Aulicorum tyrannicum ingenium eſſe ex eo apparet, quod ubi primum aſciti & Principi admoti fuerint, bonos ex aula amovent, vel calumniantur: & Principem ferociorem faciunt ſtatim. *Sic Tigellius apud Neronem egit.*

E. Raro homo homini Deus; ſœpe homo homini lupus: ſœpius homo homini hamus, inquit *Ioſeph. Miron. ad Pſal.* 145. Eſt quidem lupus trux beſtia, verum ſi te eminus conſpiciat, aliquando in fugam vertitur, fuſte cominus contunditur, ſpiculove tranſverberatur. At quis eſt tam lynceus, qui hamum eſca tectum cognoſcat, caveatque? quis, inquam, tam prudens cautuſque, qui hominis inſidias dulci ſermone obvolutas ſubterfugiat? Memineris igitur aulicorum pleroſque ſub amicitiæ nomine latitantium non cum Principibus, ſed cum fortuna Principum loqui, *ita Tacitus libro* I. *hiſtor. Etiam ego ac tu ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur* (ajebat Galba Piſonem filium alloquens) *ceteri libentius cum fortuna noſtra, quam nobiſcum.* Ita eſt: Aula hominibus plena eſt, veris amicis vacua. At quemadmodum bonus trapezita legitimum purumque aurum ab adulterino ſecernit; ita Principi à natura bene informato (neque enim cum aurea pecude nobis eſt ſermo) ſince-

sinceritas ab omni fuco quam diligentissime secernenda est. Quam egregie Vollæus ambitionis & invidiæ stimulis concitatus Henrico VIII. Angliæ Regi specie regiæ salutis imposuerit, *Historici Annales Francisci Episcopi Herfordensis commemorant ad an.* 1514.

14 Ij valde suspecti & metuendi de seditione, qui in Regno Proceres sunt nobilissimi, pauperes tamen & avari, & audaces.

15 Injustorum scelerum à Principe jussorum ministri odiosi fiunt ipsis quoque Principibus, quorum jussa impia sunt executi. Nam quasi exprobrantes ab illis aspiciuntur. *De Aniceto.*

EX LIBRO XV

ANNALIUM.

Magna imperia non quiete & ignavia retinentur, quum lacessuntur: sed virorum, armorúque adversus hostes lacesientes certamine.

E. *Iulius Cæsar in oratione ad duces belli contra Germanos suscepti:* Majores nostri non militiam detrectantes, non ignaviæ studentes, tantam urbem nostram effecerunt, sed cum animos ad audenda omnia se digna paratos, & corpora prompta elaborandum in ijs quæ decrevissent, haberent, cum aliorum ditionem tanquam ad se pertinentem haud cunctanter suam facerent; suamque fortunam tanquam alienam possessionem periculis objicerent, cum felicitatem in nulla alia re quam sibi honestis actionibus ponerent, in otio autem degere infelicitatem putarent. Hæc illi consilia secuti, cum ab initio tenuissimæ eorum res essent, urbemque omnium urbium infirmam haberent,

Latinos in suam potestatem redegerunt, Sabinos, Tyrrhenos, Volscos, Samnites subegerunt, modico temporis spacio omnem regionem intra Alpes jacentem debellaverunt, omnes alienas nationes, à quibus invadebantur, repulerunt. *Dio. lib.* 38.

2 Tyrannica vox est, Id in summa fortuna æquius, quod validius: & regium esse, non tantum sua retinere, verum etiam aliena occupare.

E. In recenti Moschovitarum historia legitur, quod Tartarorum princeps poculo ex capti Moschi calvaria facto majusculis literis inscribi jusserit. HIC ALIENA APPETENDO, PROPRIA AMISIT.

De Augusto Imp. Dio. lib. 49. Cæsar in Pannonios exercitum duxit, neque læsus ab iis unquam, neque ullum crimen objiciens, sed militum exercendorum simul, & alienis bonis alendorum causa, omne id justum esse censens, quod potentior contra infirmiorem decerneret.

Iulius Cæsar summa imperandi cupiditate incensus, & impetu arripiendæ dominationis, invadendique alienas regiones ardore inflammatus, semper in ore habuit hos versus Euripidis, ut scribit Cicero l. 3. Offic.

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est, in aliis rebus pietatem colas.

Sueto. in Iul. Cæsare, cap. 30.

3 Hosti in nostram regionem irruituro itinera præcludenda, commeatus & aqua adimenda: præsidia in ipso regionis aditu fortissima opponenda, & quæ urbes primæ objiciuntur, commeatu & valido milite muniendæ. *Sic Corbulo adversus Vologesem.*

4 Qui populi in acie tantum valent & prœlio,

lio, in exequendis vero obsidionibus, & urbium oppugnationibus nihil norunt, aut possunt, exiguam militiæ partem didicerunt. *Sic Parthi.*

5 Quum sumus imbecilliores vel imparati, præstat honesto pacis & amicitiæ nomine cum potentiore hoste pacisci, si qua fieri potest; quam obstinatione aut superbia animi in armis perstare, in quibus vel nostram imbecillitatem vel metum prodamus. *Sic Vologeses Parthorum Rex cum Corbulone.*

6 Magnus in exercitu ducum semper error est, de commeatu exercitui iter suscepturo prius non prospicere. *Sic Patus damnatus; Corbulo laudatus.*

7 Qui Imperator exercitus neque in suis, neque in alienis sanis consiliis constans est, facile seipsum & exercitum everrit. *Sic Patus à Vologese fusus.*

8 Tunc fit timidissimus & dilabens exercitus, adeo ut ne seipsum quidem aut sua tuendi curam retineat, cum jam clade aliqua accepta perterritus, totus ex alieno auxilio & accersito pendet, à quo omnia recuperatum iri sperat & sibi persuadet. *Sic exercitus Pati, Corbulone accersito.*

9 Amissa prœlia fatentur ethnici ipsi esse documenta & exempla à Deo edita contra eorum qui victi sunt, superbiam.

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Propertius:

10 Absque obside ne dux hostilis exercitus in castra hostilia veniat.

11 Tyrannis sunt ij suspecti, qui nobilitate generis pollent præ cæteris, vel eadem officialium

nomina domi usurpant , quæ habet Tyrannus ipse. *Sic Neroni suspectus Torquatus Silanus.*

E. Arist. l. 5. Polit. cap. 10. Vnde Periandri consilium Thrasybulo datum , eminentiorum spicarum deturbatio, quasi semper opus sit cives eminentes auferre.

12 Solitus Tyrannorum & familiaris astus ad Christianos opprimendos illis causam omnium publicarum calamitatum falso tribuere. *Sic Nero Christianis incendium Romæ tribuit.*

E. *Tertullianus scribit*, Iudæos & gentes Christo reluctantes, causas bellorum, pestilentiæ, famis, terræ motuum , & similium flagellorum Dei, solis Christianis imputasse, quasi in illos excandesceret læsa divini numinis majestas.

13 In conjurationibus contra Tyrannos susceptis etiam imbelles, molles , feminæ , milites, familiares ipsius Tyranni facile reperiuntur & consentiunt : tantum est omnium ordinum in eos odium ; non tamen cum quovis communicandum.

14 Conjurationis contra Tyrannos executio properanda, non cunctatione differenda; aut inani honestatis specie disturbanda , aut in loco publico coram omnium oculis patranda. Multos enim ad misericordiam commovet. *Sic Pisonis conjuratio in Neronem irrita.*

EX LIBRO XVI

ANNALIUM.

VEl sola Pæti & Thraseæ mors sceleratissime à Nerone imperata , quam sint boni Tyrannis formidolosi & irreconciliabiles, ostendit.

EX LIBRO PRIMO HISTORIARUM.

SVb Tyrannis, & injuste imperium occupantibus, omnia sunt bellis civilibus, proditionibus, mutuis cædibus, exiliis plena: imo vero gesti antea honores pro crimine, & virtutes pro certissimo exitio habentur. tanta est nimirum ejusmodi status Reipub. calamitas.

2 Præstat sub malo Principe esse, quam sub nullo. *Exemplum bellorum civilium post mortem Neronis.*

E. Nerva Imp. dicere solebat. Præstat vivere sub tali Principe, quo regnante nihil licet, quam sub quo omnia licent. Salutaris enim severitas vincit inanem speciem clementiæ. Hinc Cotys Rex Thraciæ increpanti severitatem ejus & ajenti: Furor hic non est regnum: belle respondit. At meus hic furor sanos subditos reddit. *Stobæ. de regno.*

Chrysostomus in orat. ad Pop. Antiochenum: Præstat habere regem Tyrannum, quam nullum. Nihil enim periculosius aut perniciosius in repub. quam *anarchia.* ubi populus imperat, destitutus justis & legitimis magistratibus. *In sacris Iudic. ult. cap:* In diebus illis non erat rex in Israel, unusquisque quod sibi rectum videbatur, id faciebat.

3 Qui deturbato Tyranno militibus gratioso imperium occupat, milites donativo, ac muneribus statim sibi conciliet.

4 Idem familiares sibi optimos viros & strenuissimos, non autem ignavos, exosos, aut flagitiosos statim adjungat: Nihil crudeliter agat: Metropolim regni statim adeat, & occu-

occupet. Denique magnum specimen comitatis, benignitatis, & virtutis edat. *Sic Peccatum à Galba.*

5 Difficile est plebi vel totam libertatem pati, vel totam servitutem.

6 Qui Proceres imperium sibi destinant, quanto magis se ea spe decidere vident, tanto celerius in Regnantes conjurant. *Sic Otho in Galbam.*

7 Etiam profusas superiorum Regum liberalitates in Proceres, ab iisdem repeti est periculosum, eos enim ad conjurandum facile ea res impellit. *Sic conjuratur in Galbam.*

8 Bellorum civilium ij sunt exitus, ut non tantum fiant, quæ victores volunt; sed etiam ut iis sit mos gerendus, quibus adiutoribus parta est victoria. *Cicero ad Cornificium in epist. familiar. Apparet ex omnibus bellis civilibus quæ seqq. libris describuntur à Tacito.*

9 Scelera impetu, bona consilia mora convalescunt. Itaque primus sceleratorum impetus primo quoque tempore vel infringendus est, vel objectis impedimentis ad tempus retardandus, ut evanescat.

E. *Demost. 1. Philip.* Consulere quidem oportet lente, consulta autem exequi festinanter: & deliberandum est diu, quod statuendum est semel. *Liv. lib. 35.* Consilia calida & audacia prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia.

10 Neque tutum neque firmum est bellorum civilium tempore in plebe tenui & servitiis auxilium, vel præsidium, ubi procerum regni vel Reipub. consensus cum parte populi nobis adversatur.

11 Creditum vel ad breve tempus mendaciũ, plu-

plurimas rei præclare gerendæ occasiones corrumpit vel eripit. *Sic credita falso cædes Othonis perdidit Galbam.*

E. Alexander Magnus apud Curtium lib. 8. Fama etiam bella constant, & sæpe etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinet.

12 Qui primum tyrannice invadere cupiunt imperium, plebem, & gregarios milites serviliter in exercitu demereri potius solent quam ipsosmet eorum duces, aut Reipublic. Procceres. *Sic Otho dum invadit Imperium contra Galbam.*

13 Nullus cunctationi locus est in eo consilio exequendo, quod non potest laudari nisi peractum. *Otho.*

14 Infelicia sunt consilia quæ capiuntur tunc, cum eorum tempus effugit.

15 Admissa in prædecessores suos reges successores eorum fere vindicant, quod ultionem eam existiment sibi munimentum esse in præsens ac posterum, ne quidpiam simile in se quoque ab aliis attentetur.

E. Alfonsus IV. Portugalliæ rex Agnetam Petri filii sui uxorem, ex qua etiam filii supererant, cujusdam Petri Cœlii & Alvari Gonsalvi pravo consilio seductus, interfici mandavit: At Petrus mortuo Patre rex factus, Agnetam interfectam veram & legitimam uxorem sibi fuisse confessus est. Vnde tanti sceleris auctores crudelissimæ mortis genere affecit: ambos enim jussit igne cremari, corde prius uni per partem anteriorem extracto, alteri vero per partem posteriorem. *Ioh. Bapt. Lambertin. in theatro Portugalliæ.*

Severus Augustus omnes Pertinacis Augusti interfectores, aut conjurationis suspectos capitali pœna damnavit. Vitellius non tantum

Galbæ parricidas, sed eos etiam qui ab Othone cædis præmia supplici libello popoſcerant, prolatis libellis supplicio affecit. Theophilus Imp. Græcorum, eos qui patrem occiso Leone Armenio, Imperatorem fecerant, accivit, quasi amplissima præmia laturos, deinde contractos in unum locum mactari jussit, quo facto plerique cædis minime conscii, præmiorum illecebris eo deducti, pœnas dederunt.

16 Ducum & centurionum avaritia & crudelitas in milites dissoluit disciplinam militaré: & milites ipsos avaros ac latrones facit: itemq; inopes, & bella civilia appetentes. *Sic Otho vocationes qua redimi solebant, sustulit.*

17 Minore Procerum invidia & discrimine sumitur Princeps, quam quæritur.

18 Quos furori plebis subtrahere velis, vinciasi & quasi ad majorem pœnam destinatos custodias. *Sic civilis senatus sub Vitellio. Sic Marius Celsus sub Othone.*

19 In bellis civilibus nihil festinatione tutius. Nam ibi facto magis, quam consilio est opus, itaque qui cunctantur vel trepidant, statim invadendi. *Cacinna sententia ad Vitellium. Sic Otho censet.*

20 Multa feliciter succedunt, ubi milites, quamvis sit dux ignavus, munia ipsi sua per se obeunt, & Ducis partes implent. *Sic in exercitu Vitellij.*

21 Privata vicinarum urbium, aut Provinciarum odia, in bellum publicum, civile aut externum, si quod excitatur, facile derivantur. *Sic odia Lugdunensium & Viennensium.*

22 In bellis civilibus frequés est, ut Duces partiũ in sese mutuo parẽt insidiatores, vel veneno sese occidere tentent. *Sic Otho Vitellium, contraque.*

23 In

23 In bellis civilibus frequens est urbium & provinciarum modo ad has, modo ad illas partes mutatio & inclinatio. Fides enim aut amor metu aut necessitate facile tunc mutantur.

24 In bellis civilibus fere res externæ sine cura habentur.

25 Quæ gens valet equestri tantum, non etjam pedestri certamine, multa incommoda pati solet. *Sic Roxolani Sarmatæ.*

26 Principatus scelere quæsitus, subita modestia, & prisca gravitate neque regitur, neque retinetur.

27 Pax & dignitas Reip. incolumitate Senatus publici, & illius auctoritatis conservatione nititur & firmatur. *Otho.*

E. *Suet. in Tiberio.* Tiberius ita Senatum Romanum est allocutus, Dixi & nunc & sæpe alias P.C. bonum & salutarem Principem Senatui servire debere, & universis civibus sæpe, & plerumque etiam singulis. Neque id dixisse me pœnitet, & bonos & æquos et faventes vos habui omnes, & adhuc habeo.

Imp. Otho apud Tacitum. Quid vos pulcherrimam hanc urbem domibus & tectis & congestu lapidum stare creditis? Muta isthæc atque inanima intercidere & reparari possunt. Æternitas rerum pax gentium, & mea cum vestra salus, incolumitate Senatus firmatur.

Octavius Augustus tanti Senatores fecit, ut singulos nominatim in curia sedentes salutaret, & discedentibus nullo se monente valediceret. Tantæque dignitatis habiti sunt Senatores, ut Tiberius illis quandoque assurgeret, et de via decederet. Claudius tanti Senatores fecit, ut de majori negotio acturus in Senatu, medius inter consulum sellas subsellio tribunitio sederet.

28 In bellis civilibus sunt specie & prætextu militiæ Proceres omnes, præsertim suspecti, ab ipso Duce partium abducendi ex urbibus; & secum in castris habendi.

EX LIBRO SECUNDO HISTORIARUM.

IMperium propter quod vi invadendum duo alii inter se confligunt, tertius interim utrisque defessis, aut inter se pugnantibus facile occupat. *Sic Vespasianus Othone & Vitellio dimicantibus.*

2 Frequens seditionum, aut civilium bellorum, aut militum in una quadam regni parte usus, & turbatio, alias quoque ejusdem regni provincias & milites alioquin quietos commovere, & ad idem audendum impellere solet. *Sic exercitus Syriæ commoti exemplo* Italicorum, *qui Othonem & Vitellium elegerant.*

3 Multa hominum genera, diversa tamen ratione, civile bellum cupiunt: alii amore Reipub. ut bene constituatur: alii ambitione; alii avaritia: alii odio regentium. Itaque facile concitari illud potest & solet.

4 Facile est impostoribus, qui defunctis regibus sunt facie staturaque corporis similes, imperium ad tempus eorum nomine simulato occupare. *Sic servus quidam se Neronem esse finxit.*

E. Londini proditoris supplicium pertulit *Pseudo-Edvvardus* quidam, nomine *Guliel. Fetherstonus*, qui cum molitoris esset filius, ac statura corporis & oris lineamentis Edvvardo regi neutiquam dissimilis, ætate etiam conveniente: superiori anno per civitatem Londinensem flagris

flagris cæsus fuerat, quod se pro Edvvardo tulisset. Nunc autem cum repetita impostura, se ipsum esse Edvvardum clanculum nonnunquã dictitaret; & sparsis hinc inde libellis Edvvardũ vivere famam disseminaret, ultimo suspendii supplicio, idque merito affectus est. *Francis. Episc. Herford. in annal. Angl. ad an.* 1556.

5 Victor exercitus facile vincitur, si eum post victoriam incautum & securum statim aggrediaris. *Sic Vitelliani in Gallia Narbonensi vincunt Othonianos.*

6 Iis facile invidemus, quos prius in æquo nobiscum conspectos postea recenti fortuna illustres intuemur.

E. Invidia enim semper majora petit. Themistocles dicebat, se adolescentem nullum splendidum facinus fecisse, nondum enim sibi invisum fuisse.

Invidia suum rodit auctorem, & cum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur: at illa nullis remediis melius curatur, quam humanitate & affabilitate.

7 Vt belli, præsertim civilis, initia eveniunt, cætera postea creduntur. *Cæcinna.*

8 In bellis civilibus ducis & exercitus modestia plurimos in suas partes traducit: eorundem vero immodestia ac crudelitas quam plurimos ab iis vel arcet, vel abigit.

9 In bellis civilibus prius aliquid strenue audendum & agendum, quam senescat nostri exercitus fama. *Cæcinnæ exemplum.*

10 In civilibus bellis fere plus militibus, quam Ducibus licet. Itaque iis etiam turbidis multa sæpe sunt à Ducibus condonanda. *Valentis Fabij sententia.*

11 Ægre ferunt milites, imminente periculo ab

ab hoste, se roboris exercitus parte spoliari, eamque à se divelli: itaque ea diducta vel seditiones moventur, vel ignaviores redduntur ad pugnam; ac proinde tunc maxime totus exercitus est retinendus. *Sic in exercitu Valentis dispersis Batavis.*

11 Multa bella impetu primo valida, per tædia & moras tandem evanescunt. *Suetonius Paulinus.*

13 In bellis civilibus publicæ privatæque opes, & immensa pecunia ferro validior est: Item copia commeatus, auctoritas ordinum, & urbs capitalis regni. Itaque fere ij meliore loco sunt, qui in civilibus discordiis ea penes se habent: & ijdem per moras bellum trahere facilius possunt. Sed tamen ea omnia strenuitas partis adversæ eripere vel cunctanti, vel imbelli parti, vel victæ potest. *Suetonius Paulinus. Mucianus.* Bellorum civilium nervus pecunia.

E. Pecuniam esse nervum belli affirmat Q. Curtius, negat A*madius Niecollucius l. 2. discurs. polit. c. 9.* Si enim cumulus argenti victoriæ causa esset, Darius vicisset Alexandrum, Græci Romanos, Carolus Burgundus Helvetios: nec non Papa junctis Florentinorum viribus, in ordinem redegisset Franciscum Mariam nepotem Iulij II. pontificis in bello Vrbin. At omnes hi victi sunt inopes à strenuis militibus, non à vi argenti. Cręsus monstrans Soloni Atheniensi opes suas sine numero sine ęstimio, quæsivit ex eo quid videretur de hac sua potentia? cui Solon; non te inde ęstimo potentem; nam bellū ferro, non auro conficitur; facileque accidere posse, ut quis armis superior veniat & thesaurum occupet. Mortuo Alexandro Galli venientes in Asiam, legatos mittebant ad regem Macedoniæ amicitias ut contra-

traherent, quibus rex ostendens suas vires in auro & argento, ansam dedit, ut pacem, quam fere jam fecerant, ruperint Galli, toti in eo ut Regem spoliarent isto auro; quod & factum. Hinc concludunt aliqui, nervum belli esse milites, non pecuniam; quod aurum non potest acquirere bonos milites, sed boni milites facile possunt acquirere aurum. Romani si plus æstimassent aurum quam arma, non thesaurum fere totius mundi possedissent: at dum armis rem fecere, nunquam auro destituti fuere, nam hostes timidi illorum armis facti, ultro aurum & pretiosa illis offerebant. Livius hujus est opinionis, inquiens, tria in bello necessaria sunt: *numerosus & strenuus miles*, *Dux prudens*, & *bona fortuna*, excludens pecuniam, quæ extra necessitatem belli collocanda est.

Dio. de Iulio Cæsare, *lib.* 42. Ideo pecuniis conficiendis intentus erat Cæsar, quod duas esse res prædicaret, quibus & quærerentur, & conservarentur, & augerentur imperia, milites nimirum, & pecuniam. Nam & suppeditatione rerum necessariarum exercitus contineri, & armis parari, ac alterutro deficiente reliquum simul concidere.

Dionysius Rex Siciliæ appellavit exercitum et arma, & magnam vim pecuniæ, adamantina vincula regnorum.

14 Raro ea prælia feliciter succedunt, quæ contra prudentum Ducum consilia committuntur. *Sic Otho victus.*

15 Ab ea pugna, & certamine, ubi de summa rerum semel agendum ac decertandum est, periculosissime semper summus Princeps abesse solet. Nam ejus absentia & Duces & milites timi-

timidiores facit: & parte exercitus ad ipsius custodiā, & sæpe etiā meliores abducit. *Sic Otho peccavit.*

E. Melicus (*apud Thuan. ad an.* 1578) ne victoria sibi & cum victoria regnum fratri Hameti successori designato eriperetur, cum videret suos retrocedere indignatus lectica egressus in equum se subjicit, & ira vires sufficiente in medios perrupturus pergit, ut pudore præsentia sua injecto fugam suorum sisteret. sed precibus à suis vix revocatus & præ ira compresso spiritu pene ex equo titubans cecidit; indeque in lecticam illatus & adductis repagulis ac prius monitis qui circa eum erant. tanta futuri cura Melico fuit, ut mortem suam celarent, admoto ori digito animam efflavit.

Vrget enim, *ait Maro*, præsentia Turni. Sæpe siquidem præsentia Principis fugam exercitus repressit, ut Cæsar ipse adversus Marinos, deinde adversus Pompeii liberos, cum de vita dimicaret. Quod item Eduardus IV. Rex Anglorum novies ex prælio victoriam reportavit, hoc ideo ei contigit, quod exercitui semper imperaret, ac pedes cum hoste manus consereret. Similiter cum Eumenes Imper. regnaret, & exercitus eo ægroto pugnam detrectaret, in lectica vectus est in campum, ut ejus auspiciis & ductu milites prælium inirent. *Bodin. l. 5. de Rep. c. 5.*

Solitus tamen dicere est Paulus Æmilius, perraro nimis bonum Principem aut Imperatorem collatis signis decertare debere, nisi summa necessitudo, aut summa occasio ei data esset. *Gell. lib. 13 noct. Attic. c. 3.*

16 Magna militaris scientiæ pars est observare hostis imprudentiam ac temeritatem, eaque ad tuum commodum & victoriam uti. *Sic Ca-*

cinna

cinna & Valens vincunt Othonianos.

E. Polybius scribit non aliud ducis præceptũ plus momenti habere, quam ut non modo vires, sed etiam ingenia sensusque hostium noverit.

17 Bellis discordiisque civilibus assuetæ gentes aut milites, vix pacem domesticam ferunt. *Tacitus de Romanis post Syllæ & Cæsaris bella civilia.*

18 Victis militibus unicum in consensu inter se mutuo, præsentiaque, animi levamentum. *Annij Gallij sententia.*

19 Difficile est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. *Othonis sententia. Statius.* Non parcit populis breve regnum.

20. In bellis civilibus etiam post partam victoriam non statim pax; sed varius metus, & præsertim victæ partis Proceribus restat. *Sic mortuo Othone Senatus, qui cum eo erat, fatigatus: & Romæ cædes facta.*

21 In bellis civilibus victoris crudelitas in victos milites animos suorum etiam sæpe à sese alienat. *Sic Vitellius Illyricanos milites à se alienavit.*

E. Hispani crudelitas in devictis Harlemensibus satis nota est: contra fidem datam 300. Vallones suspensi, 250. milites in lacu Harlemensi suffocati, octingenti capitis supplicio affecti: Milites aliquot in propugnaculo de Fuick cognominato fame extincti. Quod hoc impio prætextu excusavit Dux Fridericus Toletanus, quod vitam quidem illis salvam promisisset, sed cibum illis porrigi non pactus esset. Denique sexcenti Germani ad triremes damnati, qui tamen nostrorum militum auxiliis sunt liberati, custodibus eorum occisis. Demet. lib. 4. *hist. Belg.*

E. Pe-

Petrus Hisp. Rex Alfonsi undecimi filius, supra modum crudelis fuit, ita ut in fratres etiam ense sævierit: Rubeum Granatæ regem hospitem suum, opem & auxilium implorantem jugularit, hospitii jure violato; nec non omnia crudelitatis exempla in bonos & probos viros exercuerit. Quare omnibus exosus, à fratre Henrico bello superatus, gladio confossus periit. Hinc verum: *Instabile est regnum, quo non clementia regnat Ioh. Bapt. Lambert. in theat. reg. Hisp. ad an.* 1350.

22 In bellis civilibus victores milites difficillime in officio inter se, & modestia, præsertim ab ambitioso vel luxurioso Principe, continentur. *Sic Vitelliani victores petulantissimi.*

23 Imperium cupientibus nihil medium inter summa aut præcipitia. *Vespasianus.*

E. Sic Cæsar Borgias filius Alexandri VII. Pontificis hoc habuit apopthegma. *O Cæsare, o nullo*, id est, *aut Cæsar, aut nullus.* Tandem nihil factus est, cum propter nefarias technas et impia facinora trucidaretur. *Ponta. de prudentia l. 4. c. 16.* Ideoque hic versus in eum factus:

Aut nihil, aut Cæsar, dixit, utrumque fuit.

24 Eorum consilia solent esse tutiora, qui sese periculo & consilio socios nobis adjungunt.

25 In bellis civilibus sollicitandæ semper in nostras partes, urbes, exercitus, & Provinciæ vel dubiæ, & adhuc nutantes; vel etiam adversariæ. *Sic Vespasianus egit.*

EX

EX LIBRO TERTIO
HISTORIARUM.

PRiusquam bellum civile juste suscipiatur, prospiciendum Duci ei partium, qui amans erit Patriæ, ne interim limites regni hostibus extraneis & vicinis exponantur: aut prorsus præsidio justo destituantur. *Sic Vespasianus fecit missu ad Parthos legatis. Sic Pannonicus exercitus sumptis Iazigum Principibus.*

2 In bellis civilibus spes adversam partem tuentibus facienda eorum omnium retinendorum, si nos sequantur, quæ apud hostes habent. *Sic Cæcinna victus.*

3 In bellis civilibus Ducum adversæ partis ad nos defectio, magnum ad res illius ad nos inclinandas momentum affert. *Sic Bassus deficiens ad Vespasianum, Vitellium perdidit.*

4 Expugnatæ urbis præda ad militem; deditæ ad Duces pertinet.

5 Obsidio nisi provisis rebus ad eam necessariis suscepta, aut nunquam, aut rarò feliciter cedit: Nunquam autem noctu oppugnatio urbis tentanda. *Antonii Primi consilium.*

6 Exercitus, quantumvis magnus, sed sine Duce prœlians, facilè funditur ab exercitu minori, qui à bono Duce regitur. *Sic Vitellianus exercitus fusus.*

Cum Scipio Æmilianus Numantinos vertisset in fugam, illique indignarentur, querentes, quod Romanos fugissent, quos toties ante fugavissent; quidam respondit: oves quidem easdem esse, sed pastores diversos.

7 Strategema hoc, nempe fama sparsa de supervenientibus auxiliis in ipso prœlii fervore, facile

cile terret hostes & fugat. *Sic Antonius Primus Vitellianos fregit.*

Sic exercitui Ordinum Belgii Daventriam obsidenti magnum ad victoriam adjumentum attulit, quod octo audaces fortesque nautæ amplissimam navem omni genere armorum instructam (quibus milites Germani sub duce Schonhovero militaturi, & obsessam urbem liberaturi instrui debebant) à ripa Rheni Coloniæ Agrippinæ abduxerunt, illamque secundo Rheno Noviomagam vel Arnemiam advexerunt: quo facto urbs illa, destituta auxiliaribus Regis Hisp. copiis, mox ordinibus fœderatis dedita est *Demet. l. 8. hist. Belg.*

8 Testudo scutorum à militibus facta magnã in oppugnationibus urbium ad murum subeundum commoditatem affert. *Sic Antoniani in oppugnanda Cremona.*

9 In bellis civilibus maxima crudelitas, præsertim in captas urbes, & in captivos exerceri solet. *Sic à Flavianis actum in Cremonenses & Vitellianos.*

E. Triste exemplum est Mechlinia: Hæc enim Anno 80. ab Anglis iterato occupata est, & omnium civium bona funditus direpta, & militum prædæ exposita: ut durante hoc intestino bello Belgico nulla civitas toties & tam misere & atrociter sit ab hostibus spoliata.

10 In rebus desperatis, & in quibus remedio citissimo est opus, semper est teterrimum media consilia ancipitia, aut cunctationes sequi. *Sic Valens damnatus.*

11 Magna viris militaribus indignatio oboritur, quum laborum & periculorum militarium præmia ij assequuntur, qui illis periculis nunquã interfuerunt. *Anton. Primus ad Vesp. scribẽs.*

12 Stul-

12 Stulta est dissimulatio cladis acceptæ facta à Principe, cui resarciendæ idem non prospicit. *Sic Vitellius stolidus.*

13 In metu publico consilia prudentum, & vulgi rumor imprimis auditur.

14 Initia bellorum civilium & prœliorum permittenda fortunæ: Victoria vero eorundem consiliis & ratione perficitur. *Antonius Primus.*

15 Tempore bellorum civilium periculose in adversæ partis castris, opidis, & exercitu versantur ij, qui alterius partis Ducem sanguine vel affinitate contingunt. *Sic Sabinus frater Vespasiani periculose fuit Romæ.*

E. Exemplum vidimus in Comitibus de Monte, qui licet Illustris Comitis Mauricij Nassavij consobrini, tamen Hispanorum castra sunt secuti: Vnde & in nullo aut exiguo pretio apud hostes sunt habiti: unde tandem ultimo Comes Henricus relictis Hispanorum partibus ad unitos ordines se recepit.

16 Semper est periculosa nobis ea pugna, in qua interjectus equiti pedes est, & depugnat ex parte hostium contra nos.

E. Cum Normanni hostes imperij Romani prope fluvium Diliam castra sua munivissent. Imper. Arnulphus cum expedito equitatu illos adortus, jubet equites ex ephippijs descendere, & pedestri congressione cum adversarijs decertare. Qui dicto citius facta ex equis in planum desultura; præsidium inimicorum repentino impetu irrumpunt, Deoque vires cœlitus subministrante, paganos usque ad internecionem ferro concidunt ac pessiundant, ita ut ex infinita adeo Normannorum multitudine, centies videlicet mille militibus vix unus suppeteret, qui rei tam impro-

improſpere geſtæ ſociis ac commilitionibus ſuis ad claſſem nuntium reportaret. *Douza libro. 7. Anna. Holland.*

17 Curandum Ducibus exercitus, ne in eam urbem, quam à rapina & incendio, & cædibus ſervare volunt, aſperatus miles ingrediatur: & ne jure belli potius, quam ex pactione ea urbs recipiatur.

EX LIBRO QVARTO HISTORIARUM.

Difficilima eſt in bellis præſertim civilibus victoriæ moderatio. Nam etiam Duces ipſi, qui accendendo bello acres ſunt, temperandæ victoriæ ſunt impares. *Poſt necem Vitellij.*

2 Nullum majus boni imperij eſt inſtrumentum, quam viri boni Principis amici. *Helvidij Priſci ſententia.*

E. Cyrus tradens ſceptrum filio Cambyſi, inquit: Non eſt aureum hoc ſceptrum, quod regnum ſervet, ſed amici multi ſunt ſceptrum regibus veriſſimum, maximeque tutum.

Curtius libro 7. Non exercitus, neque theſauri præſidia Regum ſunt, verum fideles amici & conſiliarii, quique ſint amantes ueritatis.

3 Cum ſemper intereſt, qui ad Principem à Regni Ordinibus ſeu proceribus delegentur, & illi adjungantur: tum vero maxime quum eſt primum omnium excipiendus. Nam ex eorum, qui primum ipſi occurrunt, ingenio, & qui illi ex Proceribus dantur, Princeps quos probare, quos reformidare debeat, ſtatuit. Itaque ſemper quidem, ſed tunc maxime, innocentiſſimi, ſanctiſſimi, honeſtiſſimique ſunt ad eum delegandi, qui ipſius aures honeſtis primum ſermonibus imbuant. *Helvidii Priſci ſententia.*

4 Maxi-

4 Maxime vitandum ne quorundam pervicacia & in alios simultate novi Principis animus irritetur statim, tunc enim & vultus, & sermones omnium maxime circumspectat. Itaque ii novo Principi adjungantur, qui neque ambitione, neque inimicitiis suis ducantur. *Marcellus Ephrius.*

5 Etsi vetera exempla sunt nobis proponenda ad imitandum: tamen præsens Reipub. status est sequendus; estque sapientis se ad eum, quantum bona conscientia potest, accommodare.

6 Principes boni voto quidem expetendi, qualescumque tamen tolerandi.

7 Tyrannis dominatio sine fine grata est & expetitur: bonis autem Regibus etiam modum libertatis imponi placet, ac gratum est. *Marcellus Ephrius.*

8 Publica paupertas, & sumtus publici, summi Magistratus imperio sublevandi ac moderandi.

Philippus II. Rex Hispaniæ Anno 1557. cum fames & inedia Germaniam inferiorem graviter infestaret, curavit aliunde quæsitum frumẽtum per Rhenum devehi ad usum multorum, & ipse supra tria millia pauperum suo ære in ea fame aluisse dicitur.

9 Longinquarum regionum nobis subditarum, neque Principes neque Populi ipsi irritandi, nam facile seditionem movent. *De Civili & Batavis.*

10 Exercitui externo maxime periculosa est fraus exercitus indigenæ cum eo conjuncti. *Sic Civilis in Batavis Romanos perdidit.*

11 In populi imperiique magni & potentis bello civili facile est illius provincias spe liber-

tatis ad defectionem impellere. *Sic Civilis impulit Gallos & Batavos.*

12 Defectionis seu rebellionis subditorum initiis mature est occurrendum; minimeque ea vel per ignaviam, vel per conniventiam alenda. Difficile enim postea seditio defectioque adulta coërcetur. *Sic peccavit Flaccus Hordeonius dum Batavos dimisit.*

13 In bellis civilibus inter ejusdem partis duces concordia maxime, si usquam, necessaria. *Sic Civilis Labeonem removet.*

14 Neque proditoris, neque hostis consilio temere utendum.

15 Maximus Ducum error, dum annonæ sive itineri, sive obsidioni necessariæ mature non consulunt. *Sic peccarunt Lupercus & Rufus.*

16 Ducis odium ab exercitu conceptum efficit, ut aut totus ipse exercitus pereat: aut Dux ille, quique illi favent, sit removendus. *Sic Vocula, Gallus, Hordeonius, & alii perierunt.*

17 In medio certamine uni parti superveniens auxilium quantumvis exiguum; vel fama de hostium Ducis nece sparsa, totius victoriæ momentum sæpe affert. *Sic Civilis mors credita fudit totum ejus exercitum.*

18 Is fovere bellum merito creditur, qui hostem, quem semel delere potuit, sæpius velut è manibus dimisit. *Sic Vocula suspectus.*

19 Optimus est, post malum Principem, fere dies primus. Facile enim languescit studium recuperandæ libertatis.

20 Tumultuantis & seditionem moventis exercitus extenuandi & sedandi optima ratio est, ut singuli & carptim ex eo milites honesto prætextu dimittantur, vel ab eo avellantur. *Sic Mucianus.*

21 Non

21 Non legiones, non classes perinde sunt firma imperii munimenta, quam numerus liberorum: in regnis tamen Electivis sæpe gravissima bella inter eos exoriuntur.

E. Alexander Magnus querulus ait; Orbitas mea quod sine liberis sum, spernitur. *Curt. lib. 6.* Euripidis dictum: Munimen aulæ, regii sunt liberi.

22 Provinciarum, quæ ex composito ab eodem imperio (cui antea parebant) desciscunt, parum diuturna est concordia, quum utraque de imperio ad se trahendo agit. *Sic Gallia à Batavis statim dissensit, & Tutor à Civili.*

23 In defectione communi quarundam provinciarum ab imperio, cui omnes suberant, unius duntaxat earum à communi illa defectione pœnitentia vel clades cæteras percellit, & fere institutum deserere cogit. *Sic Remi Galliarum defectionem sistunt.*

24 Tædio & objecta difficultate futurorum facile homines persuadentur, ut præsentibus sint contenti.

25 Remissa virorum auxilia faciunt ut sociæ civitates & subditæ vectigalia lubentius pendant. *Sic Cerialis egit cum Gallis.*

26 Novo duci exercitus cavendum est maxime, ne licentia, sævitiaque militem imbuat; & ne se ab eo regi patiatur. *Sic laudatus Cerialis.*

27 In exercitu ex pluribus diversisque legionibus composito cavendum, ne in jurgio aut rixa unus alteri objiciat priora in bello peccata. Itaque severæ pœnæ de eo statuendæ. *Sic Cerealis.*

E. Magistratus urbium Hollandiæ publico edicto promulgavit, ne quisquam militibus præsidiariis propugnaculi Santandreani exprobaret,

quod dedito propugnaculo in manus Ordinum fœderatarum provinciarum, ad eos defecissent.

28 Tributa sunt omnino Reipub. necessaria: Nam neque quies sine armis: neque arma sine stipendiis: neque stipendia sine tributis haberi possunt.

E. Ordines Belgii, *ait Lipsius*, in exigua potentia ostendunt, magnam ordinis & Oeconomiæ esse rationem. Opes istæ vectigalium (*vulgo generalia media*) agris, fundis, ædibus & omnibus fere venalibus mercibus impositæ sunt inhaustæ, & ut perennes quidam fontes semper fluunt. Ephesii ut conquirerent numos in usum reipub. interdixerunt fœminis usum auri, argenti, gemmarum; si quid vero haberent, id civitati mutuo darent. *Aristot. lib. 2. Oecon.*

Honestum exactionis genus, Eduardus IV. Anglorum Rex excogitavit, (*quod benevolentiam appellavit.*) Egit cum amicis, ut sponte ad usus belli pecuniam erogarent, quod ipse ex ea re singulorum benevolentiam mensurus esset, ut scilicet eum, qui plus daret, se plus diligere censeret. Quo postea Henricus VII. usus, magnam pecuniæ summam collegit. *Polydor. Virgil. lib. 24. & 26. de rebus Anglicis.*

Schneidevv. ad tit. 1. lib. 3. Instit. ita ait de fisco Romani imperii: Reditus Rom. imperii sub Frederico Barbarossa fuerunt sexaginta tonnæ auri ex Germania & Italia. Imperator autem Rodolphus Habspurgensis, cum metu Pontificum negligeret Italiam, civitatibus Italiæ libertates, jura, & annuos reditus vendere cæpit. Exemplum istud imitati sunt successores, idemque non tantum in Italia sed Germania etiam

fecere

fecere, ut in Italia nulla civitas libera imperio reliqua sit, sed & portoria, vectigalia, telonia argenti fodinas ab Imperio alienarunt. Carolus IV. quod reliquum fuit, auro vendidit, quo degeneri & ignavo filio Wenceslao imperium mercatus est, ita ut hodie ordinarii reditus ex imperio tanti vix sint, quantū alendis & disponēdis Postis sufficit. Hinc novis vectigalibus & exactionibus onerātur Status et subditi imperii.

29 Bonorum Principum usus ex æquo à vicinis & remotis subditis sentitur. Sævorum autem crudelitas à proximis inter quos versantur, maxime percipitur.

30 Quomodo sterilitas, nimii imbres, & cætera naturæ mala; ita luxus & avaritia dominantium toleranda. *Cerealis.*

31 Spoliorum legendorum nimia aviditas pulcherrimas victorias corrumpit. *Sic Civilis, Tutor, Classicus simul victi à Cereali.*

EX LIBRO QUINTO HISTORIARUM.

QVi belli Duces sunt consiliis subiti, iidem eventu clari solent plerunque, sed magno suo malo, militaris disciplinæ curam negligere. *Sic Cerealis.*

2 Post infelicem rebellionis successum populus facile inclinari solet ad vetus obsequium repetendum, præsertim promissa omnibus impunitate. *Sic Batavi & Civilis ad officium revocati.*

3 Honestius maribus Principibus quam fœminis, quantumvis egregiis, paretur.

E. Lipsius accommodate in Archiducē Albertū, qui totus à nutu uxoris Isabellæ Claræ Eugeniæ

 depen-

dependebat, scripsit: Non est novum Belgis γυναικοκρατεῖσθαι, id est, à fœminis regi. Ita Imperat. Iustinianus taxatur valde fuisse uxorius, adeo ut ad arbitrium uxoris Theodoræ multas leges & constitutiones sanciverit & promulgarit.

De Themistocle facete talis sorites est facta: Tota Græcia paret Atheniensibus, Athenienses parent mihi, Ego pareo uxori meæ, Vxor mea paret filiolo meo: Ergo tota Græcia obtemperat filiolo meo.

Salica lege cautum extat: Ne imperium à lancea ad fusum perveniat, neve ulla portio hereditatis in terra Salica mulieri veniat, sed tota hereditas ad virilem sexum devolvatur.

EX PHILIPPO COMINÆO SCRIPTORE GALLICO.

Libro primo.

Philip. COMINÆVS *scripsit ante annos centum & paullo majus, ita laudabiliter, ut nihil verear componere eum cum quovis antiquorum, &c. Hoc quoque laudem ejus auget, quod tanta præstitit, solo rerum usu peritus, & naturali quadam judicii bonitate, &c. Princeps noster hunc legito & Enchiridium* COMINÆVS *illi esto. Dignus Alexandris omnibus hic* PHILIPPVS. Lipsius in not. ad 1. polit. c. 9.

Caro-

Carolus V. lectione historiæ Ludovici XI. à Philippo Cominæo prudentissimo equite scriptæ delectatus fuisse perhibetur: in qua ut multa prudentiæ præcepta tradi inficias non ierim, ita plura minus ingenui atque adeo parum regii animi exempla reperiri minime negari potest. Thuan. l. XXI.

Philip. Cominæus, Eques Flandricus, naturæ bonitate usuque rerum ad sapientiam civilem instructissimus, qui licet Latinas non attigerit literas, magna tamen cum laude crebrisque sententiis refertas duorum Regum Galliæ, Ludovici XI. ejusque filii Caroli VIII. historias descripsit lingua Gallica. mortuus est in Pictonibus 1509. ætatis anno 63. Buchholzer. in chronolog.

IN politica administratione plurimum possunt in utramque partem viri summo magistratui sive Principi amici & familiares.

E. Imperatori Augusto in amore & honore fuerunt Virgilius & Horatius. Imp. Trajano Plutarchus præceptor: Alexandro Severo ICtus Vlpianus, sine hujus scitu neminem ad se admisit; quem, cum à militibus ad cædem traheretur, ipse Imperator objectu togæ suæ ab impetu militum defendit. Alexander Magnus pluris faciebat Aristotelem quàm patrem Philippum, inquiens: ab hoc nascendi initium sumsi,

ab illo bene natum esse. Nam nasci, ait Lipsius, vulgare est, at bene nasci altera vita est.

Ita Alexandro Callisthenem, Scipioni Panætium & Polybium, Augusto Mœcenatem, Areũ & Athenodorum, aliis alios adhæsisse scimus, tam privatim ornamenta, quam publice adjumenta. *Alibi Cominæus:* Nullum majus indicium bonæ mentis Princeps potest ostendere, quam ut adjungat sibi & familiariter utatur, viros virtute & fama celebres. Nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales ii, qui apud illum. Contra malos reddit Principes nimia licentia, deinde rerum copia, improbi amici satellites detestandi, aulici stulti vel detestabiles, ignorantia rerum publicarum, *ut ait Flavius Vopiscus.*

2 Pedites & levis armaturæ milites cum sunt pauci, vix prosunt; cum multi, juvant.

3 Etsi victoriæ sunt à Deo, prudentia tamen & strenuitas Ducum nihilominus requiritur, eaque in hujusmodi rebus maxima.

4 Superbia anteit ruinam, estque illius proxime venturæ indicium certissimum. *Prov.* 11. *vers.* 2. *Cominæus cap.* 21. *in fine, & capite* 32. *in fine, & cap.* 63. *in fine.*

E. Franc. Valdesius Hispanus insolentiæ plenus, cum Leidam obsideret talia convitia evomere ausus est; Citius se posse manibus stellas attingere, quam Leydensem obsidionem deserere; quam tamen turpi fuga coactus est deserere, nisi inundatione adveniente ibi sepulturam sui vivus videre voluisset. Franciscus I. Papiam circumsidens, voto temerario nescio quomodo effuso, se inde non discessurum priusquam civitatem in suam potestatem redegisset, addito juramento confirmavit, imo moritu-

rum.

rum se potius sæpe palamque professus quam Papiam tam diu obsessam liberam relinquere: at dum verba rebus & saluti suæ anteponit, fusus est captusque, totamque Insubriam hoc uno quasi ictu amisit. *Episcop. Herfordensis in annal. Anglic. ad an* 1525.

5 Princeps animo quidem militaris, sed justitiæ belli contemptor nequaquam felix tandem est nam sibi suisque exitium accersit. *Carolus Comes Carolesii talis.*

6 Regnum quod Deo vero non serviet, peribit.

7 Quibus in politiis nullus est verus Dei metus, in iis necesse est extare vel summas Magistratus crudelitates in subditos, vel subditorum inter se seditiones, vel externorum hostium in eas Respublicas bella gravissima, vel sæpe hæc simul omnia.

8 Princeps sua negotia ipse non tractans, facile subvertitur, & utilia sibi consilia repudiat.

9 Princeps minime œconomus, sed sua temere donans aut dissipans, paulatim se suosque exhaurit, ac deseritur etiam à suis domesticis, *De Henrico rege Castiliæ.*

E. *Suetonius de Caligula.* Nepotinis sumtibus omnium prodigorum ingenia superavit, portentosissima genera ciborum commentus, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas absumsit, convivis ex auro panes & obsonia proponens. Aut frugi hominem esse oportere dictitans aut Cæsarem. Exhaustus igitur & egens ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.

10 Illi imprimis sunt conciliandi cuivis Principi, qui apud alterum Principem pos-

sunt plurimum auctoritate, vel prudentia, ut illius vicini Principis tum consilia facile detegantur, tum conatus avertantur. *De Domino de Lescut.*

11 Qui subditus Principem suum metu sic terret, ut Princeps ab eo pendeat, ipse vero auctoritatem sibi principis trahat, infelicem exitum habet tandem. *De Comite Sancti Pauli; de Comite Warvici.*

12 Raro aut nunquam tota summa rerum est prœlio committenda. In quo qui victus erit, statim spectet & exequatur quidpiam, quo suorum animos erigat.

13 Magna mutatio rerum sequitur ex victoriæ etiam parvæ momento. *De Sesanna capta.*

14 Bella inter principes potentes facile excitantur, difficile inter eosdem sedantur.

15 Indictiones fiunt propter necessitates Regni. Reges autem dominio suo contenti esse debent, ad se & totam familiam exhibendam.

16 Princeps summus ne alterius summi Principis, maxime cum quo antea vel bello vel verbis contendit, potestati unquam (si fieri potest) sese committat. *Francisco I. Regi male cessit. Ludovico quoque undecimo, qui se commisit Carolo Duci Burgundiæ. David Gethæorum Regi male se commisit, Carolus simplex Comiti Veromanduo.*

E. Sic accidit Pompeio Magno. Qui cum post cladem perpessam in pugna Pharsalica, hostibus suis prætextu amicitiæ, eum profugum recipientibus, puta L. Septimio, & Achillæ se dedidisset, illi Pompeium neque verbum ullum, neque ejulatum edentem interfecerunt, cum Pompeius hæc verba recitasset.

Etenim

Etenim tyranni domum si quis intrat,
Fit servus ejus, liber & si venerit.

17 Legati externi honeste quidem excipiendi; veruntamen & observandi & cito dimittendi. *De feciali Angliæ.*

E. Legati ab Imp. Rodolpho II. aliquoties missi ad Ordines Belgii pro impetranda pace inter Hispanos & Belgas, honorifice quidem excepti sunt Hagæ, omnibus sumtibus hospitii liberaliter persolutis ab Ordinibus, & donariis puta, aureis monilibus, catenis & torquibus magnifice exornati insuper sunt, sed tamen breviter citoque re infecta dimissi.

18 Princeps facile vel decipitur, vel dejicitur, qui ex alieno & imprimis ex unius duntaxat consilio & virtute pendet. *Sic olim Dux Britanniæ. De Eduardo rege Angliæ.*

19 Consiliarii bellorum fautores, & conflatores, à Deo puniuntur.

20 Princeps facile evertitur, qui nullo nisi suo ipsius consilio utitur. *Sic Carolus Carolesius periit.*

E. Hinc Hieronymus Siciliæ rex una cum proximis & amicis omnibus crudelissime interfectus est, tum quod impotenter ac superbè dominaretur, tum etiam quod Senatum nulla de re consuleret.

21 Parricidium vel crudelitas Principis non manet impunita. *De Lunceloto: de Richardo rege.*

22 Principum fraus punitur à Deo. *De Comite Sancti Pauli.*

23 Hosti ambitioso danda est plura, quam efficere possit, amplectendi occasio. *De judiciis prorogatis Comiti Carolesii.*

24 Infidelitas (quod non timeantur Dei minæ) est

næ) est fons & causa in Principibus eorum scelerum quæ perpetrant.

E. Sic detestanda fuit impietas Caligulæ, qui Deorum statuis amputato capite suum imponi jussit, ridicula impietate, idem templum suo numini, sacerdotes & exquisitas hostias instituit. Nero Apollo haberi voluit, & illustrissimi civium interfecti, hac præscriptione, quod nunquam pro cælesti voce immolassent. Domitianus denique Deus dominusque noster palam audiebat. *Lips. libro. 2. de constan. cap. 25.*

25 Absque Ordinum Reip. decreto nihil magni momenti decerni est æquum.

26 Irrumpentibus hostibus vicinis sunt loca illis objecta munienda præsidiis validissimis, non autem acie statim decertandum. *Sic Rex Galliæ Ludovicus undecimus.*

27 Regis est pauperum querelas audire, iisque jus dicere.

E. Hinc male Demetrius Macedoniæ Rex, qui obsessor urbium est appellatus, cum judicandi munus obire velle videretur, ac rogationes quamplurimas à singulis accepisset, omnes ex intimo sinu in flumen contumeliosissime effudit, cujus facti insolentia & indignitate Macedones sic exarserunt, ut non multo post exercitus illum deseruerit, deinde conspirantibus totius Populi animis secuta defectio est, regnandi potestate ad Pyrrhum delata.

Sic Lamprid. in Alexandro Severo. Post meridianas horas subscriptioni & lectioni libellorum supplicum semper dabat operam, ita ut ab epistolis seu libellis & à memoria semper assisterent.

28 In omni calamitate cogitatio ac consilium.

llum de fama & existimatione nominis conservanda debet postponi consilio de servanda rerum summa, & tota Repub. *Exemplum Maximi Fabij : exemplum Caroli Carolesii in obsidione Nuzii.* Nam ad quem lucrum belli, ad eundem laus quoque belli pertinet. *de Ludovico petente pacem.*

29. Occasiones quæ sponte se offerunt, aut diu quæsitæ sunt, non omittendæ. *De Duce Aureliano.*

30 Factionum & novorum consiliorum auctoribus & Principibus re ipsa, id est, ipsa experientia demonstrandum, quid & quantum mali ea ratione parent & postulent. De *duobus Anglis quos secum Rex Angliæ trans mare in Galliam deduxit:*

31 In singulis Rebuspub. unam esse Metropolim urbem necesse est, quæ sit summæ auctoritatis. Facilius enim ejus exemplo cæteræ parent & continentur in officio.

32 Vrbs Metropolis ut sit maximæ in toto Regno auctoritatis, constituatur præcipuum pietatis exemplum & sacrarium: item ultimum juris administrandi & dicundi forum: denique honoratissima majestatis regiæ sedes. *Psa.* 122. *Amos* 7. *vers.* 13. *Roma item & Ierusalem hæc omnia habuit.* Maxime enim hæc tria favorem hominibus conciliant.

E. Exempla nobis in Belgio suppeditare possunt, Arenacum Geldriç metropolis, Vltrajectũ & Haga Hollandiæ urbs, Leovardia item in Frisia: In his enim præcipuis urbibus partim supremæ & cathedrales ecclesiæ extant, adhæc curiæ supremæ tanquam ultima juris dicundi fora ibi constituta sunt, denique honoratissimæ Principum & gubernatorum aulæ illic conspiciuntur.

33 Poten-

33 Potentissimum ac fortissimum regnum est, cujus Provinciæ omnes situ, & finibus inter se conjunguntur.

34 Crudelitas Principis à Deo vindicatur. De *Richardo rege Angliæ, de rege Ferrando Neapolitano.*

E. Mendoza Hispanus cum post alia multa crudelia facinora perpetrata, stupratas puellas, innocentes cives & rusticos in terris imperii trucidatos, direptas & devastatas plurimas urbes, tandem etiam cum Comitem de Broeck in horto proprio contra datam fidem interemisset, & deinde corpus ejus incendio absumsisset, hic instructissimi & numerosissimi ejus exercitus finis & eventus fuit, quod nulla re fortiter gesta, tandem inglorius magna parte exercitus amissa ad suos redierit, imo tandem à Mauricio Nassavio in conflictu & prælio Flandrico captus, & in vincula tum VVoerdæ tum Hagæ sit conjectus.

35 Nullum Principum aut Reipublicæ scelus tandem Deus relinquit impunitum. Nam cum maxime florens & quietus eorum status videtur, tunc calamitates à Deo immittuntur.

36 Principes durius à Deo, quam privati puniuntur.

37 Ab acquisitis de novo subditis debent clementer tributa & lenius exigi, quam sub prioribus principibus.

38 Perjuria Principum & hypocrisis punitur à Deo. De *rege Castiliæ.*

E. Hatto Moguntinẽsis Epicopus Alberto Francorum Comiti sub jusiurandi fide persuasit, ut relicta inexpugnabili, quam insederat arce secum ad Ludovicum Regem, cujus filium occidisse insimulabatur, descenderet: se eum vel regi recon-

reconciliaturum, vel sospitem in arcem reducturum. Vixque egresso, tanquam melius esset prandere, jussit ut reverteretur, mox finito prandio ad regem duxit captivum. Cumque ad supplicium duceretur, antistitis perjurium accusanti, respondit, se datæ fidei satisfecisse, cum eum prandendi causa in arcem reduxisset. Dignus perpetua infamiæ nota sacerdos, qui ignoravit fraude perjurium adstringi, non solvi. Vnde & dicitur corpus ejus à malo genio in aëra sublatum, & in terram deinde projectum, cum acclamatione. *Sic peccata lues, & ruendo rues.*

39 Cum victoria de hostibus sæpe ex levi occasione contingat, prudenter acies instruatur, sic ut qui primum in acie stant aut hosti occurrunt, sint strenuissimi, atque non facile perterreantur. *De victo Carolo Carolesio ab Helvetiis.*

40 Amissum prœlium multa incommoda sequuntur. Itaque raro de summa rerum tota prœlio decertandum. *Exemplum in* Carolo *duce Burgundiæ.*

41 Respublica felix, in qua qui imperat Princeps, timet Deum.

E. Theodosius Magnus Imp. magis se gaudere dicebat, quod esset Ecclesiæ DEI membrum, quam quod in terris gubernaret. *August. lib. 5. de civit.* DEI, *cap. 26.*

42 Nimia vindictæ cupiditas etiam post calamitatem acceptam sæpe Principes funditus evertit.

43 Obsessæ urbi mature succurrendum, præsertim ubi qui Dux strenuus in ea esse censebatur, urbemque tuebatur, extinctus est.

E. Sic cum An. 82. opidum munitum in Comi-

catu

Zutphaniensi Lochemium arctissime ab Hispanis obsessum esset, & extrema fame laboraret, ter ab exercitu Ordinum, commeatu invecto ductoribus Comite Hohenlo et VVilhelmo Nassavio, ab obsidione liberatum est. Idque præcipue factum est propter tres Comites de Monte, qui in obsessa urbe præsidium tenebant.

44 Non auditis iis, qui arcana se prodituros pollicentur, sæpe magnæ occasiones prætervolant. *De Cifrone suspenso.*

45 Non quivis socii, sed potentes assumendi sunt, quorum societas non sit nobis onerosa, sed auxiliaris. *De Italis.*

46 Fides violata cuicumque fuerit data, tandem à Deo punitur. *De Carolo Carolesio.*

E. Ordonius secundus rex Hisp. quatuor Castellæ comites (per quos Castella tum, ut provincia, administrabatur, et Legionis et Asturiarum regibus feudataria suberat) ad se vocatos, fides licet publica, regiaque inter posita foret, in carcere jussit trucidari, quod ad bellum vocati non paruissent. Vnde factum est, ut provincia Castellæ à Legionensium regum imperio se subtraheret, Iudicesque de nobilioribus Castellanis eligeret. *Iohannes Baptist. Lambertin. in theatr. reg. ad an. Chron.* 890.

Henricus IV. Gall. rex, cũ in eo esset, ut pacem cum Hispano faceret, Anglis fidem reposcentibus respondit: Reges non aliter inter se pacem et fœdera facere, quam cum hac tacita conditione, ut quod rebus suis utile est, semper amplectantur: quod perniciosum est, caute devitent. Itaque à se exigi non debere, ut bellum periculosi eventus cum Hispanis, quam cum iisdem pacem rebus suis salutarem habere malit. *Ossatus in epistolis.*

Oleo-

Clemens VIII Papa Henrico IV Gall. regi fœdus cum Elisabetha Angliæ regina allegant, respondit: Principes sibi omnia permittere, quæ sibi utilia putant; et eo rem devenisse, ut ob fœdus neglectum nemo reprehendatur. Idem laudabat Francisci Mariæ Vrbini Ducis dictum, privatum quidem ob non servatum jusjurandum merito culpari: Principibus autem regni servandi causa licere contrahere, nec contractum implere, inire fœdera, eaque negligere, mentiri, prodere &c. At *Machiavellica hac est perfidia, quam ore detestantur, & actionibus exprimunt.*

Ladislaus Rex Hungariæ, cum fecisset pacem cum Amurathe Turcarum Imp. Papa Eugenius irritam hanc fecit, persuadens Regi infidelibus non esse servandam fidem. Itaque collecto exercitu profectus est Ladislaus cum exercitu Varnam usque, in qua miserabili clade una cum 30. Christianorum millibus cæsus est, & in fuga confossus Iulianus Cardinalis hujus perfidiæ auctor & suasor. *Accidit hoc Anno* 1444. 10. *Nov.*

47 Pugnæ seu prœlio nulli, qui nobis suspecti, aut qui aliorum fuerunt proditores, interesse concedantur aut permittantur. *De Campobacio, item de* 300. *Numidis in Cannensi pugna. Ganelon in exercitu Caroli Magni. David à Philistæis rejectus*

E. Hoc consilium sedulo observarunt Hispani, dum Hibernos milites, qui prodiderant urbem Daventriam non passi sunt facile cum hoste prœlium committere.

48 Cura de castris recte circundandis & claudendis in exercitu & militia sit Principi præcipua. *Sic Romani. Sic Carolus Carolesius.*

49 In rebus dubiis ac periculis imminentibus

tibus eæ conditiones accipiendæ, quæ aliquid spei certæ relinquunt. *De Rege Carolo.*

50 Legati ad exteros Principes missi, magnam in rebus & statu illorum Principum cognoscendo prudentiam & diligentiam adhibeāt, ne quid postea suadeant suis principibus à quibus mittuntur, inutile, aut falsum.

51 Ingratitudo seu impietas Principis sibi, non Deo, laudem suæ potentiæ & felicitatis tribuentis, tandem à Deo punitur. *De Carolo Carolesio.*

E. De Carolo Audace ab Helvetiis cæso ita Cominæus. Hic est exitus potentissimi Principis, quo majorem ad vicinos Reges atque populos auctoritatem nemo habuit. Hac potissimum re Dei iram in se concitavit, quod omnem, qua fruebatur, fœlicitatem, suo ingenio & virtuti tribuebat.

Sic ducis Albani fœlices successus in bello & victoriæ diminutæ sunt, postquam sibi statuam vel trophæum Antverpiæ erigi curavit cum hac inscriptione. *Ferdinando Alvarez à Toledo, Albæ Duci, Philippi II. Hisp. regis apud Belgas præfecto, quod extincta seditione, rebellibus pulsis, religione procurata, justitia culta, provinciæ pacem firmarit, Regis optimi ministro fideliss. positum.*

52 Tyrannorum exitus fere sunt tragici. Nam ubi regnatur tyrannice, populus res novas expetit: quem oderunt periisse cupiunt.

E. Crescentius Legatus Pontificis in Concilio Tridentino misere vitam finivit. Nam visus est illi canis quidam ater in morbo inusitatæ magnitudinis, oculis flammantibus ad terram demissis ad ipsum recta via contendere: cum autem famulos inclamans, jussisset adferre lumen, & investigare canem, canis nusquam apparebat;

statim

statim inphrenitidem lapsus & moribundus subinde acclamavit, ut canem lecto arcerent.

Aquila tribunus plebis coronam statuæ Iulii Cæsaris populo spectante detraxit, nec quicquam fremente Cæsare, qui deinceps amicis, quibus honores & imperia tribuebat, subjecit illud: Si per Aquilam licet. *Sueto. in Cæsare.*

At idem Cæsar sanguinolentus tribus & viginti vulneribus in Senatu, sedens in sella curuli confossus est. Ita ille qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem sanguine suo curiam implevit. *Flor. li. 2.* Nuperum exemplum dedit VVallensteinius, cujus vere tragicum exitum omnis mundus novit.

53 Principem dat populis Deus, prout eos vult vel castigare, vel sublevare.

54 Consiliarii mali, aut Principis ipsius judicium imminutum, est magnum Dei in Regnum judicium.

55 Assentatores non quæ conducunt, sed quæ Principi placent ac grata sunt, consulunt. Itaque à fidelibus consiliariis discernendi.

E. Verum proverbium est: Eum qui vult Principibus gratus esse, non Veronam, sed Placentiam proficisci oportet: hoc est non vera, sed Principi grata & placentia dicat.

Plutarchus narrat, quia Mithridates aliquid studii dederat medicinæ, quosdam amicorum adulandi gratia curandos se ei & urendos præbuisse, hac ut ratione intelligeret, suam in arte medendi peritiam ab illis plurimi fieri. *Idem scribit*, cognitum sibi quendam assentatorem, qui, quoniam Princeps cum sua uxore divortium fecerat, etiam à sua discesserit, licet furtim ejus consuetudine uteretur: id enim modo intendebat,

intendebat, ut ad Principis exemplum se componeret, & hoc faceret, quod ei gratum esse arbitrabatur. Alius quidam adulator, cum videret Philippo Macedonum Regi alterum oculorum in bello erutum, collyrio illinere suum oculum cœpit, ut Rex illum etiam oculo laborare crederet. *Vide cap. 30. lib. 2. in Petro Ribadeneira de Principe Christiano.*

Sigismundus Imp. cum à quodam supra modum laudaretur, & Diis simillimus prædicaretur, illi colaphum impegit, dicentique, cur me cædis, respondit, Cur me mordes? In aula igitur unus Clytus præferendus sexcentis Aristippis. Rex Achab, fidem habuit spiritibus erroris, postquam ita comparatus erat, ut Prophetam Dei nollet audire, quia non quæ placebant, sed quæ displicebant, vera tamen erant, annuntiabat. *1 Reg. 22.*

56 Cavendum Principibus, ne nimia & inexpectata prosperitate inflati bona consilia, quæ prius omnino conducere sciebant, repudient, aut mutent. *De Ludovico* XI.

57 Principes tum maxime DEUS eripit ex hoc mundo, vel evertit, quum magna moliuntur, sibique videntur felicissimi. *De rege Carolo octavo.*

E. Henricus IV. Gall. Rex magna atque egregia meditans, cuncta ad bellum paraverat, diem dixerat, qua cum exercitu progressurus in Menapios arma ferret; Ipse ingenti animo, lætitia incredibili, brevis moræ impatiens, triumphum spirare videbatur; at in victoriæ limine misere interceptus, quam ignara fati sortisque futuræ humana mens sit, facile patefecit. *Maurocen. lib. 18. histor.*

58 Ma-

58 Magna cœpta magno exactoque consilio suscipienda. *De Duce Maximiliano.*

59 In magnis cœptis exequendis non tantum audacia, sed etiam constantia, virtute & quidem extraordinaria opus est. *Sic Carolus octavus in expeditione Neapolitana.*

E. Scævolæ constantia laudatur, quod dexteram ardenti rogo sponte supposuit, quia Regis Hetruscorum Porsenæ legatum pro Rege occiderat, qui tum temporis Romam obsederat inquiens: Vt scias quem virum effugeris, idem trecenti juravimus in necem tuam. Quo constanti facinore motus Rex Porsena, urbis obsidionem dimisit. *Flor. lib. 1. c. 10.*

60 Discordiæ hostium augendæ, ut crescas. *De Ludovico undecimo & Gandavensibus, c. 105.*

E. *Tacitus de moribus Germanorum.* Nihil majus fortuna præstare potest, quam hostium discordiam. Atqui inter eos discordiarum serere causas sapientis est ducis. Nulla enim quamvis minima natio potest ab adversariis deleri, nisi propriis simultatibus seipsam consumserit. *Veget. 3. c. 9.*

61 Obsidio summis viribus & exercitu semper magno urgeatur, ut sit, quam potest fieri, citissima expugnatio.

62 Vicini Principis ruentis portiunculas vicini Principes variis modis semper decerpunt. *Exemplum in Venetis.*

63 Beneficentia maxime commendat Principem, illique multos conciliat.

E. Titus Vespasianus dicere solebat, diem illum periisse, in quo liberalitate & beneficentia neminem dono aliquo exhilarasset. Vnde recordatus in cœna se nihil beneficii cuiquam eo die præstitisse, memorabilem

lem illam vocem edidit, Amici hunc diem perdidi. Hinc etiam cum ab amicis admoneretur, ne tam facilis esset ad promittendum, quod longe plura promitteret, quam præstare posset, respondit: Non oportet quenquam ab Imper. conspectu & facie tristem discedere.

Antonius Aurelius Pij cognomen clementia meruit, semper ea Scipionis verba in ore habés: Malo unum civem servare, quam mille hostes occidere.

64 In sedulos & fidos sit Princeps liberalior, quam in cæteros.

E. *Æschines ad Athenienses, inquit:* Si munera paucis, iisque dignis secundùm leges contuleritis, multos vos habituros pro virtute certantes: Si autem cuivis cupienti, etiamsi nihil egregium fecerit, gratificemini, etiam frugi ingenia corrumpetis. Promotio enim indignorum, & contemtus meliorum, ruina & exitium est Reipublicæ. SAVORGNANI ob servitia Venetorum Reip. tam bene delata ad magnos honores, quibus adhuc fruuntur, promoti sunt. Alias familias infinitas gloriosus hic Senatus in amplissimo dignitatis gradu locavit, quas omnes si recenserem nimis onerosum foret. *Contrà:* Ramirus Vrsus sceleratam Cæsaris Borgiæ naturam perbelle exploratam habebat, nihilominus tamen fore ut ipsi Borgias benefaceret, non dicam bene serviendo benevolum redderet, credens, hoc reportavit, quod aliis simplici morte mulctatis, ille pro *sedula servitute* sua in IV. corporis partes vivus dissecaretur. *Zinanus lib. 4. c. 9. de ratione imperandi.* Iacobus Trivultius in variis bellis tam promte Carolo VIII, Ludovico II. & Francisco I. Gall. regibus operam suam exhibuerat, at hic quod tantopere ipsi obstrictus esset,

esset, ne quidem aspectu ipsum dignum censebat. Armeniacus Comes & Tremollius in eadem navi navigarunt in Gallia, nec non Hebraim Bassa apud Solimannum. *Scelerati hoc habent* (Cicero in Phil. 2.) *ut iis se vitam dedisse glorientur, quibus non ademerint.*

65 Principes semper metuunt ne ipsorum auctoritas ullo pacto imminuatur.

66 Populus si læsit Principem suum, sit humilimus, & placet eum magno obsequio.

67 Suspiciones & detractiones in Principum aulis sunt & ipsis Principibus, & eorum famulis causæ magnorum malorum.

E. *Freder. Furius de consil. & consiliar. cap. 2.* inquit: regula certissima est, omni exceptione carens: Detractiones atque suspiciones & delationes, non minus infidelis quam abjecti et humilis animi certissima sunt argumenta. nec adhunc usque diem delatorem fidelem fuisse compertum est. Nam Delatores, genus hominum publico exitio repertum et pœnis quidem nunquam satis coercitum. (*Domitian. apud Suetonium*) Eorum artes sunt, insectari, criminari apud potentiores, ea maxime dicta factaque, quæ maxime apud illos valere possunt: submittere callidos criminatores, validosque in animo dominantium: proximos illorum, quibus insidiæ tales struuntur, inlicere, ut pravis sermonibus incautos ad peccandum perstimulent. Itaque, cum rumores ad Principes gerant occulte, arcendi sunt à Principum congressu; quippe ex arcta & frequenti conversatione cognoscentur & cavebuntur tanquam delatores. At Princeps hos sistere debet illisque imponere, ut fidem faciant ejus rei quam detulerunt. Et quando eo ventum est, ut delatores necessarium regni instrumen-

strumentum putentur, consultum erit plures ignotos inter se ignorantesque habeantur; qui si consentientia retulerint, credi iis fortasse poterit; diversa dicentibus fides abnuenda, & ulterius inquirendum si quo modo veritas in lucem produci possit. Exemplum habemus in historia *Susannæ*, falso delatæ, quo remitto lectorem.

68 Cuique regno Deus aliud vel regnum, vel opidum, vel Principem vicinum, & æmulum opposuit, tanquam contrarium & frænum, quo temperatior sit utriusque potestas, cohibeaturque.

69 Regis sapientis est inquirere in ea, de quibus illi suspicio injicitur: non autem ea cælare, eamque suspicionem alere.

E. Prudentissimus Rex Henricus IV. citabat in aulam Bironium, ut suspiciones purgaret, quas de eo audiverat; ille vero pertinaciter negando, non inique convictus criminis pœnam luit.

70 Iustum est, militem, cui sua stipendia persoluuntur, à vi & concussione prohiberi, vel puniri.

E. Concussionum & rapinarum causæ sæpe attribuuntur mulieribus in castris cum exercitu viventibus; de hac materie, ne longus sim, remitto lectorem ad *Laurent. Mellietum, libro 4. disc. polit. & milit. c. 4.*

Tam stricte olim milites à rapinis abstinebant, ut memoriæ tradiderit Scaurus pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu, intactam fructibus relictam. *Frontin. 4. Stratag. cap. 3. Cassiod.* Vna tuendæ disciplinæ militaris, tum etiam latrociniorum coercendorum certissi-

tissima ratio, si militibus certo stipendia solvantur. Neque enim disciplinam servare potest jejunus exercitus, dum quod deest, semper præsumat armatus. Vnde recte Imperat. Valerianus militares leges tales militibus præscripsit, ad vicarium suum scribens: Si vis securus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo aliena rapiat, segetem nemo atterat, nemo pullum rapiat, uvam nemo decerpat, annona sua miles contentus esto, & de præda hostis, non de lachrymis provincialium vivat. Stipendium in baltheo, non in popina habeat, *Vopiscus in Aureliano*.

71 Honestæ conditiones & piæ repudiatæ nequicquam postea poscuntur, imo à Deo vindicantur.

72 Vltra dominium Princeps nihil potest juste & absque tyrannide exigere à subditis, nisi eorum consensu & concessione. *De Imp. Turcar.*

72 Fortior est Princeps & externis formidolosior, qui ex sui populi consensu & consilio bella gerit, & administrat res regni, quam qui suo ipsius duntaxat consilio.

74 Bella quærentibus & foventibus multa semper infortunia accidunt, multæque clades.

E. Augustus Imp. (*in Suetonio*) Prœlium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum major emolumenti spes quam damni metus ostenderetur. Nam minima commoda maximo sectantes discrimine, similes esse ajebat aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnũ nulla ratione pensari posset.

75 Senatorum, Consiliariorum, aut Præfectorum belli avaritia in quovis statu Reipub. non tantum ignominiam, sed etiam exitium Reip. accersit. *De Antragnio.*

E. Male audivit Darius propter nimiam exactionem tributorum, quæ per Satrapas certos exigi mandavit. Vnde Persæ dicebãt Dariũ fuisse mercatorẽ, Cãbysen dominũ, Cyrum vero fuisse patrem. Quoniã Darius res omnes quæstui habebat, Cãbyses asper erat & morosus, Cyrus mitis, & omni ratione de subditis bene mereri studebat. Imp. Vespasianus rapacissimum quemque ad officia publica promovebat, quo locupletiores factos mox condemnaret, & majori pecunia emungeret. Quibus ideo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi siccos madefaceret, & exprimeret humentes.

Idem Vespasianus filio Tito reprehendenti, quod etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione ad nares filii admovit, sciscitans num odore offenderetur. at illo negante: atqui ex lotio est, adjecit illud populare proverbium: *lucri bonus odor est ex re qualibet. Sueton in Vespasiano.*

76 Ordinum regni cujusque debet esse summa auctoritas, etiam in extraordinariis exactionibus aut tributis indicendis.

77 Vbi protelatione opus est, non statim responsio danda, sed promissis & legatis semper novis, qui superius cum aliis acta nesciant, est agendum.

78 Conjugiis sunt regna ditionesque vicinæ, quantum fieri potest, nostris adjungendæ. *De Heroina Duce Burgundiæ.*

E. Guilielmi Aurasionum Principis filiæ potentissimis Germaniæ & Galliæ Principibus elocatæ sunt, uti Frederico IV Electori Palatino, Duci Bullionæo, Duci Tremoliensi, item comitibus Philippo ab Hohenloo & Hanoviensi. Magnus favor (*inquit Lipsius lib. 1 pol. mon. cap. 5.*)

Nu-

Numinis, nec semel in hac gente (AUSTRIAM dico) se ostendit, quæ per hereditates & adventitia incrementa, puta matrimonia fere crevit.

79 Externi Principis, itemque comitatus illius mores, victus, & habitus vix ac ne vix quidem tolerantur diu, nisi se ad subditorum mores accõmodet. *Vononis exemplo monemur, in externis istis non esse diversi à majorum institutis. Generaliter tamen monendi sunt Principes, sermone utantur paucorum verborum, incessu tardo, veste gravi.* Omnino vero si ejusdem Principis comites ea officia & administrationes regni, quas indigenæ tenere solent, petant aut habeãt, sequitur seditio periculosissima.

E. *Alibi Cominaeus:* Nihil est odiosius populo, quam si summa quæque officia, dignitates, sacerdotia, magistratus ab exteris occupari videant.

80 Miserrima est ejus populi conditio, qui peregrinum Principem eligere compellitur, quod indigenis ad regnandum aptis careat.

E. In magnis facultatibus positus, ut ut largus sit, nunquam tamen Poloniæ Rex coronabitur: nobilissimi enim istius regni Electores sordido regnum lucro dilatatum nolunt; unde & vicinum quendam Principem eligunt, à quo statim duo beneficia accipiunt. alterum quod Principis istius potentia Poloniæ regno adjuncta hoc longe potentius reddat: alterum quod Principis istius posteris, donec familia ejus esse desinat, electis, Principatus iste Regno incorporetur. *Gabr. Zinan. de ration. imper. lib. 3 c 5.*

81 Litium multitudo & pragmaticorum numerus indies minui debet, ut sint divites privati in quovis ordine. De *Ludovico rege undecimo.*

E. De remediis contra litium prolixitatem eleganter et noviter scripsit sub ficto nomine quidam Pomeraniæ Ducibus à consiliis; titulus libri est *Parthenius Litigiosus*, ex quo petantur, quæ hunc aphorismum explicent.

Cato forum, in quo Romæ consisterent litigatores, muricibus sternendum esse censuit: Guazzus de civili conversat. Malum est indicium & præsagium civitatis, quæ multis Medicis & judicibus abundat: Alterum enim ex defectu propriæ virtutis, alterum ex crapula & otio originem trahit.

82 Principem successurum plures spectant, colunt & admirantur, quam senem Principem jam caducum. *Pompeji dictum*. Plures aspiciunt Solem orientem, quam occidentem.

E. At successor ille modo sit bonus; nam pravi in pejus mutatio est damnosa, contra, Virtutes successoris gloriosissimum sunt defuncti Principis epitaphium. *Simocates* 1. *hist*. Natricem subjectis, & Phaëthontem regno suo educat, qui impium filium successorem habet. *Sueton. in Caligula*. Igitur Reges, qui prolis suæ educationem negligunt, Rempubl. negligunt; cujus salus à bona Principis institutione pendet. Minora sunt belli mala quam pravæ institutionis: quippe illa non nisi ad tempus durant; hæc, quoad vivit Princeps. (*T. Matth. in vita Philippæ Catanensis*.)

E. Cum Frederico Sax. Electori unanimi Electorum consensu delatum esset imperium, illud ingenti animo recusavit, cumque rogaretur, quem igitur censeret eligendum, negavit sibi quenquam alium tanto oneri sustinendo parem videri, quam Carolum V. Archiducem Austriæ, &c. Ob hunc insignem animum oblata

lata à Caroli legatis 30. millia florenorum constantissime rejecit: Cumque urgeretur, ut tantum XXX millia pateretur dari famulis suis: accipiant, inquit, si velint, attamen nemo postridie manebit apud me in aula, qui vel aureum acceperit. *Erasmus.*

83 Deus dat regna & adimit. *Daniel.* 3.

84 Principum vita est plena curarum, sollicitudinis & laboris.

E. *Vopiscus de Saturnino tyranno.* Cum eum animarent ad imperium qui induerãt purpurã, in hæc verba respondit: Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladii, tela & hastæ nostris cervicibus impendent, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur.

Verum mali hujus remedium est in legum majestate, sapientumque consilio, ex quorum sapientia Principes, quod optimum factu sit, statuant. nam summis imperii moderatoribus pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni & felicis sæculi.

Hadrianus VI. Trajectinus Pont. Romanus moriturus, tale sibi epitaphium inscribi voluit. *Hadrianus sextus hic situs est, qui nihil infœlicius sibi in vita duxit, quam quod imperaret.*

Hinc Imp. Diocletianus: Nil esse difficilius, quam bene imperare. Videat lector luculentum discursum *Ioh. Andrea Salices super hoc verbum.* Fertur rex quidam traditum sibi diadema, prius quã capiti id imponeret, retentũ diu considerasse ac dixisse: O nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam plurimis curis, periculis ac miseriis obno-

xius sit, ne humi quidem jacentem tollere vellet.

85 Bella sæpe extraordinario quodam motu, qui à Deo datur Principibus, suscipiuntur.

86 Inter pares ejusdem Reipub. proceres aut Officiales facile nascitur invidia, sic ut eorum alteruter sit abigendus. *De Ludovico & S. Severino, Ioab & Amasia.*

87 Sumptus urbium inutiles, perniciosaque commercia interdicantur & tollantur, quales qui in templa superflua & monumenta privatorum, ludos scenicos & theatra fiunt.

E. Sixtus V Pontifex, antea Felix Montaltus, monachus de Francisci familia (quem ab infimo genere, domoque, non natalibus, sed lacero tecto per solem illustri, officiositas ad summam dignitatem evexerat) pecuniarum venator assiduus erat, thesaurosque corraserat immensos, quos cum subinde in obeliscos, vias, templa, palatia, aquæ ductus, egentium quoque & bibliothecæ Vaticanæ curam profunderet, facile tamen vendendo officia & tributa imperando resarciebat. Quinque milliones eum reliquisse tradunt, cum insanus mortalis in unius obelisci translationem & erectionem ad 38. millia coronatorum impendisset.

88 Mercatoribns, à quibus pecuniam accepit Princeps, servet fidem. Vt postea mutuam pecuniam accipere possit.

E. Philippus Rex Hispaniæ, accepta à Mercatoribus in usum belli sub fœnore mutua pecunia, subinde fidem datam in solvendo turpiter fefellit, & cum paulo graviores usuras creditoribus promisisset, remissionem & absolutionem à Pontifice Romano impetravit.

De Iulio Cæsare *ita Dio. l.* 42. Mutui nomen et pecu-

pecuniæ, cujus exigendæ probabilis nulla alia ratio extabat, prætexebat, quanquam alioquin vi eas quoque non secus ac sibi debitas poscebat, neque redditurus unquam erat. Dicere enim solebat, suas se facultates impendisse Reipub. ideoque nunc nomina facere opus habere.

89 Exercitum temperantem esse oportet, præsertim inter eos qui nobis favent & conciliandi sunt.

90 Populi armato furori cedendum est ad tempus *De Petro Medicæo cedente.*

91 Discordiæ in exercitu jam dilabente sunt certissima extremi ejusdem exitii auguria & præsentissima. *De seditione orta in exercitu Montpenseri in Neapolitano regno.*

92 Tyrannorum familiæ ullæ vix 120. annos totos unquam regnarunt, aut durarunt.

93 In Aristocratico statu cavendum, ne unius familia nimium diu regnet, & gubernet.

94 Vbi neutra pars in pacta vel conditiones positas consentit, media quædam via aut personæ utrique venerandæ eligendæ aut proponendæ sunt, qui postulata temperent.

95 Cum populi peccata punire vult Deus, excitat hostem, cui resisti non potest, & cui omnia ex voto succedunt. *Tota historia Neapolitanæ expeditionis Caroli* VIII. *Regis Francorum.*

E. Tamerlanes Tartarorum Imp. bellum indixit Bajazeti Turcarum Principi, qui Constantinopolin obsidione cinxerunt, & professus est se ad castigandos tyrannos nulla accepta injuria venisse, & quidem trecenta millia Turcarum non modo fudit ac prostravit, sed etjam Principem eorum catenis vinctum, belluarum in morem in caveam projecit. *Bod. lib. 2. de Rep. cap. 3.*

Lipsius in l. de Constantia ait: prçses ab Hespero seu occidente, i. e. rex Hispaniæ, & Turca ab Oriente seu Aurora, nihil aliud sunt, quam flagellum & mastyx lascivientium Belgarum & luxuriantium Germanorum.

96 Impietas principum punitur à Deo. *De regibus Neapolitanis.*

E. Cum Antonius Borbonius rex Navarræus defectione facta à reformatis ad Pontificios, primus exercitũ Regis contra fratrem Ludovicum Borboniæ, Principem Condæum, & alios reformatæ religioni adhærẽtes eduxisset, in Rotomagensi obsidione globo tormentario per humerum ictus occubuit. *An.* 1561. *die* 17. *Novemb.*

97 Populi vox, vox DEI.

98 Princeps crudelis nunquam strenuus & fortis.

99 Vincendum & victoria utendum celerrime, nihilque victor propterea remittat de sedulitate & diligentia.

100 In novo regno non temere veteres officiarii deponendi. *De Ludovico* 12.

101 In novo regno, & populo & nobilibus gratificandum est.

E. Cum Ludovicus XI. Rex Galliæ statim ineunte imperio Caroli patris domesticos ac familiares omnes exegisset, ac Principes generis propinquitate sibi conjunctos quam longissime à gerenda Repub. semovisset, summa conspirationis fide cum hostibus conjurati adversus Principem rebellarunt, & in eas angustias illum adegerunt, ut pene coronam de capite ejus decusserint, ac sceptra regalia de manibus ejus extorserint. *Bod. l.* 4. *de Rep. c.* 5.

102 In novo regno omnia sunt accurate et diligenter disponenda et munienda.

103 Plus

103 Plures hostes simul non irritandi, præsertim in periculo imminenti: sed æquis conditionibus illi placandi, aut paciscendum cum æquiore, *De Genua*

104 Vires exercitus in periculo non minuendæ, sed colligendæ.

E. Cum apud Ludovicum Galliæ regem essent de imperio Germanico collocutiones, & quidam per jocum Maximilianum I. Imp. vocasset Consulem Augustanum, significans eum paucis urbibus imperare, duriter illum increpuit rex, & respondit: Imo nequaquam Germanici Imper. contemnenda est potentia, quia cum ille Consul tympana pulsat, tum tota tremit Gallia.

105 Cum bella à veris Dei servis sunt prædicta vel probata, ea res magnum in animis hominum, ut victoriam sperent & fortiter pugnent, habet momentum. *De fratre Hieronymo.*

106 Conjugia incestuosa etiam in Principibus à Deo punita.

E. *Sueto.* Claudius Cæsar illecebris Agrippinæ, Germanici sui fratris filiæ, per jus osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reip. maxime interesset, dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cujus officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebravit.

Absalon quia ad concubinas patris sui Davidis intravit, regno expulsus est. Demum per invia deserti patrem persequens, quercui inhæsit, atque ita suspensus interijt.

107 Opinio de majoribus hostis viribus timorem & cunctationem dimicaturis sæpe periculosam injicit.

108 Veneno etiam adversus hostem abstinendum.

E. Cum medicus Pyrrhi regis obtulisset operam suam Fabricio duci exercitus Romanorum, quod paratus esset regem suum hostem Romanorum veneno necare, ille medicum vinctum remisit ad Pyrrhum, ut dignas flagitii sui pœnas de eo sumeret. Vnde de Fabricio dici solet. Citius solem à cursu suo dimoveri posse, quam Fabricium à justitia.

109 Dum prœlium expectatur, cavendum ne animos hostibus addas.

110 In conflictu avaritia libidoque prædandi ut plurimum perdit victoriam.

111 Mendacium creditum, quanquam sæpe non fallit diu, magnum tamen habet in utramque partem momentum.

112 Prœlium facile poscunt & flagitant inexperti, ut Togati.

113 Diffidentia prudens consilii fons est; at imprudens est perpetua propriæ ruinæ & ingentium malorum conciliatrix: Est autem imprudens quæ ne mediis quidem prudenter provisis confidit. Certissimum adversus tyrannos remedium populi diffidentia. *De Eduardo Rege.*

E. Hinc reprehenditur Danorum & Suecorum nimia diffidentia & suspicax animus. Nam magistratus illorum in omnibus hospitiis exploratores collocare consueverunt, qui ex abditis locis omnia omnium dicta, facta, consilia gestus notare possint. *Bod. l. 5. de Rep. c. 1.*

114 Perjuria principum à Deo puniuntur.

E. Parum hoc præceptum in aula Romani

Pon-

Pontificis curatur. Nam in curia vel aula Romana vulgo hodie dicitur: Non esse Regum & magistratuum, sed mercatorum stare juramentis. *Martin. in loc. commun. Theolog. classe 2. cap. 13.*

Sic apud Ægyptios recte & sancte Lex fuit lata recitante *Diodoro Siculo*, Perjuri capite puniuntor: quia duplici scelere obstricti, & pietatem in Deum violant, & fidem inter homines tollunt, maximum humanæ societatis vinculum, & firmamentum.

Nullum enim, ut ait Cicero in Officiis, vinculum ad astringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt.

115 Summus Magistratus sic imperium ut propriam familiam, eodemque animo & affectu regat.

116 Non unam tantum Reipublicæ partem sed omnes curet, pro diversa ratione cujusque ordinis, summus Magistratus. Non eadem nimirum omnibus tribuenda.

117 Novorum civium cooptatio, aut coloniarum deductio, magnum est stabiliendi imperii adjumentum.

118 Offensiones Principum vicinorum quantumvis ab initio leves, tollendæ aut mitigandæ, quia tandé bella gravissima pariūt. *Exempla Caroli Ducis Burgund. de Ducibus Iorchi & Lanclastri.*

119 Male parta nec diu retinentur nec facile.

120 Consilium publicum diversis personis, iisque diversæ conditionis constare debet, ut sit tutius.

121 Concordia res parvæ crescunt, discordia maxime dilabuntur, rerumque bene gerendarum occasiones amittuntur. Est denique discordia præcursor ruinæ.

122 Fides hosti servata, quem fallere potueris, magnam probitatis apud omnes laudem, & magnum ut alios ad te allicias momentum habet. *De Ludovico* XI. *Consilium Comitis Pauli de servanda fide Eburonib.*

E. *Exemplum etiam est in Regulo.* Cum enim hic captus esset primo bello Punico à Pœnis, & de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum, nisi impetraret redemtionem vel permutationem captivorum, primum ut venit, captivos non esse reddendos in Senatu censuit. Deinde cum retineretur ab amicis & propinquis, ad supplicium redire maluit quam hosti datam fidem fallere. Itaque à Carthaginensibus resectis palpebris ligatus in machina vigilando necatus est. *Cicero* 1. *off.*

123 Fides, rara virtus, ac propterea in Principe multos illi conciliat.

124 Qui magna præstare cupit, statim à teneris annis virtuti, recteque educationi assuescat.

125 Principes summi aut raro, aut nunquam sese mutuo coram videant, si diu concordes vivere, & alter in alterius admiratione esse velint. *De Ludovico* XI. *& Carolo Carolesii Comite, de Franco & de Anglo Rege.*

E. Remitto lectorem ad librum Parisiis anno 1614 impressum, cui titulus: *Entreveues de Charles* IV *Empereur, de son fils Wenceslaus Roy des Romains, & de Charles* V *Roy de France à Paris l'an.* 1378. *Et de Louys* XII *Roy de France, & de Ferdinand Roy d'Arragon, à Savonne l'anno* 1507. Mutua talis visitatio & interloquium duorum regum Angliæ & Daniæ legatur apud *Meteran. ad an.* 1606.

126 Princeps rerum, imprimisque historiæ igna-

ignarus, vel prudenti consilio destitutus, se suumque regnum in summas tandem calamitates conjicit. *De Sigismundo.*

E. Hinc Demetrius Phalerius Ptolemæo Regi suadebat eos libros sibi assidue legendos esse, à quibus intelligerent ea reges, quæ à nemine audire possent.

127 Principi humano ac misericordi sua humanitas tandem recte cedit, licet quosdam inveniat ingratos.

E. Vnde Trajano imperante vetus dignitas ac majestas Romani fastigii ad Augusti Imp. decus & potentiam aucta est. Nam & illud passim ab omnibus probatum, ipsum quidem Trajanum militarem gloriam civilitate animi, ac singulari modestia superavisse. Ex quo illud celebre dictum. Ne sis Augusto melior, Trajano felicior. *Crinit. l. 5. de honest. discip. cap. 6.*

128 Princeps modestus plurimos sibi conciliat.

129 Qui vincere cupit, Deum æquitate causæ & belli à se suscepti, in suis partibus habeat. *Sanpauli Comitis dictum.*

E. *Elegans exemplum Friderici ducis Saxoniæ narrat Fabricius.* Cum hic Fridericus Comiti Bichlingio Antistiti Magdeburgensi bellum facturus esset, exploratorem miserat, qui de apparatu & consiliis ejus cognosceret. Is renunciabat nihil bello oportunum parari, nec conscribi militem. Antistitem præterea dixisse, se causam commissurum Deo, qui pro se arma sumturus sit. Quod ut Elector audivit. Alius, inquit, insaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit se DEUM defensorem habiturum. Laudandus Antistes, qui Dei patrocinio fisus est:

Lau-

Laudandus princeps, qui Deum veritus, arma deposuit.

130 Vis consilii expers, mole ruit sua. *Carolus Carolesius.*

E. Sic recte Cicero, Nihil sunt foris arma, nisi sit consilium domi, & nisi sint res domi consilio & pacis artibus bene institutæ.

131 Ad dissipandas seditiosorum hominum jam collectas vires & consilia, quævis conditiones politicæ, quæ neque Dei cultum tollant, neque Regni leges fundament les evertant, acceptandæ. Modo Reipub. & Magistratui auctoritas sua salva maneat.

132 Sævitia & crudelitas Principum sive in suos, sive in extraneos, tandem à Deo punitur. *De Ducibus Anglicis ex familia Lancastrica, item de Richardo Rege.*

E. Mahumetes Sultanus uxorem suam, quod de filii fatis curiosius esset scilcitata, abjici in mare jussit cum consciis, filio in conspectu matris strangulato. Sed tyranno sequens annus advexit pœnas crudelitatis ignavissimæ. Nam Taurilium à Persa, Naupactum & Patras à Melitensibus, Hatvana à Rusvormio occupata & destructa fuere. Sultanus ipse præ abdomine vix pedum compos, inter concubinarum & exoletorum greges, febri correptus pestilenti, anno ætatis 36 periit.

133 Princeps hostem suum non metuens stolidus est, facileque superatur. *De Edovardo Rege Anglorum contemnente Comitem Warvici.*

134 Per feminas sæpe fiunt communicanturque absque suspicione tutius, quæ per viros expediri absque suspicione non possunt. *Exemplum regis Edovardi. Ioabus mittit mulierem ad*

Davidem

Davidem iratum contra Absalonem, 2. Samuelis.

135 Per ignotas & viles personas sæpe commodius literæ deferuntur. Verum per easdem magnorum consiliorum & negotiationum effecta exequutioni difficile mandantur, etsi facile per eos istarum rerum initia jaciuntur. *De Olivario.*

136 Vrbs atque pax tutius & compendiosius pecunia & comitate emitur ab hoste, quam certamine comparatur. *Exemplum Regis Ludovici* XI. *eam ementis ab Anglo.*

E. Philippus I. Macedoniæ rex quoque dixisse fertur, quod nulla arx est tantis præsidiis ac propugnaculis obfirmata & munita, quæ non facile possit expugnari, si jumentũ aureis nummis onustum eo penetrare possit. Vnde Philippus largitionibus ac donis Græciam pene totam sub imperium subegit.

137 Procerum ejusdem Regni factiones semper periculosæ regno. Itaque statim exstinguendæ, nunquam alendæ.

138 Calamitas communis dissidentes antea vicinos Principes inter sese facile conciliat, & conjungit. De *Ducissa Sabaudiæ & Tigrane.*

139 In calamitatibus Principum primum & præcipuum remedium est, recurrere ad Deum. De D*uce Burgundiæ.* Secundum, amicum quempiam fidum habere, cui communicent tuto, & libere sua consilia; &, quæ salutaria sunt, audiant.

140 Qui strenue & prudenter constanterque Reipub. profuerunt, absque causa gravissima minime destituendi, & de gradu suo dejiciendi. *De fratribus Galeacii* S. *Severino, & Ludovico expulsis à* Cicone *Secretario.*

141 Ca-

141 Calamitas magna ac clades accepta reddit Principem tum vicinis tum subditis contemptiorem, minusque postea metuendum. *De Carolo Duce Burgundiæ.*

EX PLATONIS MENEXENO.

1 IN tribuendis Reipub. muneribus unius maxime virtutis, non census, non generis, non virium cæterarumque rerum externarum ratio habenda.

E. Virtus nanque, non natalium splendor hominem nobilitat. Exemplum est in Vrbano VI. Pont. Max. qui humili prosapia natus, patre scilicet sutore veteramentario in urbe Trecensi. Huic cum aliquando objectum esset, quod natus esset ex humili loco, respondit, Nobilem virum non nasci, sed fieri: virtutis id non nobilitatis esse.

Thomas Cromvvellus, fabri ferrarii pauperculi filius, ingenii & rerum gerendarum dexteritate commendatus, Baro Cromvvellus renunciatus, multis muneribus honestatus, quibus & honorem & rem affatim consequutus est. *Francis. Episcopus Herford. in annal.* Angl. *ad an.* 1536.

2. Quo quis à majoribus generosior est, eo ipse, si virtute vera destituatur, turpior esse ac videri solet.

E. VVenceslaus Caroli IV. Imp. filius ignavus & voluptuosus, patri longe absimilis, voluptatũ sequax, labores fugiens, vini quam regni curiosior fuit.

3 Turpium factorum merces est non modo in hac vita luctuosa, sed etiam in futura infelix ac misera.

EX

EX POLITICO DIALOGO.

1 OMnis civilis administrationis fundamẽtum est recta ratio, qua innixa Respub. bona est, quæ vero illa caret, mala est.

2. Leges in quaque Reipub. forma legitimum imperium definire debent, non autem cujusque imperantis arbitratus.

E. Plato ait: videre se imminere periculum interitus Reipublicæ, in qua non Leges magistratibus, sed magistratus Legibus imperarent. Princeps enim non debet esse supra leges, sed leges supra principem (l. 4. de legib.) digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Adeo de auctoritate juris, nostra pendet auctoritas. & revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Et oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.

3 Leges pro varia rerum & personarum differentia temperamentum accipiunt: non sunt autem ubique eædem, & in eadem civitate perpetuæ.

4 Magistratus, bonus quidem efficit, ut subditi vitam felicem vivant: malus autem, ut miseram.

Gothana curia in Thuringia sic habet:

Qua lanius, pistor, caupo, danistaque regnant,
Qua miseris illa civibus urbe salus?
Tam felix horum respublica crescat oportet,
Quale quod esuriens curat ovivile lupus.

Ernesti

Ernesti Ducis Lunæburg. symbolum fuit; *Aliis inserviendo consumor*; erat fax ardens depicta; volebat emblemate innuere; principem ad instar facis esse; nam ut illa omnibus lucet, seipsam consumens, ita Principem omnium negotia, etiam valetudinis, nedum privatæ rei damno sustinere.

EX MINOE PLATONIS

MAgnum est consuetudinis diuturnæ & jam receptæ in utramque partem momentum,

EX LIBRO PRIMO DE REPUBLICA PLATONIS.

1 TYrannicum est, dicere Principem legibus esse solutum.

E. Sic à Theodahado rege apud Cassiodor. var. lib. 1. regie dictum. Cum omnia possimus, sola credimus licere nobis laudanda.

Sic pessime Iulia suum privignum ad stuprum invitans, scilicet Antonium Caracallam hoc impium adjecit effatum, Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, te leges dare, non accipere?

Rectius Trajanus, tradens gladium præfecto prætorio dixit. Si bene imperavero, hoc ense pro me utere & tuendi mei gratia: si vero male imperium gessero, illum contra me, & occidendi mei causa stringito. *Dio in Trajano*.

2 Pu-

2 Publica utilitas & salus debet esse scopus Magistratui propositus. *Idem libro* 3.

3 Fides etiam hosti data, servanda.

E. Augustus Cæsar decies sestertium edicto promiserat iis qui Caracotam latronum ducem ad se deducerent, Carocotas re intellecta seipsum sponte Augusto obtulit, ac præmium ex edicto poposcit. Augustus & veniam illi & præmium pactum dari jussit, ne aut mercede promissa vitam eripuisse, aut publicam securitatem violasse videretur, adversus eum qui sponte seipsum judicio stiterat, tametsi jure damnare, ac supplicio latronem afficere potuisset. *Dio lib.* 56.

EX LIBRO SECUNDO DE REPUBLICA.

1. HÆc maxima in omni Reipub. forma cura, ut imperantium, & parentium munus distinguatur.

2 Commercia debent esse libera.

3 Ne in Repub. bene morata unus & idem vel plures artes, vel à sua diversas exerceat.

EX LIBRO TERTIO DE REPUBLICA.

1 LEges sumptuariæ in Repub. bene morata sunt condendæ, & servandæ.

2 In Repub. bene morata sit omnium rerum externarum modus velut in picturis, vestibus, ædibus, aliisque rebus habendis.

3 Ad munus publicum nemo, nisi exploratus, admittendus.

4 Pro-

4 Profligatæ in Rep. disciplinæ indicium est Iurisperitorum numerus, & Medicorum copiæ. Itaque de hominum has artes profitentium & exercentium numero coercendo & definiendo, leges sunt condendæ, & servandæ.

E. Constitutio Imperat. Antonini Pij est, ut minores civitates tantum quinque medicos, majores septem, maximæ autem, hoc est metropolitanæ urbes decem habere possint, *lib. 6. ff. de excus. tuto.*

Guazzus de ciu. convers. Malum est indicium & præsagium civitatis, quæ multis medicis & judicibus abundat. Alterum enim ex defectu propriæ virtutis, alterum ex crapula & otio originem trahit.

EX LIBRO QUARTO
DE REPUBLICA.

NOn opibus, sed viris strenuis, bellum geritur. Ergo ne iis Resp. unquam careat, videndum est.

E. *Hippocrates:* felices eos qui cogitent viros esse regionum præsidia & munimenta, non turres aut lapidea mœnia. *Lycurgus* non videri viduam mœnibus urbem, quæ viris, non coctilibus lateribus sit cincta.

2 Non potest immutari religio absque magna Reipub. mutatione.

3 Magistratus est etiam summi prospicere, & operam dare, ut pueri & juvenes honeste et sancte à prima adeo ætate et infantia instituantur.

EX LIBRO QVINTO
DE REPUBLICA.

LIberi summorum Magistratuum mature sunt bellis assuefaciendi, & artibus ad bellum necessariis.

2 In bellis civilibus ne quis captivus fiat mancipium: aut ne spolietur aliis rebus, quam armis: ac ne ejus quidem cadaver: ne trophæa victoriæ in iis statuantur durentve: ne incendiis alii in alios agant; ne regionis vastitatem inducant.

EX LIBRO SEXTO
DE REPUBLICA.

MAgna ingenia, si nacta fuerint pravam educationem, tanto evadent deteriora. Ergo illa imprimis recte & sancte instituenda sunt.

E. *Quintilian.* Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus, infantiam statim delitiis solvimus. mollis illa & blanda educatio, quam indulgentiam appellamus, nervos omnes & corporis & mentis frangit. Quos enim fructus virtutum adulta ætate eum laturum putamus, qui à teneris unguiculis vitia statim imbibit. Quid non ætatis progressu concupiscat, cujus infantiam parentes auro, argento, purpura, holosericis vestibus exornant? Quam in adolescentia temperantiam is præstare poterit, quē puerũ atq; adeo infãtē conquisitissimis epulis, & omni obsoniorum genere saturant? qua ratione in

in reliqua vita sobrius fiet ille, quem à pueritia parentes ebriosum efficiunt? adeo à teneris assuescere multum est. Henricus IV. Magnum illud Galliæ ingenium quam severe educatus fuerit, lege vitam ejus apud Historicos Galliæ; singulare tamen quid notabis in historia Belgico idomate scripta, cui titulus: *Toneel van Koniegen.*

E. Ingenium, si recte utaris, nullum prope hominum generi dari potest majus aut præstabilius bonum. At si ad bonum ingenium mala mens, item prava educatio aut institutio accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi. Quo erit melior & acutior, eo plus adferet mali.

EX LIBRO NONO DE REPUBLICA.

1 TYrannidis & stabiliendæ, & invadendæ animus obrepit, præsertim in democratia, quum ex tenui & rigida vitæ ratione, ac severa, quæ fuit sub populari statu, cives voluptuosam, otiosam, & inertem vitam degustare cœperunt, hacque delectari: & habent qui eam illis sumministret ac præbeat, vel polliceatur.

E. Sic admiranti cuidam quod Lacedæmonii tam frugali cibo vestituque uterentur, respondit Agesilaus. Pro hac frugalitate optimam messem metimus, libertatem: sapienter admonens, non diu posse ibi libertatem esse, ubi regnat luxus.

Similiter cum Thasii Agesilao per agrum eorum transeunti, farinam, anseres, bellaria, placentas, aliosque cibos sumtuosos, & potus missis-

misissent, farinam solam accepit, reliqua eos, ut nulli sibi usui futura, auferre jussit. Cum instarent, utque omnino acciperet, precarentur, in servos distribuere jussit, quærentibusque causam, respondit. *Qui virtutem colunt, eos non admittere hujusmodi delitias. Aliena enim à liberis ea esse, quibus servilia ingenia alliciantur.*

2 Tyranni in Democratia vel Aristocratia nascuntur ij maxime, qui specie clementiæ & benignitatis in plebem, plebis favorem sibi conciliant: magnum interim satellitium alunt, idque vel ad voluptatem populi, vel ad sui custodiam à se fieri prætexentes.

3 Qui tyrannidem invadere cogitant aut stabilire, adulatores maxime asciscunt: sceleratis se socios adjungunt: famuli & servi, imo mancipia evadunt eorum, quos sibi ad id faventes, & ad sua jussa exequenda audaces vident: denique consciis omnia indulgent quantumvis prava & iniqua, ut imperio tandem potiantur.

E. Constantinus Magnus Imper. adulatores tineas & sorices palatii appellabat, qui tanquam hirudines exugunt facultates principatus, quæ impendi debebant in negotia necessaria & utilia Reipub. *Eutrop. lib.* 10. *in Constantino.*

3 Tyrannica ingenia semper improbissimis adulantur: alicui serviunt: inquieta vivunt: furiis & cruciatibus conscientiæ torquentur: denique sunt prorsus infelicia ac misera, quamcunque vitæ lætitiam simulent aut præ se ferant.

4 Tyrannus, more cæterorum hominum ingenuorum, neque domo solus egredi, neque publicis conventibus interesse, neque libere loqui vel vivere potest: sed velut mulier intra privatos parietes latitans, vel stipatoribus tanquam

quam carcere circumseptus, ab iisque etiam observatus, & ab iis sibi metuens, latitat, & vivit.

E. *Alexander Theraeus*, qui uxorem Theben admodum diligebat, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, servum barbarum districto gladio jubebat anteire, præmittebatque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arcas muliebres, & ne quod in vestibus occultaret telum, exquirerent. Tandem à coniuge propter pellicatus suspicionem interfectus est. *Dionysius Siciliæ rex* barbam novaculæ tonsori committere non ausus, filiæ radendam præbet. Suspectæ fiunt & filiæ, titione demum amburit & torret.

Signa tyrannidis Iohannis Austriaci apparuerunt, quod ad satellitium sui corporis voluit sibi adiungi, Dominum de Hierges cum exercitu trium millium militum.

EX LIBRO DECIMO

DE RE-PUBLICA.

OMnes artes curiosæ, & libri vani, aut in Deum blasphemi, à bono principe tollendi.

E. Huc pertinet *Astrologia judiciaria*, cuius summa est vanitas & fallacia. *Augustin. lib. 2. de doct. Christ. cap. 21.* ait: Ex stellarum notatione, motu uel situ, nascentium mores, acta & eventa prædicere, magnus error et magna dementia est. *Ibidem.* Vana est prædictio Genethliacorum. Fieri enim potest, ut aliqui Gemini tam sequaciter fundantur ex utero, ut intervallum inter eos nullum possit apprehendi, et constellationum numeris notari. Vnde necesse est, non nullos geminos easdem habere constellationes, cum

cum paria rerum, quas agunt vel patiuntur, eventa non habeant, sed plerumque ita disparia, ut alius felicissimus, alius infelissimus vivat, sicut Iacob & Esau geminos accepimus natos, ita ut Iacob, qui posterior nascebatur, manu fratris præcedentis plantam tenens inveniretur. Horum certe dies atque hora nascentium aliter notari non potest, nisi amborum una esset constellatio: quantum autem intersit inter amborum mores, facta, labores atque successus, S. Scriptura testis est, jam ore omnium gentium pervulgata.

EX LIBRO PRIMO DE LEGIBVS PLATONIS.

Leges de connubiis, quo gradu nimirum homines conveniant, qui ordines inter se, qua ætate, quibus conditionibus maritari debeant, primum in Repub. bene constituta locum pene obtinent, suntque constituendæ.

E. Charilaus Laconum dux quærentibus, cur Spartani virgines detectas, mulieres velatas in publicum emitterent. Quia, inquit, virginibus quærendi sunt viri, mulieribus opera danda, ut servent maritos. Mater Alexandri Olympia dicebat; Mulieres auribus prius quam oculis esse despondendas, hoc est, diligenter inquirendum, quale hominum de moribus earum sit judicium.

2 Proxime sunt superioribus leges de recta liberorũ institutione, qua res honestas studio cõ

plectantur adolescentes: à rebus autem turpibus abhorreant.

E. *Sueto. in Augusto.* Filiam suam & neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretque loqui aut agere quicquam, nisi propalam, & quod in diuturnos commentarios referretur. Carolus Magnus (*de quo ita Eginardus.*) Filias Lanificio assuefacere, coloque ac fuso ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri jussit.

Apud Gymnosophistas receptum fuit, ut paratis instructisque mensis, antequam dapes apponerentur, singuli adolescentes, qui ad epulum conveniunt, quid generi humano lucrifecerint, quidve sapienter dictum factumque sit illa luce, coram senioribus exponere cogerentur. Et qui deses aut remissius nihil frugi adferebat, impransus manebat, & foras extrudebatur, quibus disciplinis illos ad virtutem stimulabant, & exacuebant. *Alexand. ab Alex. lib. 5. genial. dier. cap. 21.*

3 Leges, aut Respub. quæ totæ ad res bellicas gerendas sunt comparatæ, bella potius, quam pacem in civitate alunt: quales Lacedæmoniorum leges fuerunt.

4 Bellum nullum ipsum per se est optandum, sed pacis tantum causa suscipiendum.

EX LIBRO SECVNDO
DE LEGIBUS.

SEd & cantus, ludus, saltatio, convivia, gymnasia, exercitationesque publicæ ac privatæ sunt legibus definiendæ, ut voluptati modum ponere, & quidem mature, homines assuescant: & honestis duntaxat rebus delectari.

2 Poe-

2 Poëtices quoque studium in Repub. legibus est à bono Principe & regendum, ne quid impium dicant poëtæ: & moderandum, ne sint nimium multi poëtæ, id est, nimium multi inertes, vani, et assentatores in Repub. homines ac nugigeruli.

E. *Ludovic. Vives in annot. ad c. 14. August. lib. 2. de Civ. Dei:* Plato lib. 2. de repub. poëtas ex ea civitate, quam optimam instituit, expellit, propter scelera et flagitia, quæ de Diis canunt. Et in lib. x. ejusd. operis cum in eos multa dixisset Socrates, locum claudit, et sentit; expellendam poësin, quæ effectus parum inducit viriles, illam vero retinendam, quæ mascula est et casta. Itaque non omnem poësin damnat, nam interdum poëtas divinum genus vocat, cum sacros hymnos concinunt, et tales non sunt expellendi è republica, si non tradant ea, quæ bonos mores corrumpunt.

3 Convivales leges neque sint nimium laxæ, neque nimium severæ. Omnis autem à conviviis ebrietas, intemperantia, et rixa semper ex legibus exulet; ac puniatur, si intervenerit.

E. *Seneca in epist.* Conviviorum luxuria, et vestium, ægræ civitatis sunt indicia.

4 Ne in vestitu, victu, cæterisque rebus hujusmodi, cives peregrinorum intemperantes mores discant, diligenter prospiciendum, ac cavendum bono Principi, ac Reip.

E. Hoc religiose et acurate ab Helvetiis, observatur, qui hoc studiose cavent, ne in suis civitatibus vel provinciis cives vel incolæ extero et peregrino habitu vel vestitu utantur, sed patrium et antiquum à majoribus acceptum cultum et vestitum diligenter tenaciterq; retinent et usurpant.

5 Princeps, ac Magistratus quilibet debet esse & prudens & fortis. Prudens, ne ex imperiti vulgi judicio pendeat: fortis, ut quæ salutaria sunt, constanter exequatur.

E. Cum Ludovicus XI. Francorum rex iniqua quædam edicta à curia Parisiensi promulgari jussisset, curia ea exequi recusavit. Rex sua jussa ingeminans publicari jussit, & minas adjecit, capitis etiam indicta pœna, ni curia paruisset. Lancastrius Præses re intellecta Regem adiit, purpuratorum judicum corona stipatus, non ut culpam deprecaretur, sed ut mortem precaretur, cum diceret se suosque collegas mortem malle, quam legis promulgationem pati. Rex incredibili magistratus constantia ac fortitudine perterritus, legem abrogari ac rescriptum lacerari jussit, testatus se nulla deinceps edicta laturum, quæ curia improbaret, precatus est etjam, ut ea qua proposuerant fide & æquitate semper judicarent. *Bodinus.*

6 Turpissimum est, Magistratum aut Principem eo ipso ore mentiri, quo Deum invocat.

EX LIBRO TERTIO
DE LEGIBUS.

QVemadmodum homo absque societate vivere non potest: ita neque societas diuturna aut tuta absque legibus unquam esse poterit.

EX LIBRO QUARTO
DE LEGIBUS,

MAritima militia raro cum pedestri quæ constantior est, convenit.

2 Omnis

2 Omnis civitas & legibus, & Dei occulto quidem, sed certo decreto nititur.

3 In rebus humanis, secundum Deum, agendi oportunitas, & celeritas valet plurimum.

4 Religio vera est firmamentum Reipub. itaque potissima de ea constituenda cura Reipub. esse debet.

E. Agapetus monet Iustinianum Imp. Sceptrum imperii cum à Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei, qui id tibi dedit, cumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina.

5 Secundum Deum debemus plurimum parentibus.

E. Thales: Eadem à filiis exspecta, quæ parentibus fecisti.

6 Liberi parentibus se & sua debent, ac proinde eos colant: ne temerario quidem ac levi sermone eos offendant: iratis denique cedant parentibus liberi.

7 Conjugium est fundamentum generis humani. Itaque illius castitas & sanctitas debet severe legibus sanciri.

EX LIBRO QVINTO

DE LEGIBUS.

QVi Magistratum malos punientem adjuvat, is omnino magni est in Repub. momenti, bonusque civis.

2 Fides est fundamentum societatis humanæ: perfidia vero ejusdem pestis.

3 Patria, ejusque salus, parentibus eorumque incolumitati est à liberis præferenda.

E. Hinc graviter IC Marcellus respondit in l. minime ff. de religio. Minime lugendum esse eum, qui ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos venerit, quem si filius patrem, aut pater filium occiderit, sine scelere, etiam præmio afficiendum omnes constituerunt.

Carolus Paschalius in lib. de Virt. & vit. c. 14. Patria cum sit communis omnium parens, atque adeo alter Deus, ipsis parentibus, ipsis amicis anteponi debet, atque adeo ipsi vitæ, quam illius propugnationi impendere debemus. Dulce enim, & decorum est, *ait Horatius*, pro patria mori.

4 Hospites & supplices vel ne à Repub. admittantur; vel admissi, ne prodantur.

E. Hoc præceptum pessime observatur Coloniæ. Nusquam enim magis quam ibi magistratus & cives sunt duri, injurii & iniqui erga hospites & peregrinos. Quoties enim exercitus illustrium Ordinum Belgii lætum ac fælicem belli successum habet, tunc patienter quidem exteri tolerantur. Vbi vero victoria in bello parum Hispano cœpit favere, tunc peregrini religionis ergo ibi degentes statim exilio, carcere, & damno pecuniario mulctantur. Ita ad auram & flatum fortunæ sunt inconstantes varii & mutabiles.

5 Civitas nimium populosa in colonias exoneranda est.

6 In coloniis deducendis leges, sedes, assignati agri, & munimenta coloniæ, ac ejusdem imperium accurate describendum, ac tuendum est.

7 Lucri faciendi modus in Repub. sancte instituta est legibus definiendus, ne quævis ars pecuniaria liceat; aut quodvis lucri genus concedatur. Denique fœnori modus præscribendus.

8 Men-

8 Mensurarum modus ad commerciorum cum vicinis rationem commodus, præscribendus quoque.

9 Agri publici, eorumque fines & modus, publice notus sit, ac descriptus.

EX LIBRO SEXTO

DE LEGIBUS.

Religio vera bonarum legum origo est.

2 Leges absque Magistratu inutiles.

E. ICtus Henningus à Goeden: lex sine executione, est veluti campana sine pistillo.

3 Magistratus sancte, id est, invocato Dei prius nomine; & circumspecte, id est, ex populi suffragiis, eligendus.

4 Festinatio est judiciorum noverca & labes.

5 Non unus duntaxat Iudex sit, qui statim de quovis negotio ultimam ferat sententiam: sed plures sint appellationis gradus.

6 Prius per amicos tentanda est pax inter cives, quam lites intententur.

E. Hinc non satis laudari potest pium & egregium institutum magistratus urbis Leydensis, quo cautum est, ut cives priusquam judicio inter se contendant, coram certis arbitris ex magistratu ad hoc deputatis conveniant, qui tentare & experiri debent, an amicabili quadam compositione possint partes inter se dissidentes conciliare. Quod concilium vulgo vocatur Camera pacis, & arbitri ad has electi dicuntur *die frelenmakers*, in qua plurimæ lites placide & tranquille componuntur.

7 Adolescentiæ recta institutio est publico-

rum negotiorum omnium maxime serium.

E. Sic pater Heli sacerdos, quia nimium liberis indulserat, nec eos legitima disciplina informaverat, una cum filiis misere divina vindicta interiit. 1 *Samuel* 3. *&* 4.

8 Ne quis dum Reipub. vacat & inservit, in privatis bonis damnum patiatur: sed interim illi prospiciatur.

E. Erfurti mos est, ut si aliquis Consul vel Senator ad paupertatem redigatur, huic gratis & sine usuris ex publico ærario mille aurei Rhenenses ad vitam concedantur, ita tamen ut post mortem ejus, sors concessa ab heredibus fisco vel Reip. restituatur.

9 Nullus Magistratus à reddenda sui muneris ratione Reip. immunis esto.

10 Census discrimen habendum, ut inde dignitatis ratio inter cives haberi quoque possit: item & onerum publicorum.

E. Hinc ad magistratus subeundos divites quam pauperes cooptari longe est utilius, quia puriores à corruptelis & sordibus futuri sunt, quam inopes.

11 In Muneribus publicis demandandis, non personarum, sed ipsorum munerum, & eorum, qui ad ea sunt idonei, habenda ratio.

EX LIBRO SEPTIMO

DE LEGIBUS.

PUeri neque nimia severitate contineantur; neque deliciis assuescant.

E. Hinc scite Demetrius Phalereus, cum vidisset aliquando juvenem luxuriosum, dicebat. Ecce, inquit, quadrata statua, habens syrma, ventrem, pudenda, & barbam.

2 Quæ

2 Quæ sanctitas in puerorum marium moribus requiritur; eadem quoque in feminis, imo etiam severior servetur.

3 Ne quod scriptum in lucem edatur inscio Magistratu.

EX LIBRO OCTAVO DE LEGIBUS.

OMnis æquitatis, ex qua bonæ leges pendent, firmamentum est Dei metus.

2 Adulteria & scortationes ex eadem æquitatis regula damnantur.

E. Cum Hispanus præfectus Mediolani sub Gonzaga teneret virum nobilem captivum, & conjux peteret liberationem viri oblata magna auri summa. Hispanus petit stuprum, quod cum obtinuisset, reddit captivum, sed mortuum. Gonzaga postquam hoc rescivit, cepit Hispanum captivum, & coëgit illum ducere uxorem illam; quo facto, re judicata, Hispanum capitali supplicio affecit, & bona ac facultates Hispani, mulieri attribuit. *Philippus Melanthon in notat. ad Proverb. Salom. cap.* 16.

3 Militaris disciplinæ cognitio vigere debet in quavis duratura Repub.

4 Ludorum publicorum, qui ad rem militarem pertinent, usus in Repub. esse debet: & præmia iis publice proposita.

Est tyrannorum nolle ut subditi sese militaribus rebus exerceant.

EX LIBRO NONO

DE LEGIBUS.

Est boni Legiſlatoris leges ipſas ex honeſti & æqui formula generaliter ponere accommodatas ad formam Reipub. quæ placuit. Eſt boni Iudicis eaſdem leges ad ſingularia hominum facta prudenter pro variis circumſtantiis applicare, & accommodare.

2 Iudiciorum forenſium duplex eſt genus: Vnum civile, in quo cauſæ pecuniariæ diſceptantur: Alterum criminale; in quo delicta hominum ex legibus vindicantur.

3 In criminalibus judiciis accuſatio rei, eiuſdemque defenſio ſit libera, certa, examinata, non feſtinata, à juratis judicibus; tandem ſententia dicatur ac pronuntietur.

E. Mecœnas laudatur qui valde familiaris erat Auguſto Imper. quod cum aliquando Auguſtus multos eſſet morte damnaturus, nec Mecœnas propter circumſtantium coronam ad eum perrumpere poſſet, inſcripſerit ſchedulæ hæc verba: SURGE TANDEM CARNIFEX, eamque in Auguſti ſinum proiecit. Qua lecta Auguſtus ſtatim ſurrexit, dimiſitque quos erat interfecturus. Dio.

Ptolomæus Ægypti rex cum in luſu aleæ totus eſſet, aſtitit puer ludenti, qui reorum nomina & crimina è tabella recitabat, ut ſcilicet rex eos deſignaret, quos capitis ſupplicio dignos cenſuiſſet. Id videns uxor ejus Berenice fœmina cordata, non paſſa eſt ulterius legi, ſed arrepto è pueri manibus libello ad maritum converſa: quid, inquit, an non oportebat te relictis ludicris,

cris, vel maxime animum advertere, si quando de salute hominis acturus esses. Non enim casus humanorum corporum & tesserarum pares sunt. His auditis regem mirifice delectatum ferunt, & nunquam postea inter ludendum de causis capitis cognovisse.

4 Festinatio et mora sunt bonorum iudiciorum novercæ.

EX LIBRO DECIMO DE LEGIBUS.

QVi pacem publicam, aut Reipub. ordinem perturbat, capite puniendus quoque est.

2 Qui rem alienam invito domino capit, aut retinet, aut contrectat, fur est: ac proinde coercendus. Debet enim in Repub. bene morata cuique ius suum conservari, ne à quopiam illi adimatur aut imminuatur.

E. Apud Tartaros et Moschovitas levissima furta morte puniuntur, quia rarissima sunt opida, et in casis aut tuguriis humilibus fortunæ cuiusque sunt positæ. Sic in Gallia qui viatori vel tantulum pecuniæ in via regia vi extorquet, capite punitur. Vnde *Bodin. lib. ult. de Repub. cap. ult.* scribit se vidisse Andibus furem in crucem sublatum, quod viatori sesqui solidum argenteum vi ademisset.

EX LIBRO VNDECIMO DE LEGIBUS.

OMnium contractuum privatorum fundamentum, dominiorum distinctio; et rei suæ

tuta cuique possessio: quæ severe legibus est stabilienda. Itaque *Meum*, & *Tuum* esse in Republica debet.

E. Hinc absurdum Anabaptistarum dogma, quo statuunt inter Christianos indicendam esse communionem bonorum, merito reprobatur, nam & civilis bonorum distinctio testimonio Dei confirmatur. Quod si impium esset proprias opes possidere nullus esset furto locus nec quis aëre utens furtum committit, propterea quod aër naturali jure omnium communis est.

2 Deliria testantium, & fraudes captatorum ne pro legitima testatoris voluntate in testamétis obtinento, sed à judice emendantor.

3 Hæres à legatariis distinctus est natura. Hæres est penes quem jus ipsum hæreditatis & caput familiæ manet: Legatarius autem portiunculam tantum bonorum habet.

4 Pupillorum summam curam Magistratus habeat, velut communium civium parens.

E. In urbibus Hollandiæ certi & deputati magistratus pupillares in singulis civitatibus sũt constituti, qui pupillorum curam gerunt, & bona eorum administrant. Statim enim atque unus ex parentibus diem extremum obiit, bona pupillorum in inventarium à Secretario cameræ orphanorum redigi debent, & in Camera pupillari instrumenta & literæ sigillatę pupillorum consignari et deponi, ubi recte et fideliter per tutores, et tutelares prætores bona minorenniũ administrantur, donec ad legitimam ætatem pervenerint.

Item in singulis fere urbibus Hollandiæ magnifica et opulenta orphanotrophia sunt

extru-

extructa, in quibus pauperes pupilli utrisque parentibus orbi, publicis sumtibus aluntur, & honestam aliquam artem mechanicam, unde se alere possint, addiscere jubentur.

5 Tutores pupillis; curatores cæteris, qui sunt infra xxv. ætatis annum, dentur à Magistratu viri boni, & eorum amantes, qui & personam & bona pupillorum curent.

6 Injuriæ, contumeliæ, convitia, famosi libelli, detractiones publicæ privatæque sunt à Magistratu coërcendæ, ut pax inter cives maneat.

Philosophus quidam dicebat; obtrectationes devites tametsi fuerint falsæ. vulgus enim veritatem ignorat, opinionemque potius spectat.

7 Mendicitas in Rep. bene morata non est publice toleranda: sed cogatur unusquisque victum sibi honestis artibus quærere, & comparare.

8 Quodvis damnum alii ab alio datum, jussu Magistratus, si qui intulit ultro non satisfacit, resarciendum est.

9 Cauponarum numerus, & Cauponariæ artis lucrum & modus à Magistratu lege publica definiendus est, qui ex usu Reip. sit, & ex æquitate.

Cautum est in urbe Leydensi, ne liceat cauponibus ultra horam decimam vespertinam ullos hospites in tabernis excipere, vinumque aut cerevisiam illis propinare, sub pœna libræ Flandricæ in cauponem, & trium aureorum in hospites singulos statuta.

EX

EX LIBRO DVODECIMO
DE LEGIBUS.

QVamvis corpus, (quod est animi domicilium) sit honeste sepeliendum, sumptus tamen & luctus in sepulturis ac funeribus sit moderatus, & definitus.

2 Qui in publici muneris administratione pecuniam acceperit, aut prævaricari deprehensus fuerit, gravissime puniatur.

E. Lege Iulia, iis qui crimen ambitus committunt, hoc est, qui corruptis populi suffragiis, magistratus, aut publica officia ambiunt, centum aureorum pœna cum infamia irrogatur. *lib. I. ff. ad l. Iul. ambit.*

3 Qui Magistratus publicam pecuniam interverterit, peculatus pœnis teneatur.

4 Peregrinorum commercia ne Respub. aversetur; sed ea & prudenter & utiliter tueatur, nullaque fiat peregrinis à civibus injuria.

E. Opibus divitiisque potens est Respub. Leydensis, quia plurimos Flandros, Brabantos, Artesios, Hannonienses, VV allones ex suis regionibus propter tyrannidem Hispanicam exulantes hospitio excepit; quorum maxima pars lanificiis, pannis conficiendis, aliisque honestis opificiis & uberrimis mercaturis, urbem tantopere amplificant & locupletant, ut hæc una inter opulentissimas & ditissimas Hollandiæ urbes merito numeretur.

Albanus aliquando tentavit in Hollandia introducere statutum, ne inter cives unius opidi cum alterius incolis & civibus matrimonia contrahi possint, ut ita omnia mutuæ amicitiæ

fœdera, quæ per matrimonia contrahuntur, inter civitates extirpentur, & extinguantur. At & hoc impium institutum à Magistratibus & Ordinibus est repudiatum.

5 Ne tamen peregrini mores improbos in Rempub. invehant, Magistratus prudenter prospicito.

6 Bonus civis onera Reip. ne recusato, sed ea lubens tolerato & obito.

EX ARISTOTELE.

VRbs commodo loco ad mare ponenda est, ubi & rebus ad hanc vitam necessariis abundet, & adiri commode possit à civibus: difficile vero ab hostibus.

2 Si salubris sit eo loco aër, quo ponitur: si in colliculo statuatur, aut editiore loco & libero in prospectum: si ad solem orientem spectet: si egrediendi & ingrediendi ratio, utpote flexuosa, civibus sit facilis; hostibus & extraneis difficilis. Sic Roma. *Liv.*

3 In quaque civitate seu urbe condita debet esse certus civium uumerus, pro ratione agrorum & locorum illi civitati subjectorum, & is duntaxat numerus definiri et admitti scribique debet.

4 Nec vero civitas eo felicior est quo majore civium numero constat. Parvam enim præfert immensæ & magnæ Aristoteles, tum quod parva melius regatur; tum etiam quod urbs à gente et illo hominum infinito numero differre debeat.

5 Magna aut valida civitas non est ea æstimanda, ex qua caupones, et opifices quidem numero multi prodeunt; pauci vero milites.

6 Qui

6 Qui vel arma, vel judicia cum honore capessere in Repub. possunt, sunt partes Reip. & cives.

7 In Ægypto vero fuerunt quatuor præcipui regni ordines: Reges, Sacerdotes, Bellatores, & Opifices: qui postremi & ipsi in quatuor ordines quoque dividebantur; nimirum Nautas, Artifices, Agricolas & Pastores.

8 Reges à civibus custodiuntur: Tyranni ab extraneis. Reges amant suos cives, & ab iis amantur: Tyranni eos oderunt, imo ipsosmet satellites suos metuunt. Reges sublevant subditos tributis quantum possunt: Tyranni eos onerant, ut exhauriant, & opprimant. Reges nobilitatem regni, & viros bonos alunt, fovent & conservant: Tyranni & nobiles, & bonos viros vel vi, vel clam tollunt.

E, Seneca in libro de moribus. Sic PLATO cum vidisset DIONYSIUM Siciliæ Regem crudelissimum tyrannum multis custodibus & satellitibus corporis sui stipatum, Quid tantum malorum, inquit, fecisti, quod à tam multis custodiaris.

9 Democratiæ fundamentum est libertas, non autem licentia popularis. Itaque omnes dignitates in hoc statu omnibus, id est, cuivis hominum ordini communicantur. Arx nulla in populari statu habenda. Divites ad graviora onera eligantur. Magistratus mutantur, nec ulli sunt perpetui. Ex legibus severe judicatur in hoc statu.

10 Monarchia omnibus legitimis politiis præferenda est: ubi bonis legibus, & à bono rege administratur: secundum Monarchiam est Aristocratia eligenda.

11 Leges omnes (uti vita ipsa hominum est duplex

duplex in otio & negotio, domi vel foris) sic vel ad pacem civium inter se tuendam; vel ad bellum foris administrandum pertinent. *Aristot. lib. 7. Politic. cap. 14.*

12 Potius ad pacis, quam belli rationem, & usum comparatæ esse debent leges in una quaque Repub. Bella enim ipsa, pacis causa suscipiuntur.

13 Leges autem maxime de Connubiis caveant, qua ætate conjugia contrahi oporteat, inter quos, & quibus pactionibus. Item de prima liberorum educatione, eorumque publicis exercitiis. Hæc enim duo sunt universæ reipub. fundamenta.

14 Præstat in Repub. esse bonum Magistratum absque lege, quam bonas leges absque Magistratu. Magistratibus autem omnes pro ipsorum jurisdictionis finibus pareant.

15 Neque uni & eidem plura munia publica delegentur; sed singula singulis. Vnum enim uni rei gerendæ idoneum esse, multum est.

16 Divitibus & Nobilibus sua quædam publica munera peculiariter reservanda. His quidem ea, quæ sunt militaria: illis autem ea, in quibus majores sumptus sunt faciendi.

17 Perpetui Magistratus non solent esse tam sinceri, quàm si ad tempus duntaxat eligantur. Et vices parendi ac imperandi inter cives esse, longe tolerabilius est.

E. Civit. Holl. ita solét, ut singulis annis in urbibus, tū Consules, tum Scabini novi eligantur, & aliis magistratu defunctis novi succedant. Quod tamen ita temperatur, ut unus ex Consulibus priori anno magistratu defunctis, in bieniū continuetur, & tres quatuorve ex veteribus Scabinis, continuétur & retineantur in bienniū qui alios

alios novos magistratus & judices de negotiis & causis litibusque jam pendentibus & nondum decisis instruere & informare possint.

18 Iudices qui litibus & controversiis civium definiendis præsunt, ædes notas cuivis habeant, & foro judiciario vicinas: itemque cæteri Magistratus, pro ratione sui muneris.

19 Necessarii magistratus sunt, quibus nunquam Resp. carere potest, quales hi fere, (judicio Aristotelis) Ædilis, qui opificum controversias dirimit: Itinerum & Aggerum, Agrorumque publicorum Præfectus: Quæstor, qui vectigalia publica exigit: Præfectus Ærarii. Scriba publicus: Præfectus urbi: Censor denique, qui omnium privatorum civium & Magistratuum mores inspiciat, rerum publice vel privatim gestarum rationes exigat, & audiat: denique publicæ disciplinæ custodiendæ præsit.

20 Nulla est Resp. bene instituta, quæ Censura Censorumque munere publico, eoque in moribus singulorum probandis vel damnandis libera potestate prædito carere possit.

21 Civitas ornata erit, si commerciis tum civium ipsorum inter sese; tum peregrinorum cum civibus abundet.

22 Et quia sine foro commercia esse non possunt, forum rerum venalium commode extructum unum vel plura esse oportet: civium quidem, aut vicinorum inter se, intra urbem: peregrinorum autem remotiorum, extra urbem.

23 Ornata erit civitas, si ædificiis publicis magnificis sit exstructa, ubi & Magistratus conveniant: & archiva publica serventur: et epulæ publicæ fiant, ac populo præbeantur.

24 Ornata erit, si opes publicas, agros, vel vectigalia habeat.

25 De-

25 Denique ornata erit, si habeat victum sufficientem, artificia, instrumenta multa, arma, & cætera quæ ad civitatis defensionem spectant.

26 Tuta erit civitas, si & seditiones fugiat ac evitet: et ea, quæ maxime Rempub. servant, consectetur ac velit.

27 Seditiones maxime oriuntur ex inæquali civium jure inter se: bonis ademptis, verberibus illatis, injuriis cum magna contumelia uni civium parti ab altera factis.

28 Præfectorum novitas: novæ exactiones & onera imposita: divitum spoliatio: lucra ex malis sceleratisque causis, uti bellis civilibus, percepta, facile movent seditiones.

29 Item Procerum inter se simultates & discordiæ irreconciliabiles: eorundem factiones diversæ & discordes: prælatio unius familiæ in magnis diuturnisque honoribus, vel cæteris exclusis, vel iis contemptis, ad quos iidem honores deferri debent: Nobilitatis nimia licentia, ac imprimis militaris: Procerum in conciliis publicis perpetuus dissensus, facile excitant seditiones in Repub.

30 Crudelitas Principum, impunitas scelerum, violatio frequens legum, peculatus pecuniæ publicæ, odium denique præsentis Reipub. status, facile seditiones excitant.

31 Ea vero, quæ maxime Rempub. conservant, sunt fere ejusmodi: bonarum legum inviolabilis auctoritas: Magistratuum in munere obeundo prudentia, diligentia, et alacritas: populi adversus Magistratus obsequium: civium inter se concordia ac consensus: magistratus erga populum paternus animus, et cura.

32 Item juris cuique sui, ac bonorum tuta pos-

possessio, ac conservatio: sancta uniuscujusque civis institutio privata, & honesti mores: pauperum & inopum civium publicum sublevamentum.

E. *Schottus in itinerario Italiæ.* Tria declarant Remp. bene aut male regi, Ædes sacra, curia, & schola.

Carolus V. Imper. lustrans urbes et oppida, tria P. sibi constituenda et ordinanda ajebat: *Pastorem, Prætorem, & Præceptorem.*

33 Æquabilitas inter cives et pro conditione cujusque suus honos, locus, et gradus assignatus: Partium in Rep. diversarum justum quoddam inter se temperamentum, ne una pars alteram opprimat, aut nimium possit. Denique ea constituti status, et Reipub. formæ, otiique dulcedo, quæ faciat ut omnes sint contenti præsenti rerum statu.

EX PLUTARCHO DE CIVILI ADMINISTRATIONE.

POpuli quem regendum susceperis, mores imprimis noscendi: nec licet mali, statim, sed pedetentim mutandi. Quamobrem ad eos te ipsum ad tempus accommodes.

2 Rempub. capessens, ea vitia sua, quæ maxime apparent, quamprimum mutet; postea vero reliqua.

3 Magnum apud populum habet momentum, opinio de probitate tua semel ab eo concepta.

4 Remp. capessens eatenus sit peritus dicendi, quatenus aliena voce ad animi sui sensa explican-

canda non egeat; sed qui populum & auditores movere possit oratione.

E. Cautum est in aurea bulla Imp. Caroli IV. ut Electorum filii primis ab annis Latinam, Italicam, & Illyricam linguam addiscerent, quo sermonem cum multis gentibus communicare possent.

5 Duæ sunt ad capessendam Rempub. viæ: Vna brevior, Magni nimirum alicujus facinoris susceptio, effectioque: hæc periculosa est. Altera longior, Munerum ordinariorum, & quæ nos populo commendant, honesta & diligens administratio: hæc tutior.

6 Remp. capessens non modo claro alicui viro se adjungat, sed etiam bono.

7 Remp. capessens inimicitias Reip. causa deponat: nec eas ultum eat etiam cum ipsius Reip. aut virorum bonorum damno.

8 Civis nullus pro inimico habendus, nisi se Reipub. hostem aperte professus fuerit, aut probarit.

9 Convicia præsertim scurrilia ne in hostes quidem & adversarios à summo Magistratu, aut Remp. capessente, jaciantur, dicanturve.

E. Francisco I. Regi Galliæ, cum Carolus V. objecisset, quod contra promissum è manibus suis excessisset, ipse per publicum præconem, contumeliose Cæsari ita nunciari jussit; Si meam abitionem criminaris, clare dico te mentiri, & proinde te provoco, ut mecum duello certes. *Sleid. lib. 6. comment.*

Hinc & procacitas Hispanorum militum merito reprehendenda, qui in obsidione Noviomagensi è muris feles suspendebant, addito hoc dicterio. *Als dese katten sollen konnē spinnē, sal Graff Mauritz Nimvvegen vvinnen* Quæ convician-

di li-

di libido illis male cessit, urbe Mauricio Nassavio expugnata.

10 Rempub. capessens nullam illius partem sibi commissam, & in qua sit positum aliquod decus Reip. aut aliquod publicæ salutis momentum, negligat.

11 Rempub. capessens illud munus maxime ambiat & curet, ad quod magis aptus & idoneus.

12 Contrariæ factiones hominum, modo non conjurantium in Rempub. aut eam perturbantium, non sunt omnino tollendæ, sed tanquam æquilibrium futurum, retinendæ.

13 Remp. capessens cuncta civitatis consilia aut decreta ad summum Magistratum referens, meticulosam reddit Remp. eamque tandem in servitutem redigit.

14 Ad quam tamen necessitatem eum, qui capessit geritve Rempub. adigit sæpe potentiorum factio, vel ipsius summi Magistratus avaritia, vel ambitio.

15 Sed neque morbi omnes Reipub. sunt ab inferiore Magistratu indicandi summo: sed prudentes vel sanandi, vel celandi plerique.

16 Remp. capessens cæteros omnes Magistratus honoret: maxime vero collegas suos, & in eodem munere versantes, consensu & concordia foveat.

17 Pleraque minora peccata condonanda populo, ut graviora punire possis: Nimia enim severitas eum facit contentiosum. Consueta enim sunt illi reliquenda, si Remp. non evertant, aut opes Reip. non absumant.

18 Popularem se ac familiarem subditis reddat Magistratus, præsertim in theatris, certaminibus publicis, & religiosis conventibus, & in iis una

una cum populo adsit, & quidem frequens.

E. Rodolphus Habspurgensis Imp. dicere solitus est: Severum & immitem me fuisse aliquando pœnitet, placabilem vero & clementem nunquam.

19 Populo si quid magnum, illique gratum & cupitum eripias, concedendum aliquid aliud parvi momenti ad sedandam seditionem.

20 Optimi & modestissimi semper eligendi, vel in collegas allegendi. Optima enim, absque contentione optimi consulunt.

21 Remp. capessens, ad ea, quæ ipse per se prę-stare non potest, adsciscat lubenter peritiores, per quos adjuvetur.

22 Rempub. capessens lucricupidus, vel lucripeta, à nullo unquam scelere abstinebit.

23 Nihil tam populum homini conciliat Rempub. capessenti, quam opinio fidelitatis, & virtutis, quæ in eo esse existimatur.

24 Benevolentia civium optimum Rempub. capessenti adversus omnes adversarios & insidias munimentum.

25 Quies populi & animi mansuetudo potius, quam ejusdem impetus et effrenis licentia Reip. salutaris et optanda et curanda.

26 Etiam privatarum discordiarum semina sopiat is, qui Rempub. capessit: quoniam ea sæpe in publicam seditionem erumpunt, præsertim si nascantur ex eo, unde tota plebs, aut aliquis Reipub. ordo injuriam sibi fieri putat.

EX ISOCRATIS ORATIONE AD NICOCLEM.

AMa eos quibus imperas. Et effice, ut ab iisdem quoque vicissim ameris.

2 Amor populi diuturni imperii est fundamentum.

3 Populus neque petulans esse, neque injuria quenquam afficere concedatur.

4 Leges malæ & consuetudines tollendæ, quantumvis diuturnæ.

5 Lites minuendæ, & quæ leges easdem alunt, abrogandæ.

6 Bellorum sciens sit quidem Princeps, pacem tamen amet.

7 Præferendi in Repub. gerenda qui promissa præstant, & cæpta perficiunt.

8 Felix est imperium, in quo subditi evadunt tum meliores, tum etiam ditiores.

EX AGAPETO DIACONO.

QVo quis in Republica majorem gradum dignitatis est consequutus, eo DEUM colat summissius.

2 Bonæ leges sunt Reipublicæ nervus; at injustitia, & effrenis licentia est fluctus Reip. ac tempestas periculosissima.

3 Regis voluntas, & vita sit Dei voluntati conformis et consentanea.

E. *L inter claras. C. de sum. trin. & fide cathol.*

Nihil

Nihil est, quod clariore lumine præfulgeat, quã recta fides in Principe: nihil est, quod ita occasui nequeat subjacere, quam vera religio. Nam cum auctorem vitæ vel luminis utraque respiciant, recte & tenebras respuunt, & nesciuunt subjacere defectui.

4 Nullum est leve Regis jussum: itaque prius ab eo perpendi debet, quam jubeatur.

5 Leges ab ipsomet principe observandæ, ut earum obedientiam doceat ipse suo exemplo subditos. 27.

6 Mali perversique à Principe neque tolerandi, neque promovendi. Nam qui eos tolerat, eorundem vitiis participat.

7 Bonos asciscat Princeps, quibus cum versetur, ut bona discat.

8 Imperium in homines volentes est diuturnum, in invitos autem breve & seditionis plenũ.

9 Misericors, & lenis animus maxime Principem commendat. Immisericordia autem multos à Principe arcet, vel avertit, & segregat.

E. Sanguinolenta placita Caroli V. promulgata in Belgio in addictos reformatæ religioni Anno 1550. quod scilicet viri quidem gladio feriantur, fœminæ autem vivæ in terram defodiantur, si quidem à professione orthodoxæ religionis discedant, sin vero pertinaces maneãt, exurantur, publicatis ipsorũ bonis; causam dederunt, cur tandem provinciæ sese armis ab atrocissima tyrannide Hispanorum defenderint. Econtra laudanda est clementia Mariæ sororis Imp. Caroli V. quæ in Comitiis Augustanis indefessis precibus à fratre impetravit, ut crudelia illa placita aliquantulum mitigata sint, saltem quoad exteros negociatores. *Sleidan. lib.* 21. *comment.*

10 Iudicia in quemvis, sive amicum, sive inimicum, ex legibus æqualia fiant.

E. Carolus V. dicere solebat: Vt sol nō alius est inopi, alius locupleti, sed omnibus æquus & cōmunis, ita Reges personam haud debent spectare, sed rem, justitiaque & benevolentia eorum omnibus civibus patere debet. *Zenocarus.*

11 Amandi à Principe potius, qui ab eo beneficia petunt, quam qui in eum ea conferunt.

12 Vbi pietas pro scopo & fine & regula actionum nostrarum proponitur, ibi omnia recte fiunt & convenienter.

E. Cum Noviomagenses jam devicti à Principe Mauricio Nassavio, agerent de deditione urbis & peterent liberum exercitium Pontificiæ religionis, administrationem bonorum ecclesiasticorum, & dispositionem regiorum officiorum; duo posteriora illis concessit, prius autem denegavit, solam reformatam & orthodoxam religionem volens illic exerceri.

13 Princeps & domi, & foris honestam de se existimationem tueatur, honesta & gravi vitæ conversatione. Exemplum fuit Princeps Mauritius Auriacus.

14 Principis actiones coram Deo deprehendentur, & punientur, utcunque inter homines dissimulentur, & fuco colorentur.

EX M. TVLLII CICERONIS EPISTOLA AD Q. FRATREM LIB. I.

QVi sibi ipse imperat ac temperans est, alios facile in officio continere potest.

2 Non tantum ipsum Principem, sed etiam ipsius comites, legatos, & servos continentes esse

esse & moderatos oportet, ut Principi comparetur commendatio.

3 Non exacte nimium omnium facta inquirenda à Principe, sed quædam leviora prætermittenda, in iis præsertim, quos non elegit ipse.

4 Princeps non negligat, quæ audit & scit.

5 Curet ne quisquam ipsius auctoritate, vel annulo ad suam voluntatem, vel lucrum, vel vindictam abutatur.

6 Satellites Principis ne sint nisi ex voluntate ipsius formidolosi; & Principis, non autem suæ ipsorum voluntatis ministri.

7 Diu explorandi ex extraneis & provincialibus, præsertim quos Provinciæ præfectus in amicitiam ac familiaritatem adsciscit facile enim isti simulant, vel ea familiaritate abutuntur.

8 Omnes adhibeat Princeps liberaliter, optimum autem quemque familiariter.

9 Servi Præfectorum & Magistratuum perinde se gerant extra ipsorum familiam, atque in ipsa dominorum familia & domo.

10 Commendationis Principis & dignitatis fundamentum sunt, principis ipsius integritas, & continentia; omnium, qui cum eo sunt, pudor: delectus in familiaritatibus: familiæ gravis et constans disciplina: decernendi severitas, et in judicando æquabilitas.

11 In jure dicundo observentur, facilitas in audiendo: constantia et gravitas, quæ resistat non solum gratiæ, sed etiam suspicioni: levitas in discernendo: in disputando diligentia.

12 Talem se præbeat Princeps, ut ab iis, quibus præest, alius non desideretur.

13 Tuenda est honestis artibus opinio virtutis de nobis concepta.

14 Principis est consulere omnibus, mederi incommodis hominum, prospicere saluti patriæ, ut illius parens esse & haberi velit, & possit.

15 Publicanorum licentiæ & avaritiæ occurrendum.

16 Iracundia in Principe acerbitasque naturæ est cum deformis, tum etiam periculosa. Multa enim injuste peragit & præcipit.

17 Lingua Principi diligentissime moderanda, continendaque.

E. Gellius lib. I. ca. 15. monet; parce loquendum esse, quod natura linguam vallo dentium cinxerit, & septo labiorum, cum aures patulas dederit.

18 Exorabilem esse Principem præstat, quam implacabilem, etiam in maximis injuriis sibi illatis.

19 Maledicta & contumeliæ in alium, dedecent maxime Principem, & omnem dignitatem gravitatemque animi.

EX EPISTOLIS CICERONIS AD MARCVM BRVTVM.

NOn temere credat Princeps aut Magistratus quidpiam, quod sit de sibi ignoto homine ab aliis relatum.

2 Qui in ipsos bellorum civilium auctores superatos sunt clementes, iis nunquam deerunt bella civilia. Salutaris enim est in istos acerba severitas, vincitque ea inanem speciem clementię.

3 In bellis civilibus, nemo ex iis, qui adversæ parti etiam victæ favere videtur, aut probabili conjectura eam redintegrare velle censetur, est hono-

honoribus ornandus, vel exercitu & potestate armandus.

4 Vt tyrannis tollatur, non dominus tantum tollendus est, sed dominatio ipsa evertenda; nec alius, qui ejusdem rei spem, aut ad eum gradum habeat, evehendus. Tunc enim non dominatio aut tyrannis tollitur: sed dominus tantum à nobis mutatur.

5 In bellis civilibus, aliisque magnis Reipublicæ calamitatibus, ejus Magistratus (qui summæ rerum, aut parti uni præest) mors, magnam Reipublicæ toti, aut parti illi, cui præerat, perturbationem adfert. Itaque tunc facile pars illa vincitur, vel ab armis revocatur. In demortui autem locum alius statim vir bonus, minimeque de favore ullo in partem nobis adversam suspectus est eligendus, strenuus & fortis.

6 In bellis omnibus, tum præsertim civilibus, ii demum ad dignitates militares admittendi, qui ex sinceritate & fide vera in partes nostras noti sunt, aut à non suspectis cõmendãtur.

7 Imperatorem præsertim in exercitu, etiam in casu suorum sibique charissimorum constantem, ac non nimis mœstum vel consternatum esse oportet, ut cæteros confirmet. Hujusmodi enim non tantum officio & naturæ, sed etiam populo & scenæ servire oportet.

E. Merito reprehenditur à Suetonio, August. Cæsar, qui post cladẽ Varianam in Germ. perpessam, tribus sc. legionibus cæsis, nimis indulsit dolori, inquiens. Adeo nanq; consternatũ ferũt, ut per cõtinuos menses barba capilloq; summisso, caput interdum foribus allideret, vociferans. Quintili Vare, redde legiones, diemque cladis quotannis mœstum habuerit atque lugubrem.

8 In bellis præsertim civilibus dum victam

19 Maximus in Repub. nodus est, et ad res præclare gerendas impedimentum, inopia rei pecuniariæ.

20 Plus pecuniæ in bellis civilibus quam in externis impenditur; quod milites duplo sunt redimendi, ne ad hostes nostros deficiant.

EX C. PLINII SECVNDI PANEGYRICO AD TRAIANVM.

Nihil rite, nihilque prudenter auspicantur homines sine Dei immortalis ope, et consilio: Itaque rerum agendarum initia à precationibus sunt capienda.

2 Nullum est præstabilius & pulchrius Dei munus erga mortales, quam castus, & sanctus & Deo simillimus Princeps.

3 In Consiliario Principis tria maxime requiruntur, Libertas, Fides, & Veritas.

E. Cum Antoninus Caracalla fratrem suum Getam interfecisset, jussit Papinianum præfectum prætorio parricidium excusare. Papinianus fortiter recusavit, dicens: Difficilius parricidia excusari quam admitti. Quo responso exacerbatus Caracalla, fratrisque sanguine nondum satiatus, Papinianum occidi mandavit. Dignus Papinianius, qui consiliarius esset Principis, quique leges & edicta nomine Principis conderet, qui tanta constantia pro justitia asserenda mori non dubitavit. Hinc Tacitus I. Historiar. sic consiliarium principis instruit, ne cum fortuna potius principis loquatur, quam cum ipso. Nam libertas in præsentia quibus resistit, offendit, deinde illis ipsis suspicitur, laudaturque.

turque. Improbi illi, qui veri copiam non faciunt, sed suspensa, & quo ducantur inclinatura respondent.

4 Princeps ut se hominibus imperare norit; ita se ipsum hominem quoque esse cogitet: Itaque voces & laudes, quæ Numini soli debentur, tanquam putitissimas assentationes, oderit.

5 In Principe tres maxime virtutes prædicantur, Pietas, Abstinentia seu Temperantia, & Mansuetudo, seu eum adeundi facilitas.

E. LEO MAGNUS Imp. Quemadmodum Sol, quibus affulsit, iis calorem suum impertiri solet, ita etiam clementia ab Imperatore iis tribuenda, quos aspexerit.

6 Etiam corporis proceritas, & oris dignitas apud plebem commendat principem.

E. Comes Philippus ab Hohenlo vicarius supremus exercitus Ordinum Belgii potissimum commendabatur à præstantia & robore corporis, & decoro dignoque tanto principe vultu, proceraque statura, & invicta animi in hostibus profligandis magnitudine.

7 Quod factum magnopere placet, placebat etiam antequam fieret. Itaque hac ratione animus & voluntas principum antea latens detegitur.

8 Optima prædecessoris principis laus, si successorem bonum elegit, & reliquit.

9 Pessimus est ibi militaris status, ubi armorũ studium à manibus ad oculos, à labore ad voluptatem translatus est, & exercitationibus militaribus non aliquis veteranorum, sed græculus Magister assistit & præest.

10 Princeps ut sit militaris, debet prius multum & diu in bello periclitatus esse: sic enim disciplinæ militaris scientissimus erit.

11 Bonus Princeps cum civibus, velut cum liberis suis, versari debet.

12 Primus principum in urbes ingressus lætus ac festus esse debet; & congiarium populo tunc dandum.

13 Affabilitas principis virtus maxima.

14 Principis in pauperes liberalitas valde eum commendat.

E. Robertus rex Galliæ Capeti filius mille pauperes semper humanissime aluit, iisque jumenta semper præbuit, ut se quocunque irent, consequerentur, ac vota pro se facerent: ac nemo diutius aut fœlicitate, aut tranquillitate majore, quam hic imperavit.

Amadeus Sabaudiæ dux, qui creatus fuit pont. Rom. cum rogatus esset a principum Oratoribus, ut canes venaticos si quos haberet, eis ostenderet, annuit, ut postridie redirent. Interim ingentem multitudinem pauperum & mendicorum collegit, eaque monstrata. Hi sunt inquit canes mei, quos alo quotidie, quibus spero me cœlestem gloriam venaturum. Scribitur de Stephano Rege Hungariæ, quod manus illius post mortem non est putrefacta, quæ neminem esurire, mendicare, aut in captivitate aut quavis miseria jacere perpessa est. Sub quo Rege Hungaria ad Christianam religionem conversa infidelitatem deseruit. *Bonfinius.*

Cum urbs Geneva propter bellum cum duce Sabaudiæ gestum ad paupertatem summã redacta esset, *Præpotentes Ordines Belgii* ipsi liberaliter dono dederunt XXII. millia aureorum, ut hoc beneficio adjuti tenuis conditionis cives, possent aliquo modo inopiam suam sublevare, & ab ære alieno se liberare.

Divus Ludovicus rex Galliæ octo & viginti rerum divinarum & humanarum collegia suis opibus fundavit, tametsi 120. pauperes, qui se sequebantur, humanissime & eodem victu, quo seipsum sustentaret, at etiam diebus quadragesimæ numerum duplicabat. *Bodin. lib. 6. de Repub. cap. 2.*

15 Princeps frustra Remp. plebe neglecta (velut defectum corpore caput ac mox nutaturum) tueri studet, & se posse putat.

16 Est boni Principis curare, ut itinera, portus, & commercia sint in toto regno tuta, & libera.

E. Hoc videre est in Hollandia & Zelandia, in quibus regionibus tanta est viarum & itinerum securitas, ut viatores etiam soli & de nocte imo multis pecuniis onusti, tutissime absque armis proficisci possint: tanta est viarum & itinerum securitas.

17 Magnorum imperiorum hæc est commoditas, quod plures sub illis populi in pace vivant, & quæ in singulis Provinciis illius eximia aut utilia sunt, ab aliis Provinciis ejusdem regni sentiantur: Denique facilius unius Provinciæ inopia ab alia sublevetur.

18 Sub bonis Principibus, neque ærarium publicum licet quocunque modo augere, neque fiscum Principis; sed si quid fiscus non suum occupet, cum eo pari jure agere conceditur.

E. Achab rex Syriæ, cum nec prece nec pretio Nabothi prædia extorquere posset, Iesabella uxor ejus testes subornavit, qui hominem capitali fraude subverterent, ac læsæ majestatis quæstionem intentarent, ut ita per calumniam proscriptis bonis, prædiis ipsius per fas & nefas potiri posset.

Rex

Rex Galliæ ex horto deliciarum decimam Curioni solvere damnatus est in curia Parisiensi. Anno 1266. Adhæc cum alius rex negligentia procuratoris vadimonium deseruisset, petiissetque ordinario diplomate in integrum restitui, curia Parisiorum Regem de proposita rogatione depulit. Anno 1419. Denique extat in actis curiæ Parisiensis sententia adversus Carolum VII. regem lata, qua damnatur sylvam urbi proximam in usum Parisiorum cedere, precio constituto: quam quidem ad rem vix unquam privati adigerentur. *Bod. lib. 1. de Rep. c. 9.*

19 Graviter ferunt liberi, si quid de paterna hæreditate sibi à fisco, ut vigesima, adimatur. Itaque ea imposita remittenda est.

E. Ab Illustribus Ordinibus Hollandiæ statutum est, ut ex successionibus & hereditatibus collateralium tantum quadragesima pars fisco pendatur, non vero ex parentum vel liberorum successione.

Lex Iulia ab Augusto lata est, ut quæ hereditates, legata, donationesve mortis causa ad alios pervenirent, earum pars vicesima ad fiscum pertineret, hoc vectigal & Reipub. utilissimum, & cuique gratissimum fuit, eo quod alienas hereditates acciperent, exceptis tamen ab hoc tributo sanguine valde junctis & pauperibus, quos hoc onere levarunt. *Dio. lib 55.*

20 Ambitio, jactantia, effusio, et quidvis potius, quam Principis liberalitas existimandum, cui donati ratio non constat.

E. *Sic Sueton de Nerone scribit*, Divitiarum & pecuniæ, non alium fructum putabat quam profusionem. Item *de eodem Dio.* Militi prætoriano ob aliquam causam jusserat centies HS numerari, id est, ducenta quinquaginta millia

Philippicorum. Et cum Agrippina mirata improvidam fortasse liberalitatem, jussisset totam eam pecuniam, ipso coram in mensa exponi & expandi, ut sic vel aspectu pœnitentiam eliceret, ille magno animo jussit alterum tantum addi, & nesciebam, inquit, tam exiguum me dedisse.

Cosimo Medicæo, quem patrem patriæ appellabant, erat uniusfilius PETRUS; hic (solent plerumque ita unici opulentorum parentum filii) paternarum divitiarum, quæ immensæ erant, hæres & successor, effusa manu, vivo patre numos erogabat; nec mediocris in eo; mox huic, mox isti schedulam donabat argenteam, à patris quæstore solvendam. Cum vero hi sumtus longe excederent patris ordinem, quæstor rem patri Cosimo aperuit; hic videns, ut erat prudens senex filii prodigalitatem, injunxit quæstori, ne imposterum chartacea ista Petri manuscripta reciperet; non minus tamen solveret, quæ filius volebat; at nemini nisi ipsi Petro in manus daret numos. Mox venit quidã Gerhardus Landus cum schedula cc. ducatorũ ad quæstorem, cui hic respondit; tibi nõ solvam sed Petro summam. Abit ille conquerens de summa non soluta: Petrus ex quæstore patris mentem intelligens & voluntatem, vult sibi numerari cc. illos ducatos, at videns summã auri in tabula, & memoria repetens frequentes illas expensas & summas, quas aliis per hunc quæstorem numerari sæpius jusserat, miratus copiam auri, eo ipso momento abstinuit non solum ab ampliore erogatione, sed parsimoniæ totus deditus fuit, & de thesauris colligendis nimium sollicitus, ita ut amoris, quo cives erga ipsius familiam flagrabant, quodammodo jacturã facere vi-

re videretur. Ita ipsi constabat deinde ratio donationis. *Laur. Capillonus in serm. hist. & polit.*

21 Non uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium Deus valentioribus dedit. Ergo virtute, non viribus corporis commendantur reges.

22 Pauci ita ingenio valent, ut non turpe & honestum, prout illis commodum aut incommodum est, expetant, fugiantve. Quare multum in rebus politicis statuendis potest tum publica, tum privata utilitas. Videndum tamen est, ne utilitas vincat veram honestatem.

23 Benefaciendo, maxime subditorum suorum animos experitur princeps, & sibi devincit.

E. Ariston cuidam laudibus vehenti dictum Cleomenis, qui rogatus quid oporteret bonum Regem facere, respondit: Amicis bene facere, inimicis male. At quanto præstantius est, inquit, vir optime, amicis bene facere, & ex inimicis reddere amicos.

Socrates Crœso interrogato, quid esset maxime pretiosissimum, que ex regno consecutus? Cum ille respondisset, ut hostes ulcisceretur, & amicis benefaceret. Multo inquit, melius fecisses, si illos etiam tibi amicos adscivisses.

24 Vita boni principis censura est civium, eaque perpetua: ad eam enim omnes sese conformant.

25 In iis quæ bene fiunt à malo Principe, non res aut factum, sed auctor displicere debet.

26 Bonus Princeps bonarum literarum studia intermortua restituere; & præmiis doctos afficere debet: itemque curare, ut in iis juventus recte instituatur.

E. Sigis-

E. Sigismundus Imp. in pretio habuit literatos, eosque reliquis qui genere tantum erant nobiles, prætulit. Interrogatus à Principibus qui literas oderant, cur homines obscuro genere natos ob commendationem doctrinæ tanti faceret, respondit, se jure illos colere, qui cæteris singulari divino dono antecellerent, illos à solo Deo posse creari, verum in sua potestate esse, ut titulis & prædiis nobiles faciat, quoscunque et quandocunque velit.

Cosmus Senior pater patriæ, literas Græcas totius Europæ beneficio in Italiam introduxit. *Gabriel Zinanus de ratione imperandi l.* 1. *c.* 5.

27 Principis fidelissima custodia, ipsius innocentia.

28 In Principum mensis et sobrietas in cibis, et suavitas in sermonibus, et benigna convivarum invitatio, et studiorum honor cerni debet: non autem verborum petulantia aut lascivia.

29 Sub bono Principe licet cuique sua etiam magnifica et opulenta retinere, et habere tuto.

30 Bonus Princeps opera publica tueri, et resarcire debet potius, quam privata sua ædificare.

31 Nullum est tempus, nullus locus, ubi funestorum et crudelium Principum Manes à posterorum execrationibus conquiescant.

E. *Sic Sueto. de Tiberio.* Morte ejus ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tyberin projiciendum clamitarent, pars terram matrem, Deosque penates orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent, alii uncum et Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ

ſtinæ crudelitatis. *Idem.* Tantum gaudium publice præbuit mors Neronis, ut plebs pileata tota urbe diſcurreret, in ſignum adeptæ libertatis.

32 Vera boni Principis laus & fama non imaginibus, aut ſtatuis, ſed virtute & meritis prorogatur.

33 Sub bono Principe ea eſt populi & Principis æmulatio, ut contendant inter ſe, uter alterum magis amet.

E. Illuſtris Princeps Mauricius Naſſavius, quoties in aulam ſuam revertebatur, devictis & captis ab hoſte urbibus, certatim illi civitates inſignes triumphos exhibere ſolebant, conviviis ſplendidis excipere, ſummiſque præmiis honoribus & laudibus eum proſequi.

34 Tyranni eſt odiſſe eos, quos populus vel Senatus, quaſi de ſe bene meritos, diligit.

35 Nullis aulicis à bono Principe minus credendum, quam iis, qui contra famam publicam ſuſurros illi de aliquo malos clam inſtillant. Melius enim omnibus, id eſt, famæ, quam ſingulis, id eſt, iſtis creditur.

36 Princeps etiam ſummus Reip. jurejurando, velut illius officiarius, obſtringitur: ac ipſâ Rep. ſeu regno minor eſt.

37 Tutius eſt & ſecurius cuipiam ex Proceribus habere Tyrannum iratum, quam ſibi aſſentantem & propitium, id eſt, diſſimulantem.

38 Nunquam à quoquam deceptus eſt aut decipitur Princeps, niſi qui prius alios ipſe decepit.

39 Boni Principis eſt ſic dare arma militibus, ut iis utantur in ſeipſum, ſi in Rempublicam peccet.

40 Eſt boni Principis nobiles familias, etiã collapſas, reſtituere, & merentes augere & fovere.

41 Su-

41 Superborum Principum ævum omne & breve & fragile est.

42 Est optimi principis inter subditos, & præsertim inter ipsas provincias, inter se dissidentes, sincerissime ac promptissime jus dicere.

E. Ordines Belgii in arduis gravissimisque controversiis inter Ommelandiam provinciam & civitatem Groningensem diu multumque acerrime disputatis, super forma imperii, item de jurisdione, de jure Stapulæ, de vectigalibus, de jure & privilegio coquendi cerevisiam in pagis, jus dixerunt, & justissima sententia litem, de qua plurimis gravissime erant digladiati, æquabiliter diremerunt.

43 Præcipuum principis opus bonos amicos sibi comparare, quos fovere, & audire debet, ac proinde bonos viros eligat.

44 Princeps neminem prorsus invitum apud retineat.

45 Honestius est ad posterorum memoriam dici optimum principem, quam felicem. Illud enim est virtutis hoc fortunæ.

46 Tunc verissime judicatur, meruerit quis honorem, necne, quum eum adeptus est. nam magistratus virum arguit. Prudenter tamen dijudicandi, & examinandi prius sunt, ii quibus honores commendantur.

TANTVM EST.

Editor typographo veniam petit, qui nunquam aliter nisi venia servari potest. Amice Lector, negligentia operarum typographicarum tot menda itrepserunt, licet accuratus correctoris oculus & manus illa ante expunxerint: agnosces facile errores, ubi litteras *c* pro *e*, *n* pro *u*, *r* pro *t*, *ſ* pro *f*. & vice versa positas videbis, agnosces & alia quæ tamen te non morabuntur, sed invitabunt ad emendationes. nam sors Editorum hæc est; manuscripta sine mendis dant ad prœla, quæ correctis typis exscripta vellent, si ita assidui, uti typographicæ operæ, prælis vacare possent. Vale.

Pag.2 l 5. causam,l.33. utrumque, l.35. Non, p.4.l. 16. maritimos,p.10.l. 16. concilium,p 15. l,18.contra,p.21. l. 26. Civilia, l 29. *Tucydides.* ibid. *Græciæ*,p 46.l.18.Cois, p.54. l. 11.dictum, p.62.l.3. PAEDIA, p.67. l. 11. solitus, pag.71. (12 *aphorismus omissus*) 12. Quuamdiu exspectatur aut metuitur hostis, nec auxilia sunt dimittenda,nec distrahendæ vires nostræ. *Sic Cyrus Medos retinuit.* p.76. l. Nam,p.81.l,7. affatim,p.86.l.27. solitudine, p.95.l.*pen.* gaudiis, p. 109. *& seqq. titulus* EX XENOPHONTE *debet esse* EX POLYBIO. l.17. exercitiumque r. n. colendum,p.118.l.22. *omissa sic restitue:* ita si semel seditionem moveat,implacab.p.122.l.3. adduci, *ibid.* Suediæ.p.127. l.5.quæ factura,l.20 quæ per relig. *ibid.* ob gravam,p.132.l.16. Christiernus II. p.153.l.30.clausis,p.162.l.6.decere, pag.177.l.11. publica,l.17. auctoritas, p.179.l. 33. quadagno Signore,p.183.l.4.quisquam, l.26. extruendi,p.187.l.13.Strada.l.14.*dele* 2 do,p.196. lin.32. extorris,pag. 247. lin.21. antecesserunt,

p.269.

p.269.l.6.factus,p.285.l.32.Philippus III. l.ult, permittente, p.290.l.7.cecidit,p.293.l.31.essent, p.295.l.13.extitit,p.299. l.28. conditis, p.300. l.13.fuerit, l.28. Imperatoris, pag. 302. l. 14. esse, l.33. tantamque,p.309.l.28. perpetuo,p.310.l.31. cIↃ IↃc xxix. p.315.l.31. repudiatis, p.323. l.penult. tolerantur, p.328. l. *antepen. lege conjunctim* exsibilatæque, p.334. l.11. eum, p. 352. l.10. desilientes,p.360.l.21. annos, p.367. l. 16. famem, l.22. notus, p.371.l.6.1547. p.420. l.27. scorto, l.32. affecit, p.427. l.*antepen.* familiari, p.429. l.13. *post* utiles *supple* monebat, p.434.l. 32. numerus, l.34. muneribus,p.449.l.22. distinendi, p.450.l.30.auxilio, p.455. l.5. hostes, p. 458.l.14. Virium, p.459. l.29. cælibes, p.472. l.26. *annum.* pag.481.l.2. *annum*, pag.545.l.*ult.* ovile.

INDEX.

Rerum in Aphorismis & Exemplis precipuarum.

VBI

Prior numerus commate à posteriore sejunctus paginam; *posterior puncto clausus* Aphorismum *indicat:* Exempla *ad numerum paginarum se referunt.*

A.

Albanus

B.

cur

Bos-

Colum-

Concor-

Con-

Rha-

D.

Dan-

Discor-

Ducis

Eduardus

*** Excu-

Fames

Forma

Gens

Henri-

Hugo

Im-

Iulii

de Lega-

Lucri-

pro

Mathe-

Men-

N. Naiſa-

N.

O.

Ob-

P.

Perfidia

Polo-

à Deo

sacri-

custodia

im-

à Publicis

Q.

R.

Reddere

Rhe-

S.

Stre-

quam

T.

Tur-

ad

Vir-


VV.

Z.

TANTVM EST.



LVGDVNI BATAVORVM,



Ex Officinâ IACOBI MARCI.

CIↃ IↃCXXXIX.